Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — I
47

Digitized by Google

Theol. Luth.
[illegible] 479

SADEEL ELENCHOMENOS.

SIVE

Tractatio Theologica,

DE VERITATE ET MAIESTATE HVMANÆ Naturæ IESU CHRISTI.

Opposita

SOPHISMATIS ANTONII SADEELIS CHANDEI, QVIBVS IN sua de eâdem materiâ, Theologica & Scholastica Tractatione, contra sanam & Orthodoxam veritatem (sed irrito conatu) pugnare voluit.

Autore

LEONHARTO HVTTERO,

S. Theologiæ Doctore, & Professore in Academia VVitebergensi publico.

VVITEBERGAE

Impensis Clementis Bergeri Bibliopolæ: Typis verò Cratonianis,

ANNO M. D. CII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

Digitized by Google

Illuſtriſsimis Celſiſsimisq́; Prin-cipibus ac Dominis:

D. IOHANNI GEOR-GIO: &
D. AVGVSTO: *Fratribus:*
Ducibus Saxoniæ: Landgraviis Thuringiæ: Marchionibus Miſniæ &c: Dominis ſuis clementiſsimis.

SI *ANTONIVS Sadeel, Scriptor Calvinianus, & Neſtorianæ hæreſews hyperaſpiſtes ac propagator acerrimus, nihil præter officium feciſſe putandus eſt, quando Illuſtriſsimis potentiſsimisq́; Principibus; Magnifi-*

 cis

cis item inclytarum Germaniæ ciuitatum Magistratibus, puram & sinceram Euangelij CHRISTI Religionem amplexis; Tractatum suum de veritate Humanæ Naturæ IESV CHRISTI, dicare ac inscribere nõ dubitauit: nemo cordatus, opinor, mihi vitio verterit, Illustrißimi Celsißimiq́ Principes; Domini Clementißimi, quòd meas in illum lucubrationes Refutatorias, sub fælicibus VV. CC. auspicijs in lucem exire volui. Etsi enim Veritas sibi ipsi ad defensionem sufficit; ac proindè non æquè ac mendacium, extraneo quodam propugnaculo indiget: cùm tamen fulciendo & prouehendo mendacio, uniuersus penè mundus vires suas omnes accommodet: haud profectò abs re fuerit, si veritati, non quidem certitudinem,

(hanc

Digitized by Google

(hanc enim ex DEO Spiritu sancto habet maximè indubiam) sed ejus propagandæ facultatem, ex Christianorum Principum autoritate prælustri acquirere studeamus. Et id quidem præsens Ecclesiæ status vel maximè requirere videtur. Nam quemadmodum ex Adversariorum parte, duo sunt brachia, ad impugnandam & affligendam Ecclesiam comparata: CALVMNIA & CRVDELITAS: ita ex nostra parte duo videntur vel maximè necessaria esse media; quibus utrumque istud hostium brachium infringi queat: nempe VERITATIS ASSERTIO, & PATIENTIA: quarum hæc vim ac Tyrannidem illatam patienter suffert, divinæ providentiæ omnem ultionem committens: Illa verò, VERBO DEI (quod ipsa

est veritas) innixa, mendacia, calumnias, fraudes, Sophismata, & quasvis alias hæreticorum strophas liberè detegit, masculè subruit, fortiter evertit. Cæterùm hæc ipsa veritatis libera assertio, vix unquam (obstante nimirûm hæreticorum Crudelitate) ad frugem aliquam pervenire posset: nisi Christiani Principes & Magistratus curam aliquam Ecclesiæ, eamq́ non superficiariam; sed seriam susciperent: Orthodoxos Ecclesiæ Doctores suo præsidio foverent: ac assiduis improborum machinis quasi concussos, sua autoritate ac potentiâ suffulcirent. Et sanè hoc ipsum pij Magistratus proprium officium esse, vel ex eo colligo, quòd Spiritus sanctus in Prophetarum oraculis, Regum & Principum officium varijs similitudini-

tudinibus depingens, perfugium eos esse *ait*, adversus ventorum & tempestatum impetus: item Relaxationem in siti: imò umbram, instar prominentis alicujus excelsæ rupis latè diffusam, adversus ardentes Solis radios. *Esa. 32, 2. Et ô fælicem vereq́ beatam Ecclesiam ac Rempublicam, cui tales Principes & Magistratus divina largitur Clementia. Quo nomine GERMANIAE ego nostræ communi Patriæ, ex intimis animi præcordijs gratulor, quòd singulari DEI bonitate nacta est Principes haud paucos, Evangelicæ veritatis studiosos, sub quorum alis, in lucem producta veritas, contra tenebrarum potestatem, constanter asseri, ac liberè propugnari: quorumq́ paternâ curâ, Ec-*

 clesia

clesia Christi adversus tùm improbam bestiæ Tarpejæ, Antichristi Romani violentiam: tùm blandiloquam gentis Calvinianæ astutiam, toxicis verè mortiferis tinctam, præservari ac defendi potest. Quorum è numero, hodiè (atque utinam in plurimos annos) ceu Sol in meridie, sic in Orbe Christiano lucet, tergeminus ille Rutæ Saxonicæ surculus, verè virens, verè florens: imò omniū Christianarum virtutum, cumprimis verò PIETATIS & RELIGIGIONIS purioris propagandæ Zelo magis magisq́ efflorescens. Nam ut de Ecclesiis inclyti huius Electoratus Saxonici pauca quædam commemorē, nemo, opinor, ita vel hospes planè, vel rerum, quæ quotidiè geruntur, ignarus fuerit, quem latere queat incredibilis ille, Serenißimi

Electo-

Electoris CHRISTIANI II. &c. Serenissimæ item Principis ac Dominæ, D. SOPHIAE &c. Electoralis viduæ, &c. amor, cura, sollicitudo, proximo hoc decennio, pro asserendo sacrosancto purioris Religionis deposito, non tam prudentissimè suscepta, quam cum sempiterno Ecclesiæ, vel potius ipsius doctrinæ Christianæ emolumento, fælicissimè declarata: usque adeò, ut ipsi hostes veritatis, Calviniani præsertim, istud vel inviti agnoscere & prædicare necesse habeant.

Porro, quam eximiam spem in Vestris CC. repositam habeat Ecclesia; quis non intelligit? Neque enim cum illis Ecclesiis & Rebuspublicis malè agi potest, quæ suos Principes, à teneris annis, sincero Cœlestis veritatis la-

ste, ac incorruptis formandorum morum Institutis, in ipso quasi pietatis gremio sovent atque alunt.

Hîc ego non possum non quorundam sive Politicorum, sive Theologorum Calvinianorum extremam & levitatem & impietatem ex animo detestari. Levitatem quidem, quòd, cùm aurâ optatiore fruuntur, suasores authoresq. sunt Principibus, ut Orthodoxos & constantes veritatis professores sedibus suis eijciant, & cum uxoribus ac liberis, etiam ante Solis occasum, in exilium pellant: At verò quando mutatâ fortunâ, ipsi tristiorem sortem experiri coguntur, tùm demùm clamitant: Principum officium non esse, quempiam quovis modo ad certam quandam Religionem astringere: quin debere ipsos potius

Aut Benbellona de Godentijs IC. in suscitabulo Tempestivo.

Consci-

Conscientiarum libertatem, & αὐτονομίαν (Eine freystellung mehrer Religion vnd Glauben) suis subditis liberrimam permittere. Impietatem verò, quòd Religionis curam haud magnoperè viros Principes decere, nonnulli ex illis non modò ipsi arbitrantur: sed & Principibus persuadere conantur. At verò quid hoc est aliud, quàm hac persuasione velle Principes præcipuâ suæ gloriæ & dignitatis laude spoliare, eorumq́ autoritatem, quâ imprimis ipsos excellere oportebat, quam maximè labefactare? Quid enim quæso in Principibus manebit reliquum, quod eorum Autoritatem commendet: si Religionis (non quidem Epicureæ illius, & per Pyrrhonicam quandam ἐποχὴν, Omnium, quantumvis discrepantium opinionum liberam

liberam professionem subditis permittentis: sed veræ ac Orthodoxæ) sive notitiam sive curã ab eis auferas? SAPIENTIA Principẽ cumprimis decet: & Princeps Sapiens, DEI quodãmodo imaginem in terris refert: secundũ antiquum illud: ἄρχων, εἰκὼν θεοῦ, τοῦ πάντα κοσμοῦντος. *Unde verò isthæc Principibus obvenit? Id Sapientia ipsa docet passim in Sacro Bibliorum Codice clamans:* Timor Domini est Initium omnis Sapientiæ. *Et Regum omnium sanctissimus David:* Erudimini, *inquit*, qui judicatis terram: Servite Domino in timore & tremore. *Moses legislator ille sapientissimus, in genere principibus omnibus hanc præscribit Authenticam: Deuter. 17.* Si sederit Rex in solio regni sui, accipiet exem-

exemplar Legis à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum DEUM suum, & CUSTODIRE verba & Ceremonias ejus.

Quò respexisse etiam illi mihi videntur, qui Reges ac Principes θεογενεῖς, Dijs genitos esse dixerunt: innuentes videlicet, hoc ipsorum esse munus ac officium, ut dignitatis suæ memores, DEUM audiant in verbo suo loquentem: hujus leges sequantur, imò tueantur: & sic Religionis curâ ac studio vel maximè delectati, DEI ingenium atque mores referre studeant. Refert Plutarchus, Persarum Regibus ex more veteri Cubicularium fuisse, qui diluculo cubiculum

lum Regium ingressus clamaret: ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε: Surge, ô Rex, & negocia cura, quæ te curare voluit Mesoromasdes. *Si hæc pietas & Religionis Veneratio, Regibus & Principibus gentilibus, naturâ quasi fuit ingenerata: quid quæso Christianos Principes decere arbitrabimur?*

Possent huius rei exempla adduci valdè illustria & evidentia, tùm ex veteri Testamento, Davidis, Salomonis, Asæ, Iosaphati, Ezechiæ, Iosiæ: tùm ex historia Ecclesiasticâ, Constantini Magni, Theodosij, Martiani, & aliorum Imperatorum, qui cùm DEI timentes essent, & Religionis purioris asserendæ propagandæque studio & curâ flagrarent: contrà

vero

Digitized by Google

verò manifestas hæreses exterminarent: certè in Regni quoque administratione fælicissimi fuerunt. Quibus si eos opponere liberet, qui abiecto DEI timore, & posthabitâ Religionis curâ, ocio, luxu, voluptatibus indulgentes, & semetipsos & subditos perdiderunt: in immensum cresceret Oratio. Tales enim plerumque malignus Spiritus occupat, qui uti contemtum DEI & Religionis, effrenemq́ scelerum omnium licentiam: Ita Consiliorum etiam errores, judicijq́ inopiam parit: tùm ipsis Principibus, tùm toti regno exitiosam. Sed quò feror, Principes Illustrissimi, Domini Clementissimi? Fecit nimirùm iniquissimum illud quorundam hominum, Principes à Religionis studio avocantium, judicium: ut longius, quàm insti-

institueram, progressus fuerim. Veruntamen Vestrarum CC. Clementiâ fretus, spero non injucundam, vel certè à proposito meo non alienam fore istorum Commemorationē, quæ VV. CC. non modò ab alijs antè audivērunt sæpißimè: sed & suo calculo ac suffragio jampridem confirmarunt.

Quo nomine tantò etiam liberius, VV. CC. hasce meas lucubrationes, Sophismatis Antonij Sadeelis, quibus majestatem Christi, secundum assumtam humanam naturam evecti in solium infinitæ, & ubique præsentis dexteræ virtutis ac potentiæ DEI, satis blasphemè impugnare voluit; oppositas, dicare ac inscribere ausim. Nam cùm Spiritus sanctus viris Principibus, Religionis, rerumq; Theologicarum studium etiam atque etiam commendet

mendet: certè non indignum VV. CC. fuerit: hanc etiam Controversiam, quippè Calvinianis hodiè maximè solennem, accuratiùs cognoscere: & vel indè de blasphemo Calvinianorum dogmate, ferre judicium. Mallemus sanè nos, qui cum hostibus veritatis subindè digladiari necesse habemus, operam nostrã alijs scriptionũ generibus impendere, si ita & Ecclesiæ status ferret, & ipsorum hostium importunitas permitteret. Notum enim nobis antiquum illud Ecclesiæ judicium; quod Synesius Episcopus in Epistola ad Auxentium protulit: Contentiones & rixæ, ex Ecclesia in montem, vel in fluctus spumosi maris sunt relegandæ. *Atque utinam depositis simultatibus, evulsis odiorum aculeis, convitijs perpetuo*

ſilentio conſepultis, firmatâ denique inter nos ſanctâ (non illâ Epicureâ, quam fictitius Benbellona in ſuo intempeſtivo ſuſcitabulo ſuadet) vereq́ Chriſtianâ, EX VERBO DEI pace animorumq́ Conjunctione, longiſſimè à nobis omnes diſſenſiones exularent. Verùm nùm noſtro hoc ſeculo tale quid ſperari vel poſſit, vel etiam debeat, vehementer dubito. Nã uſque adeo inſatiabili odio (ut de Romanenſibus nihil nunc dicam) Calviniana gens adverſus nos furit & æſtuat: ut Orthodoxam doctrinam noſtram modis diriſſimis indeſinenter exagitet, & novis ſubindè convitijs & calumnijs, ceu quibusdam ſubjectis facibus, nova contentionum incendia paſſim excitare conetur. Ejus rei exemplum præbet Sadeel *noſter, qui*

in suo de veritate Humanæ naturæ IESV CHRISTI tractatu, Ecclesias nostras atrocissimarum hæreseωn, ut Eutychis & Monotheletarũ, insimulare haud dubitat. Quod ipsum Convitiorum genus, reliqui etiam Calviniani Theologi suis in scriptis subindè ingeminant. His sese nuper adiunxerunt Politici nonnulli, qui dogmata Calviniana haud secus, ac si in Articulis Augustanæ Confessionis fundata essent & approbata, RELIGIONIS pace æquè ac Lutheranorum doctrinam ab Imperio donata esse; scriptitare audent. Hîc certè si tacere vellemus, non veritatis sive Religionis Christianæ assertores, sed proditores meritò videri imò haberi possemus. Et intelligunt VV. CC. nemine etiam monente, verum hîc esse

quod alicubi Nazianzenus scriptum reliquit: Doctores Ecclesiæ debere ὑπὲρ τῆς εἰρήνης πολεμεῖν: καὶ κρείσσονα ἐμπαθοῦς ὁμονοίας τὴν ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασιν εἶναι. Proinde nihil dubito, quin Illustrissimæ VV. CC. præsentem etiam hunc laborem meum, pro pace & pietate susceptum, pro agnatâ, & Christianis Principibus vel maximè dignâ Clementiâ, serenâ fronte sint accepturæ: & augustissimo suo patrocinio defensuræ: Quod ut fiat, debitâ animi submißione etiam atque etiam oro.

DEVS OPT. MAX. Pater Domini & Servatoris nostri IESV CHRISTI. VV. CC. cum Serenißimo D. Fratre: Christianißimâ D. Matre: dulcißimis Sororibus, imò cum tota inclyta domo Saxonica, his miseris

ac ferè conclamatis temporibus, salvas, incolumes, florentes diutissimè tueatur ac conservet. AMEN.

VViteberga, Anno Gratia M. D. C II. Die. 25. Augusti.

Illustriss. VV. CC.

Subjectissimus Cliens

Leonhartus Hutterus D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Præfationis
ANTONII SADEELIS
ad illustrißimos Germaniæ Principes &c. solida Refutatio.

DE veritate humanæ naturæ IESV CHRISTI, Theologicam pariter & Scholasticam Tractationem instituturus, sectæq; Calvinianæ patrocinium pro virili suscepturus ANTONIVS SADEEL, Nobilis Chandeus, haud contentus Galliæ Sabaudiæq; finibus, ipsas etiam Alpes transvolare, & ad Illustrissimos vicinæ Germaniæ tùm Principes, tùm reliquos inclytarum civitatum Magistratus, puram ac sinceram Evangelij Christi Religionem amplexos, stylum convertere voluit. Tragicam proindè mox à primo προσφωνήσεως limine tristissimarum querelarum orditur telam, Rhadamanteam planè sententiam texentem, non in Pontificiorum duntaxat μετουσίωσιν, quam meritò pij omnes ex agro & fini-

quidem Idolomaniæ Pontificiæ nuncium jampridem remisit, Reformationem urget & efflagitat. Gratulata sibi hactenus est Ecclesia Reformata sive Evangelica, & iterum atque iterum sibi gratulata, quod ex tenebris, captivitatis Pontificiæ, plusquàm Cimmerijs, felici lætoque sidere eluctari: quod Thaidis illius Babylonicæ, Pontificis nimirùm Romani, qui Caput & Sponsum totius orbis Christiani, ausu verè sacrilego, jactitare sese haud erubuit, intolerabilem Tyrannidẽ & superbiã excutere: quod deniq; ad salvificum illud, diuq; multorum suspirijs ac gemitibus exoptatum purioris, imò purissimæ doctrinæ Evangelicæ, per magnum illum DEI servum, B. LVTHERVM Papo-Cinglianicen repurgatæ, jubar ac decus aspirare licuit. At verò, Sadeele jam judice & teste, tantùm abest, ut de tanta fælicitate verè gratulari sibi ea potuerit, hodieque possit, ut potius, quippè κεναῖσιν ἐλπίσιν (Suidæ verbis utor) ἐμπεπλησμένη, illud Homericum audire cogatur.

> Νήπιος; ὐδὲ τὰ ἤδη, ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα.

Quid enim? Annè obsecro ad aureum illum cælestis ὀρθοδοξίας portum appulis-

pulisse ea censenda est Ecclesia, quæ teterrimorum errorum cæno imbuta adhuc, & constricta quasi tenetur, & eorum quidem errorum, ac hæreseωn rea est, *quæ*, (liceat Sadeelis uti verbis) *molestißimos veterum hæreticorum carbones, novis flabellis accensos, resuscitant: quæ Eutychianam hæresin, mutato duntaxat nomine reponunt: quæ ejusmodi laborant incommodis, ut ad ea pius quisq; perhorrescere cogatur: quæ sanctißimum* IESV CHRISTI *nomen prophanant; quæ paci Ecclesiæ, atq; Consolationi innumerabilium hominum, religionem* VERE *Christianam ex animo profitentium, horumq́; gemitibus repugnant: quæ deniq; telum, quod Pontificij quotidianis scriptis, Ecclesiæ Reformatæ satis arroganter intentant, acuunt magis, quàm ex ipsorum manibus excutiunt?* Sic nimirum Sadeel Reformatas, & à Pontificiorum sordibus repurgatas per Germaniam, beat Ecclesias, ut atrocissimarum hæreseωn eas insimulare ausit: Sic pijssimis Megalandri LVTHERI nostri manibus, ejusdemq́; laboribus, quos in expurgando Augiæ Papalis stabulo verè Sisyphios exantlavit, dignam rependit gratiam, ut ex hujus Reformatione veterum hæreticorum errores repullulasse, palàm arguere non reformidet.

Verùm placet ipsum audire loquentem

tem Sadeelem, ac initiò quidem ἐγκλήματα illa sive Actionis capita, quibus Reformatis Ecclesijs; sive ut ille loquitur, Ubiquitarijs, in publico Ecclesiæ foro litem movere haud dubitavit, cognoscere; postmodùm verò ad ea paucis quidem, sed quod res est, respondere.

Actio SADEELIS contra Reformatas per Germaniam Ecclesias: sive, Ubiquitarios.

I. ΕΓΚΛΗΜΑ.

Vbiquitarij, ut veram, & realem veri & realis Corporis Christi præsentiam in pane constituant, excogitarunt dogma de omnipræsentia Corporis Christi. Quod quidem dogma eò spectat, ut Humana Christi natura, suis prædita dimensionibus, simul sit ubiq; præsens, nullo loco, nullisq; dimensionibus circumscripta: ac proinde jam non sit Humana Natura.

II ΕΓΚΛΗΜΑ.

Ex quo factum, vt Vbiquitarij, vnà cum Pontificijs, Eutychianam hæresin, quam damnarunt, imprudentes confirment: eosdemq; errores mutatis nominibus reponant.

III. ΕΓΚΛΗΜΑ.

Etsi in doctißimorum virorum, & præclarè de Ecclesiâ Christi meritorum, scriptis occurrunt,

quibus Omnipræsentia Corporis Christi stabiliri possit: Sed quia tamen viris tantis vix probari potuerunt, quæ ex isto dogmate consequuntur: ideò sic eorum scripta erunt interpretanda, vt, si quando Corpus Omnipræsens dixerunt, perinde sit, ac si dixissent: Corpus ejus, qui est Omnipræsens. Idq́ eò libentius faciendum, tùm quia in ipsis eorundem scriptis pleraq́ minimè aliena, ab interpretatione ista, extant: tùm quia nonnunquam veteres ipsi ita locuti videntur, ut in hac quæstione Concreta pro Abstractis: & vicissim Abstracta pro Concretis usurpârint.

Habes jam ô dilecta patria, ô inclyta Germania, quæ quidem Reformatæ Ecclesiæ jure ac titulo VERE gaudes, habes inquam Accusationum capita, quibus Sadeel suo motus & Spiritu & Consilio gravissimarum hæreseωn te insimulat: satis sanè gravia & atrocia: quæ nisi ocyus à te propulsaveris, jam de tua salute penitus erit actum. Sed benè habet: Tonitrua hæc sunt è pelvi, & inania τερετίσματα: quæ ad insequentis diexodi gnomonem examinata; sonum quidem & strepitum edent, sed minimè ferient.

DEPVLSIO PRIMI ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

Actio prima Ubiquitarijs (vti per calumniam fidi illi & constantes confessionis

nis Auguſtanæ Aſſertores indigitantur) imò non Ubiquitarijs, ſed B. cumprimis Luthero, cujus alioqui *ſanctiſſimos* labores, ipſo etiam Sadeele ſic cenſente, omnis poſteritas intueri debet, dicam manifeſtè ſcribit. Et eam quidem geminam: *1. Quòd dogma de Omnipræſentia Corporis Chriſti excogitaverit. 2. Quod realem veri & realis Corporis Chriſti præſentiam in pane, abſq; commento illo Vbiquitatis conſtituere haud potuerit.*

Sadeel Refut. Poſnan, aſſert. p. 858.

Sed manifeſta in vtroque crimine falſitas. Etſi enim initiò haud inviti damus, fictitiam illā Ubiquitatem, ſive infinitam illam, & toto ſe corpore per omnia loca miſcentem expanſionem Corporis Chriſti, qualem quidem, ſed per inſignem injuriam, Confeſſionis Auguſtanæ Eccleſiis affingere haud verentur Sacramentarij; non hominum modò; ſed ipſiſſimi potiùs Diaboli eſſe inventum & ludibrium: Interim tamen eam doctrinam, quam de Omnipræſentia Corporis Chriſti, ſive Majeſtate filij Hominis noſtræ defendunt Eccleſiæ; vel à B. Luthero, vel ab alio quopiam Ubiquitariorum eſſe excogitatam, iterum atque iterum negamus. Neque fidem huic accuſationi priùs faciet Sadeel, quàm manifeſta ſcripturarum teſtimonia, Matth. 28. 20. Eph. 4. 10. Pſal. 72.

8. & hujus generis alia, ex quibus doctrina nostra, de Majestate Christi Hominis, adversus quamvis Sophisticationem invictè asseritur, eliserit: id quod tentasse ipsum quidem, sed irrito conatu ac successu, insequens διέξοδος ad oculum demonstrabit.

Ejusdem farinæ est & crimen illud alterum, quod sub turpi Sophismate τοῦ μὴ αἰτίου ὡς αἰτίου imprudentioribus fucum facere studet. Quid enim? Annè nostri veram ac realem præsentiam Corporis Christi in Cœnâ, asserere haud potuissent, nisi in dogmate de Omnipræsentia Corporis Christi, receptum aliquem & quasi præsidium quæsivissent? Falleris ô bone; Nam vt ad prima Certaminis Sacramentarij principia descendamus, An non B. Lutherus adversus Carolostadium, Oecolampadium, Zvinglium, & reliquos Cœlestes Prophetas, veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Cœna, ex solis verbis Institutionis ita asseruit, ut fundamenta eius inde extructa, nullus Zvinglianorum & Calvinistarum, integris hisce 77. annis, vllo artificio evertere aut labefactare potuerit? An non nostri jam inde à beatâ Reverendi Patris Lutheri ad Cœlestes sedes ex immundo hoc mundo

mundo transmigratione, in omnibus conventibus, colloquijs, Disputationibus, de negotio Eucharistico institutis, ad sola verba Institutionis, ceu ad infallibilem Cynosuram semper respiciendum esse, judicarunt?

Prodeat in medium ipse Lutherus, & causam suam proprijs agat verbis. Is igitur [Catechismo Majori, sic] scribit: *In his verbis* (Institutionis Cœnæ) *Fundamentum nostrum, defensio & arma nostra sunt, adversus omnes errores & fallacias, quæ aut allatæ sunt hactenus, aut unquam adferri in hoc negotio possunt.*

Prodeant sanctissimi hujus Patris, quatuor illa Scripta ἐλεγκτικὰ sive πολεμικὰ (Sacramentarijs ἐριστικὰ καὶ στηλιτευτικὰ per calumniam appellata) quæ de negotio Eucharistico, magno spiritu ac Zelo, & quidem ex professo Sacramentarijs opposuit: & veritati testimonium perhibeant. Ex hisce enim scriptis, de Accusationis hujus vel veritate, vel falsitate judicium facere quemlibet, qui pius est & ἄνευ προκρίματος judicare novit, libenter permittimus.

Prodeant Ecclesiarum nostrarum libri Symbolici, & Ubiquitariorum patro-

cinium suscipiant. Apologia certè Articuli decimi Confessionis Augustanæ, veram ac substantialem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, horumq; Realem exhibitionem cum pane & vino assertura, non Ubiquitatis dogma excogitat, sed D. Paulum in subsidium vocat.

Declar. For. Con. p. 713. edit. lat. Lips.

Sic Formula Concordiæ, Articulo 7. de Cœna Domini; hanc ipsam doctrinam de præsentia Corporis Christi in Sacramento, non Ubiquitatis dogmati; quasi propriæ sedi, superstructam; *Sed in unicâ solidißimâ, inmotâ, & extra omne dubium posita petrâ veritatis, Institutione nimirum Cœnæ, quæ in verbo* DEI *recitatur*, *fundatam esse asserit.*

Prodeant etiam Articuli visitationis Misnicæ, horumq; pia ac Orthodoxa Declaratio, quæ pag. 14. suam de hac quæstione sententiam, Categoricè planè hunc in modum informat: *Quoad Ecclesiarum nostrarum de hoc Articulo* (S. Cœnæ) *doctrinam, illud cumprimis observandum fuerit, verum ac genuinum sensum hujus Sacramenti*, TANTUM *ex verbis Institutionis, & ex ijs fundamentis, quæ propriè de hoc Sacramento agunt, peti posse ac debere.*

Vide-

Viderit proinde Sadeel, qua fronte Ubiquitarios (ut ipsius termino vtar)insimulare ausit, ac si dogma de Omnipræsentia Corporis Christi ideò excogitaverint, vt veram ac realem præsentiam Corporis Christi in Cœna constituere queant.

Interim verò non Lutherum modo sed nostros etiam, in hoc ipso Certamine Eucharistico, ad disputationem de Omnipræsentia Corporis Christi descendisse novimus: verum non ἐπιχειρηματικῶς ἢ κατασκευαστικῶς; sed ἀνασκευαστικῶς; ansam & occasionem primam præbente ipso Oecolampadio & complicibus. Fundamentis enim illis, quæ uti modo dictum, *ex solis Institutionis verbis*, immota plane & ἄλυτα Lutherus produxerat, cùm quid illi opponerent, non haberent; mox mutatâ sede belli, in articulo de Persona Christi receptum quæsiverunt, subinde scriptitantes; Christi corpus salvis proprietatibus veri corporis, salvo etiam Articulo Ascensionis & Sessionis ad dextram patris, ut quæ certus Cœli locus sit, nullibi in terris, & sic neque in Sacramento Eucharistiæ esse posse.

Portentis hisce obviam iturus Lutherus, utrumque hoc sibi in hac Palæstra dein-

deinceps præstandum esse perspexit: nempe non modò veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ ex verbis institutionis demonstrandam: Sed & ex eodem Articulo, ex quo arma mutuabantur Adversarij, ostendendum, neque proprietates veri Corporis, per præsentiam illam Sacramentalem tolli aut aboleri: Siquidem Corpus hoc Christi non verum modò & naturale sit maneatque Corpus: verùm etiam sit Corpus ipsius Filij DEI, qui cum tota plenitudine Divinitatis in illo inhabitet: neque etiam Ascensionem ad Cœlos, aut Sessionem ad dextram Patris, præsentiæ illi in Cœnâ obstare posse: adeò ut hæc ipsa potius indè invictè confirmari & possit & debeat. Quam ipsam fortunam nostri quoque hactenus in Certamine Sacramentario sunt experti: ut nihil jam mirum sit, utramque Quæstionem, & de præsentiâ Sacramentali in Cœna, & de Omnipræsentiâ illâ generali corporis Christi apud omnes creaturas, conjunctim quidem, sed diverso tamen respectu motam & explicatam fuisse. Illud verò mirum nobis vel maximè videtur, quî fiat, quod Sadeel non animadverterit, si hoc nomine dica cuipiam scribenda sit, illam non Luthero,

non Ubiquitarijs: Sed prædecessoribus ipsius, Zvinglio nimirùm, & hujus asseclis, scribendam esse, quippe quos primos hoc Contentionis pomum de Omnipræsentia Corporis Christi, in certamine Eucharistico movisse, tam certum est, ut qui hoc negare ausit, vel hospes planè & ignarus controversiarum Theologicarum, vel certè nimiùm perfrictæ esse frontis, videri debeat.

Cæterùm ne ἀσύμβολον planè dimittamus Sadeelem, vel potiùs hujus propugnatores, rogamus vehementer, ut haud gravatè nobis respondeant; Cum in certamine Eucharistico, duo distincta ζητήματα occurrant; Unum: *An Christus Corpore suo in Cœna pani adesse velit?* Alterum: *An possit Christus in tàm multis locis, in quibus per universum Orbem Christianum Eucharistia secundum Institutionem Servatoris administratur, Corpore & Sanguine suo præsens adesse?* Unde nàm & ex quibus Articulis cuiuslibet Quæstionis propria ac distincta decisio peti & possit & debeat? Prioris sanè quæstionis, ubi de Voluntate Christi quæritur, exactissimam definitionem, ex verbis Institutionis unicè petendam esse, ipsi ultro largimur: Continet enim ea promissionem Christi, de Corporis sui præsentiâ cum pane,

ne, Ecclesiæ factam. Quæ sanè promissio quin certam ac immotam DEI voluntatem, fundamenti quasi loco habeat substratam, pio nemini potest esse dubium. Sed posterioris quæstionis dijudicationem, ex verbis ejusdem Institutionis desumendam esse, non prius probabunt, quàm demonstraverint, in illis expressè definiri, quod Corpus Christi in omnibus locis, ubi S. Cæna peragitur, præsens adesse vel possit, vel non posit. Iam ipsimet fateantur necessum habent, nisi fortè sponte in ipsa meridie cæcutire voluerint, non ex Articulo Cænæ, sed ex articulo de Persona Christi, Quæstionis hujus sive Affirmativam sive Negativam mutuãdam & confirmandam esse. Quemadmodum sanè ipsi quoque Sacramentarij ad eliminandam eandem Corporis Christi præsentiam in Sacramento, argumentis pugnare consueverunt, ex Articulis de persona, de Ascensione ad Cœlos, de Sessione Christi ad dextram DEI patris, desumtis. Quæ igitur hæc erit malitia, Orthodoxos Theologos nescio cujus Criminis in foro totius Ecclesiæ reos ob id peragere; quod in certamine Sacramentario non prioris illius: Sed posterioris hujus Quæstionis decisionem affirmativam, ex Articulo de Per-

Persona Christi, & Sessione ad dextram DEI hactenus sunt mutuati? Sed nimirùm sic lubet sub confusione disparatarum Quæstionum, imprudentioribus simul fucum facere, & innocentes benéq; de Ecclesia meritos, variarum suspicionum obiectis nebulis, acerbius perstringere.

Cujus Candoris est & illud παράδοξον, quod primo huic ἐγκλήματι annectere, & sic frigidam quasi suffundere voluit Sadeel: Nempè: *Dogma de Omnipræsentia Corporis Christi eò spectare, ut humana Christi Natura suis prædita dimensionibus, simul sit ubiq; præsens, nullo loco, nullisq; dimensionibus circumscripta, ac proindè iam non sit Humana Natura.* Nimis certè insolens, ne dicam impudens hoc est convitium. Neque enim vel Naturæ in Christo humanæ abolitionem ex doctrina de Majestate Christi Hominis ullo modo consequi: vel vllam ἀντίφασιν sive contradictionem implicari, si vel maximè Natura humana Christi, suas dimensiones in ipso etiam statu gloriæ, sartas tectas retinere, suæq; Naturæ terminis circumscribi, ac ex proprietate sua in certo quodam sive loco, sive πȣ̃ Cœlesti esse: & tamen simul, vi vnionis Hypostaticæ, in ὑποστάσει τȣ̃ λόγȣ, à locorum διαστή-

μασι

μασι sive intervallis libera ac immunis, Ubique in Cœlo & in terra omnibus creaturis adesse præsentissima, omniaq; in omnibus implere, dicatur: id insequens tractatio evidentissimè demonstrabit.

DEPVLSIO SECVNDI ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

Nunc ad secundi ἐγκλήματος depulsionem accessum faciamus; Quod tale est: *Qui*, inquit Sadeel, *Omnipræsentiæ Corporis Christi dogma proponunt, Eutychianam hæresin, quam anathemate damnarunt, dùm sanctißimis Ecclesiæ Christianæ, de Christo vero Deo & vero homine Symbolis assentientur, jam imprudentes confirmant, & eosdem errores mutatis nominibus reponunt.*

Criminis huius sive accusationis vanitas sponte sua emerget, si quæ fuerit Eutychis, & quæ nostra, de humana Christi Natura post Exaltationem sit sententia, rectius constiterit: quam utramque non ex imperfectis, subdolis ac Sophisticis Sacramentariorum ac Iesuitarum narrationibus: Sed illam quidem, ex eorum historicis relationibus, quibus utrinque fidem adhibemus; hanc vero ex libris Ecclesiarum

rum nostrarum Symbolicis, candidè aperiemus. Iudicium penes candidum Lectorem esto.

Primùm igitur, quoad Eutychis hæresin, sic refert Evagrius, lib. 1. hist. Eccles. cap. 9. *Temporibus Flaviani error impij Eutychis oritur, de quo concilium provinciale cogitur Constantinopoli. Is eò vocatus, istos errores tenere, suis ipsius verbis deprehenditur: Confiteor, inquit, DOMINVM nostrum, antequam divinitas cum humanitate conjungeretur, ex duabus fuisse naturis: at post harum rerum coniunctionem, vnam solùm naturam in eo extitisse, affirmo. Idem etiam corpus DOMINI non ex eadem substantiâ cum nostro corpore constare asseruit.* Quod ipsum ex Synodo etiam Oecumenica Chalcedonensi, ejusdemque Symbolo, Eutychianæ & assectarum hæresi directè opposito, cognosci potest ac debet: Sic autem illud habet: *Sanctorum patrum sententiam secuti, vnum & eundem Filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM confitemur, & uno consensu omnes docemus eum perfectum in divinitate, perfectum etiam in humanitate, verè DEVM, hominem verè, eumq; ex anima rationis participe, & corpore constare, secundum divinitatem patri consubstantialem, nobis autem consubstantialem secundum humanitatem, nobisque in omnibus excepto peccato,*

Evagr. l. 2. hist. Eccl. cap. 4.

 simi-

similem, ante secula à patre genitum secundum divinitatem, in extremis diebus propter nos, nostramq; salutem, ex Maria virgine & Deipara natum secundum humanitatem: unum & eundem IESVM CHRISTVM, filium, Dominum, unigenitum, ex duabus naturis sine earum confusione, sine mutatione, sine divisione, sine secretione (ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως) cognitum, & naturarum differentiam propter copulationem, minimè sublatam, sed proprietatem utriusq; naturæ integram servatam & in unâ personâ, sive ὑποστάσει, ut Græci loquuntur, cohærentem, non in duas divisam personas; sed unum & eundem filium unigenitum, DEVM verbum, & Dominum IESVM CHRISTVM, sicut antiquitùs Prophetæ de eo, & pòst ipse de se ipsò nos docuit CHRISTVS, & Symbolum Patrum nobis tradidit.

Niceph. l. 18. hist. Eccl. c. 5. 2.

Accedit Nicephori etiam autoritas, qui Eutychianam hæresin his verbis definit: *Eutyches duas quidem & ipse ante Vnionem naturas dixit, deinde unitas: Post Vnionem autem in unam eas naturam abijsse, confusasq; esse, & mixtionem subijsse, opinatus est.*

His subscribit Vigilius lib. 2. contra Eutychen, discrimen Nestorianæ & Eutychianæ hærese n tale constituens: *Nestorius duas intuens naturas, duas putavit esse personas: Eutyches unam respiciens personam, unam censuit*

censuit esse naturam. Et quia est in CHRISTO *& naturarum proprietas, & personæ unio, Nestorius proprietatem attendens naturarum, à personæ excidit unione. Et Eutyches unam intuens personam, à naturarum proprietate descivit, & ipsam divinitatem asseruit passam. Vides quanti periculi res sit, aut vnam in* CHRISTO *non credere personam, aut duas confiteri nolle naturas. Dùm unam contra Nestorium,* CHRISTI *defendo personam, existimor secundum Eutychen, humanam negare naturam: dùm contra Eutychen duas assero naturas, existimor secundum Nestorium duas profiteri personas: quia ille duabus naturis duos Christos, duasq; personas credidit adscribendas.*

His ita præmissis, Quæ propriè Eutychiana fuerit hæresis, Oedipo divinatore haud amplius est opus: Res ipsa, quod ajunt, loquitur: quæ quatuor potissimùm videtur esse hypotheseωn:

1. *In Christo ante Incarnationem duas: post eam, unam tantum fuisse & esse naturam.*

2. *Ex Divinitate & carne per conversionem quandam, unam factam esse naturam.*

3. *Divinitatem verbi natam, passam, mortuã, & sepultam esse; sed κατὰ δόκησιν tantùm, non ἀληθῶς.*

4. *Christi carnem non esse nostræ consubstantialem.* Quarum tamen hypotheseωn hoc discrimen deprehenditur: quod

duas tantùm priores simpliciter pro suis agnovit Eutyches: Reliquæ verò posteriores duæ per bonam consequentiam, ac necessariò quidem ex præcedentibus duabus sunt extructæ: adeo ut frustrà omninò Eutyches duarum istarum propositionum atrocitate, falsò se gravari, fuerit conquestus.

Ajn' tu verò Sadeel; Errores istos Eutychianos ab Ubiquitarijs per dogma de omnipræsentia corporis Christi, mutatis duntaxat nominibus reponi? Rem seriam si agis, jure certè optimo in te retorquere possum illud Augustini, quod Tu nostris (sed ἀκαίρως) objicere soles: *Tùm omnes eos, qui in alijs scientijs versantur, tùm maximè viros Theologos, non maledicos convitiatores, sed veridicos disputatores esse oportere.* Age ergò, si convitiatoris maledici crimen à te amovere velis, demonstra rem ita se habere, & quidem non ex præconcepto quodam cerebri tui idolo, sed ex Confessionis nostræ verbis, ijsq; non contortis, verùm rectè intellectis, demonstra, vel unam istarum hypotheseωn à nostris unquam propositam, ullóve pacto defensam esse. Quæ enim de Locali & monstrosa illa Ubiquitate sive expansione corporis Christi, Tu & tui similes garriunt,

Aug. l. 2. cont. lit. petil. c. 32.

riunt, nos minimè feriunt. Talem enim omnipræſentiam corporis Chriſti, nemo noſtrûm, vel per febrim unquàm ſomniavit: neq; etiam novimus, an eò abſurditatis, vel impietatis potiùs, quiſquam unquam fuerit progreſſus, ut corpus Chriſti, locali quopiam ſive phyſico modo, in omnibus creaturis (& ut nonnullis veſtrûm, blaſphemè ſatis, loqui hactenus libuit) in omnibus lapidibus, piris, pomis, caſeis, cantharis cereviſiarijs, &c. ineſſe affirmaverit. Cum hoc dogmate ſi pugnas, & illud Eutychianum eſſe clamitas, certè cum lemuribus, ſive cum proprij cerebri figmento pugnas: & planè extra oleas vagaris. Quæ enim noſtrarum Ecclesiarum ſit Confeſſio, & num Eutychianas, an verò his è diametro oppoſitas propoſitiones ea teneat ac defendat; Libri ſanè noſtri Symbolici ſatis perſpicuè definiunt. Ex his igitur, de Accuſationis hujus veritate fiat judicium.

Sufficiat hoc quidem tempore, Unus Concordiæ liber, qui Anno *1580.* fœlicibus auſpicijs lucem primùm aſpexit: & quem Tu Sadeel, tuis notationibus ſubdolè pungis, Ille verò quatuor illis Eutychianis hypotheſibus quatuor haſce ex profeſſo opponit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

I. Credimus, docemus, & confitemur; jam in unâ illâ indivisâ personâ Christi, duas esse distinctas naturas: Divinam videlicet, quæ ab æterno est: & humanam, quæ in tempore assumta est. in unitatem personæ Filij Dei. Et hæ duæ naturæ in personâ Christi, nunquam vel separantur, vel CONFVNDVNTVR, vel altera in alteram MVTATVR: Sed VTRAQVE in suâ naturâ & substantiâ, seu essentiâ (in persona Christi) in omnem æternitatem PERMANET.

Decl. For. Con. Act. p. 737.

II. Credimus, docemus, & confitemur: quòd, ut natura utraque in suâ naturâ & Essentiâ inconfusa manet, neque unquàm aboletur: Ita etiam utraque suas naturales essentiales proprietates retineat, neque in omnem æternitatem eas deponat: & quòd unius naturæ proprietates essentiales nunquàm alterius naturæ proprietates essentiales fiant.

III. Hoc fateri te necessum est: Hæc persona (monstrato Christo) patitur, moritur: hæc autem persona est verus DEVS. Recte igitur dicitur: Filius DEI patitur. Etsi enim una ipsius pars, (ut sic loquar) Divinitas videlicet, non patitur: tamen ea persona, quæ DEVS est, patitur IN ALTERA SVI PARTE, nimirùm IN HVMANITATE. Revera enim filius DEI pro nobis crucifixus, hoc est, persona, quæ DEVS est. Ipsa enim, ipsa (inquam) persona crucifixa est, SECVNDVM HVMANITATEM.

pag. 745. ex Tom. 2. 2. VVit. p. 1888.

Et post pauca: Ex his liquet, non carere errore, si quis dixerit, scripseritvè, quòd commemoratæ propositiones (DEVS passus est, DEVS mortuus est) sint tantummodò prædicationes verbales, hoc est, nuda verba, sine re. Simplicissima enim Christiana fides nostra docet, quòd Filius DEI qui homo factus est, pro nobis passus, ac mortuus sit, nosq́ue sanguine suo redemerit. pag. 746.

IV. Christus Iesus jam in unâ persona simul est verus æternus DEVS, ab æterno ex Patre genitus: & VERVS HOMO, è laudatissima virgine Maria natus. pag. 737.

Hinc non verbale, sed reale anathema dicit Concordia ijs, *qui statuunt Naturam humanã propter personalẽ Vnionẽ, cum divinitate esse CONFVSAM, aut in eam TRANSMVTATAM ut Eutyches furenter dixit: quiq́ue dicunt, Humanam naturam in Christo, divinæ naturæ, suâ substantiâ sive Essentiâ, aut in suis essentialibus proprietatibus esse EXAEQVATAM.* pag. 292. 758. 759.

Sin hæc pro Ubiquitariorum defensione Sadeeli non sufficiunt, audiat quæso etiam Illustrissimos Germaniæ principes, reliquosq́; inclytos Magistratus, quos ipse suâ προσφωνήσει compellare voluit, adversus hoc Accusationis caput, gravissimis verbis protestãdo hunc in modũ excipere. *Theologi nostri disertis & expressis verbis, testatũ volunt:* præfat. For. Conc. B. 5. fac. 2.

volunt: Maiestatē illam, humanæ Christi naturæ extra Vnionē personalē nequaquàm adscribendā esse: nec etiam concedendum, quod humana natura eam Maiestatem, vel propriam, vel per se (etiam in vnione personali) essentialiter, formaliter, habitualiter, subiectivè poßideat. Nam si eam & dicendi, & docendi rationem teneremus, divina & humana natura, vnâ cum proprietatibus suis confunderentur: humana etiam divinæ, ratione essentiæ & proprietatum exæquaretur, imò verò tota negaretur. Protestationi huic, fidem si adhibere, porrò dubitaverit Sadeel, persuasum equidem habeo, ipsum neque crediturum, si vel maximè ex mortuis resurgerent, qui nobis innocentiæ & veritatis testimonium perhiberent: imò si ipse Eutyches reviviſceret, & nos publicè suæ sententiæ & hæreseωs hostes declararet.

Sed priusquàm ad tertium ἔγκλημα accessum faciamus, non possum non lectorem, pietatis simul & veritatis studiosum, per viscera misericordiæ DEI obtestari, ut totam hanc causam, de qua disceptatur, diligentius expendat, & judicium liberè faciat, an vel Sadeel, vel reliqui Sacramentarij, Eutychianæ hæreseωs nos insimulantes, causam Religionis SERIO agant. Si enim tales sumus, quales ab illis judi-

Digitized by Google

judicamur, & publicis ſcriptis proſcindimur & damnamur, Quì obſecro factum, ut Zvinglius & Oecolampadius, in colloquio Marpurgenſi, Anno 1529. à Luthero etiam atque etiam flagitaverint, vt ſe pro fratribus haberet & agnoſceret? Quî factum ut in Colloquio Mompelgartenſi, Anno 1586. Theodorus Beza à D. Iacobo Andreæ petierit, ut & ſe, & Symmiſtas pro fratribus agnoſceret, & dexteras fraternitatis porrigere vellet? Qui fit vt hodieque, neſcio qualem Syncretiſmum nobiſcum inire tentent Sacramentarij? Quis enim obſecro pius non toto pectore abhorreret ab eorum fraternitate & amicitia, quos abominandam Eutychetis hæreſin tueri noſſet? Nobis certè deteſtanda magis, quàm expetenda talis videtur fraternitas & amicitia. Sin verò Sacramentarij adhuc dubitant, nùm huic hæreſi ſimus addicti: Quæ hæc non modò temeritas & audacia, ſed impietas & extrema malitia fuerit, huius hæreſeωs coram universâ Chriſti Eccleſiâ reos nos nihilominus peragere? Cur obſecro non proferunt Concilium, Synodum, Conventum, in quo Lutherani (Ubiquitarij) legitime ſint auditi, & Eutychianiſmi convicti & damnati? Sed de hoc plus ſatis:

Pergant illi, si ita lubet, Calumniari audacter: Sed ita, ut graves aliquando pœnas justissimo Iudici, Christo Homini, cujus gloriam & Maiestatem, stylo satis blasphemo jam petunt, reddendas sibi esse meminerint.

DEPVLSIO TERTII.

ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ.

Pergit Sadeel, & Illustrissimis Germaniæ principibus ac Magistratibus Orthodoxis persuadere conatur, viros doctissimos, & præclarè de Ecclesiâ Christi meritos, si quando dixerunt, Corpus Christi est Omnipræsens, hoc voluisse dicere, *Corpus ejus, qui est Omnipræsens.* Rationem affirmati subijcit hanc, *quòd videlicet ipsi etiã veteres in hac quæstione Concreta pro Abstractis & vicißim Abstracta pro Concretis vsurpârint.*

Oedipo verò divinatore opus foret, vt quosnàm per viros illos doctissimos, deq; Ecclesia Christi præclarè meritos ipse intelligat, nobis cõstare possit. Sic enim non modo Illustrissimis, quos compellat, principibus & Magistratibus, de rei veritate rectius constare potuisset: Sed & nos de toto hoc Accusationis capite cõmodiùs judicare, nostramq; de eo sententiam faciliùs ferre potuissemus. Et sanè, dùm Sadeel,

deel, hac in parte more Heraclitco, σκοτεινὸς esse, & novam quasi Africani legem condere voluit: haud immerito ὑπȣλόντι fovere, censendus est. Aut enim suæ Confessionis homines intelligit, puta eos, quibus gens Sacramentaria Reformationis laudem, præ Luthero, adscribere haud dubitat, ut, Carolostadium, Oecolampadium Zvinglium: Aut nostros intelligit, & cum primis B. Lutherum, cui meritò palmam præferunt omnes, quotquot fuerũt, sunt & erunt per Germaniam verè reformatæ Ecclesiæ. Si illos: nobis rursus constare haud potest, si vel maximè ipsorum scripta, in succum, quod aiunt, & sanguinem convertamus: An ullus ipsorum, unquam hac phrasi fuerit usus, *Corpus Christi est Omnipræsens*: adeò ut contrarium ipsorum in libris nusquam non appareat. Sed sit ita tale quid scripserint, dixerint, vi veritatis adacti: Ecce mox Hyperaspistes eorum Sadeel, in foro totius Ecclesiæ clamitat, nihil dixisse ipsos aliud, quàm *Corpus ejus, qui est Omnipræsens*. Quodsi cum phreneticis, aut hominibus mente captis, res esset Adversario, persuadere fortassis illis posset, pro æquipollentibus habendas hasce propositiones: *Corpus Christi est Omnipræsens*: *& corpus ejus, qui est Omnipræsens* Sed largiamur Adversario, quosdam ex ipsorum socie-

ſocietate, ſub ejuſmodi flexiloquis loquendi modis, Eccleſiæ Chriſti turpiſſimè imponere fuiſſe ſolitos: Quemadmodum de Martino Bucero Lavaterus, & Joſias Simlerus in oratione de vita & obitu Petri Martyris perſpicuè teſtantur, quòd ambiguis & obſcuris loquendi formulis ſententiam ſuam de Certamine Euchariſtico propoſuerit: ut in utram partem magis propenderet, colligi planè non potuerit: quodq; Martyri ut idem etiam faceret, & utriq; parti ſeſe flexiloquis locutionibus accommodaret, autor ſuaſorq; extiterit. Nobis placet illud Nazianzeni: *Ἄλλοι μὲν οὕτω περὶ τῶν δογμάτων παιζέτωσαν: ἡμῖν δὲ τοιαῦτα παίζειν, οὐκ ἀσφαλές.*

Sin verò Lutheranos, hoc eſt, Orthodoxos Auguſtanæ Confeſſ. *γνησίως* ac propriè ſic appellatæ Doctores notare voluit Sadeel: hujuſmodi certè *στρεβλότητα*, quoad phraſes, vel quoad ſenſum & interpretationẽ in ipſorũ libris deprehendi, haud magis ipſe probabit, quàm cum Anaxagora probaverit, Nivem eſſe nigram. Quæ enim Lutheri, de hac propoſitione fuerit ſententia: & quantùm abhorruerit à Zuingliana illâ *ἀλλοιώσει*: nemini poteſt eſſe dubium, qui vel extremis ſaltem labris degu-

deguſtavit, vel externo duntaxat auditu percepit, quo ſenſu ſive intellectu iſthæc ipſi veniat propoſitio: *Corpus Chriſti eſt Omnipræſens.* Et quamvis Lutherana interpretatione adhibita hæc etiam Interpretatio Sadeelis admitti poſſet, ut nimirum diceremus, corpus hoc, eſſe ejus, qui eſt Omnipræſens: Totus nimirûm, ſecundum utramq; naturam, & ſic etiam ſecundum corpus hoc ſuum. Minimè tamen latere nos poteſt, qui nam anguis lateat in herba: Veteratoria nimirum illa ἀλλοίωσις, ſub qua & olim Zuinglius, & hodiè Calviniani, caſſes Neſtorianiſmi ſimplicioribus tendunt Quæ qualis ſit, haud incõveniens fuerit ex Confeſſione Majori B. Lutheri altiùs cognoſcere: Sic autem ille: *hoc Zuinglius vocat allæoſin, cùm aliquid de divinitate Chriſti dicitur, quod tamen humanitatis propriũ eſt: & contra.* Ut Exempli gratia: *Cùm Filio DEI Crucifixio & mors tribuitur: & viciſſim: Filio Hominis gloria & Majeſtas divina aſſcribitur: ibi prius illud ſimpliciter de humanâ naturâ: poſterius hoc unicè de divina accipi debere, ſomniavit.* Et hoc eſt illud, quod Sadeel mox ſubijcit, Intelligendas has eſſe propoſitiones, eo ſenſu, quo à Veteribus nonnullis concreta pro Abſtractis, & vice versâ, Abſtracta pro concretis ſint uſurpata:

pata: De quo προοχήματι quid sit statuendum mox videbimus. Audiamus prius Lutherum, suam de hac ἀλλοιώσει sententiam pertractante. *I. Cave, Cave tibi,* inquit ille, *ab hac allœosi Zuinglij: Est enim larva quædam Diaboli, quæ talem tibi CHRISTVM fingit, à quo ego Christianus appellari nolim, nempè, ut CHRISTVS deinceps non aliud sit aut agat sua passione vitaq; omni, quàm quivis ex Sanctorum grege. Enimverò si CHRISTI humanam tantùm naturam pro me passam fuisse credo, leviculus Salvator Christus mihi fuerit, sed ipse potius Salvatore opus habet. Imò dici non potest, quid mali Diabolus sub istâ larvâ quærat.*

Tom. 11. VViteb. pag. 188. Confess. Major.

II. Stante ἀλλοιώσει Zuingliana, persona Christi solvatur, & in duas personas redigatur necessum est. Nam si passiones, actiones atq; opera Christi segregantur, & naturis tribuantur, Vnitas personæ tollitur. Operationes enim & passiones non sunt naturarū, sed personæ tantùm propriæ.

III. Isto Zuinglij dogmate omnis omnium Christianorum fides & salus è medio tollitur. Qui enim à sola humanitate redemtus est, nondum sanè redemtus est, neq; unquàm redimetur.

Neq; vero statuendum, quod quæ de primo & secundo Cōmunicationis Idiomatum genere adversus ἀλλοίωσιν Zuinglij disputavit Lutherus, ea in tertio, quòd agit de Majestate & gloria divina, humanitati

nitati communicata, neglexerit: & illam cumprimis propositionem, de qua hoc loco disceptatur, corpus Christi est Omnipræsens, more ac sensu Sadeelis interpretatus fuerit. Reclamat enim ipse rursus eodem in libro. *Cum CHRISTVS talis homo sit, qui præter naturæ ordinem cum Deo una est persona: & extra hunc hominem nullus Deus reperiatur, necessariò conficitur, quod etiam juxta tertium supernaturalem illum modum sit, & esse possit VBIQVE, VBI DEVS EST: ita ut omnia plena sint CHRISTI, ETIAM IVXTA HVMANITATEM.* Frustrà proinde laborat; imò mala fide agit Sadeel, si Reverendi hujus patris, de hoc negocio, pronunciata in dubium vocare, aut ad sensum Calvinianum detorquere velit.

Sed quid si Adversarius, non Lutherum magis, quàm Jacobum Fabrum Stapulensem, popularē suū, celeberrimū illū, ut Abbatis Spanheimij verbis utar, Belgiæ Philosophum, quin imò totius Galliæ VNICVM Decus perstringere, ipsumq; Zuinglianæ hujus interpretationis socium proclamare voluit? Hunc enim Lutherano planè & sensu & stylo Omnipræsentiam corporis Christi stabilivisse, adeò certum est, ut haud ita pridem Sacramentarius quidam, Patrem quasi & Patriarcham Dogmatis Ubiqui-

Autor libri de Orig. Vbiquitatis. p. 19.

A. 1597. Genev.

Ubiquitarij, ipsum proclamaverit. Sed audiamus ipsum suorum verborum interpretem. Sic enim ille in 1. Cor. 12. *Imò neq; Europa, neq; Asia, neq; africa CAPAX est plenitudinis corporis Christi, corporis inquam Christi, cui Corpora nostra spirituali modo uniuntur, & , ut sic dicam, incorporantur; QVOD COELVM IMPLET ET TERRAM. Est enim ubicunq; VERBVM est: Nam VERBVM caro factum est: Quare verbum NVSQVAM est sine carne: neq; caro illa sine verbo. Videte, NE CORPORALIS IMAGINATIO NOS HIC LAEDAT, LOCA MVLTIPLICANS, SPACIA DISTENDENS.* Idem. *MAGNA est fides cognoscere Christum corporaliter esse, vbi Sacramentaliter est: sed MAIOR est cognoscere, EVM ABSOLVTE VBIQVE CORPORALITEER ESSE.* Experiatur hîc vires Ingenij sui Sadeel, cum vniversa gente Sacramentaria, & fidem nobis faciat, Stapulensi propositionem, quâ corpus Christi dicitur esse Omnipræsens, idem planè sonuisse, ac illam, Corpus ejus, qui est Omnipræsens. Nos interim, donec ille vel de Luthero, vel de Stapulensi, vel de alijs viris doctissimis, deq; Ecclesia Christi præclarè meritis, paradoxon hoc probaverit, ad σοφὸν illud φάρ-

μακον

μαχον, quo assertioni suæ fucum sive cerussam aliquam illinire conatur, accessum facimus.

Etsi verò minimè negamus, In Patrum Scriptis non rarò Abstracta pro Concretis: & Concreta vicissim pro Abstractis posita reperiri: novimus tamen & illud, minùs accuratè ac propriè ipsos locutos fuisse, præsertim ante mota Nestoriana & Eutychiana certamina: ubi haud pauci illorum, de Naturis verba facturi, vocabulis utebantur Concretis, ubi Abstractis utendum erat: Ut cùm Athanasius; *Filius Dei*, inquit, *nostrum assumsit Hominem quem paßioni tradidit, & in eo resurrexit.* Et vice versa, Personam designaturi, Abstractis uti solebāt vocabulis, ubi Concretis opus fuerat: Ut cum idem Athanasius dicit: *Illa Caro suspensa est in Cruce, non verò ipse.* Quibus improprijs & incommodis locutionibus Patrum, rectè licet alioqui sentientium, cùm Nestoriani posteà & Eutychiani, ad errores suos palliandos, & imprudentioribus obtrudendos abuterētur: non modò nonnulli ex Patribus posterioribus cautè magis loqui didicerunt: Sed & Orthodoxi quiq; semper statuerunt; In locutionibus Patrum, magno & accurato delectu opus esse, neq; temerè quibusvis,

Tom. 1. in expos. fidei.

C sine

ſine commodâ adhibitâ interpretatione, eſſe utendum. Qua ſanè cautione tantò magis hodie opus fuerit, quantò majore aſtu ac fraude Neſtorianorum more, gens Sacramentaria virus ſuum ſub mutuâ hac concreti & Abſtracti permutatione occultare ſtudet: cùm rectè quidem dici poſſe concedunt. *Hic Homo eſt Deus, eſt Omnipotens: eſt Omnipræſens: Sed in Concreto.*

Hoc quid ſit, patet ex Seraphicâ & Cherubicâ iſtorum hominum Theologia, quam nuſpiam non ſuis in ſcriptis manifeſtè produnt. Dicentes enim. *Hic Homo eſt Deus, eſt Omnipotens, Caro Chriſti eſt Omnipræſens*; nihil intelligi volunt aliud, quàm Deus eſt Deus, eſt Omnipotens, eſt Omnipræſens ille, qui aſſumſit humanitatem, ſive Carnem: ita, ut Prædicata, (*Deus, Omnipotens, Omnipræſens*) nihil prorſus pertineant ad hominem, ſive humanitatem aut Carnem Chriſti. Cùm enim Deitas & Humanitas ſint diſtincta & diſparata: ideoque etiam neque Deum eſſe poſſe Hominem: neque Hominem Deum, aut Omnipotentem, aut Omnipræſentem eſſe poſſe, inferunt: uti videre eſt in conſenſu Calviniſtico pag. 243.

Sed

Sed quo quæso pacto Magiſtrorum iſtorum ferulam effugiet ſanctiſſimus Euangeliſta Johannes, qui ſcribere non dubitavit; *Verbum Caro factum eſt.* Quod ſi enim Verbum ex hypotheſi Calviniana, non poteſt eſſe Caro: Quî nam obſecro Verbum verè Caro factum eſſe affirmabit Johannes? Sed fortaſſis Johannes ſuum pronunciatum ad ſenſum Calvinianum attemperare cogetur, ut impoſterum dicat & ſcribat: Verbum Caro factum eſt, hoc eſt, verbum aſſumſit quidem & habet carnem, ſed non eſt Caro. Qua interpretatione ſummum illud, ac verè tremendum Incarnationis Filij Dei, ipſiusque adeò Unionis perſonalis myſterium penitùs elevatur ac eluditur. Cui impietati, Orthodoxi hoc Pietatis dogma opponunt; *Reciprocam quaſi naturis iſtis diverſiſſimis, ex Vnionis Myſterio conditionem obtigiſſe: ut, quemadmodum λόγος, Caro factus eſſe dicitur: Ita vice verſa, Homo ille & Caro illa Deus eſſe credatur: neutrum ſcilicet, naturæ propriæ in diverſam transformatione: ſed utriuſq; veriſſima unione: præcipuè autem Carnis in ſe ἀνυποστάτου, hoc eſt, Perſonalitatem nullam habentis, intra ipſam τοῦ λόγου ὑπόστασιν aſſumtione.* Eum

 ferme

fermè in modum, ut quemadmodum Anima propter Corpus, cum quo Naturaliter est unitũ, Incorporata, Corpus verò propter Animam Animatum dicitur: Siquidem neutra Essentia seorsim jam est, quod dicitur: Sed Unum Individuũ Naturale, quod est Homo, simul constituunt: Ita ex Unione Hypostatica duarum naturarum in Christo, & inde subsequente Naturarũ κοινωνίᾳ, λόγος jam σαρκωθεὶς, sive σὰρξ γενόμενος: Caro verò ἀποθεωθεῖσα, ut Patres loquebantur, Deificata: vel quod idem est, Homo DEUS, & vice versa DEUS Homo dici possit ac debeat.

Neque φορμίγγων hæc sunt περιπτώματα: Sed Reales omninò propositiones: quia res ipsa & veritas illis subest: neq; verbotenus duntaxat sive ἀλλοιωτικῶς DEUS dicitur esse Homo, & Cõtra, aut Filius hominis Filius DEI, & cõtra: Sed verè ac realiter: Personaliter enim Filius DEI idem est, qui Filius Hominis: & contra. Erronea proinde nedùm impia est phrasium istarũ interpretatio, quâ sensu Sacramentario dicitur: *Homo Christus est DEUS, non quâ Homo, sed quâ DEUS. Aut, CHRISTUS DEUS est Homo, non quâ DEUS, sed quâ Homo:*

Digitized by Google

Homo : Aut, Christus est Filius DEI, *quâ* DEUS, *non quâ Homo.* Non enim hîc quæritur aut Controvertitur de Naturis, Unde Christus sit Naturalis DEI Filius; vel Unde sit verus Homo. Sed de persona quæritur, quæ cùm Una numero sit, licet σύνθετος in duabus naturis subsistens: Efficitur; ut sive Filium Hominis, sive Filium DEI dicas, non jam Naturam, sed personam unam eandemq; dixeris, quæ est DEUS & Homo: & DEI & Hominis filius.

Quod ipsum de proprietatum etiam κοινωνία, quæ ex reciproca ista Naturarum conditione oritur, (distinctis tamen servatis gradibus) omninò est statuendum. Quemadmodum enim fieri non potuit, quin quicquid in Assumptione Carnis sub Unionem venit: illud etiam, & sic non naturæ nudæ, sed proprietatibus suis instructæ, sub κοινωνίαν venirent: Ita fieri etiam nequit, quin non mediante hac κοινωνία verè ac realiter ea quæ propria sunt Hominis, jam in personâ, tribuere possis ipsi Filio DEI, & verè affirmare, Filius DEI natus ex Maria virgine, est crucifixus à Judeis, &c. Et vice versa, ea quæ propria sunt divinimitatis, jam in per-

ſona etiam, tribuere poſſis ipſi Filio Hominis, & verè affirmare Homo Chriſtus, ſive Chriſtus ſecundũ humanã naturã eſt Omniſcius, Omnipræſens, Omnipotens &c. Hoc tamen obſervato diſcrimine, ut cùm divina natura ſit Aſſumens nòn Aſſumta: ſit etiam αὐτοτελὴς καὶ ἀμετάβλητος, & neque in deteriorem neque meliorem ſtatum mutari poſſit: ideò etiam humana illa propria, de Filio DEI tantùm in Concreto prædicentur: Contra verò, cùm Humana natura exaltari & perfici potuerit; imò verè exaltata ſit, ideò divina attributa, de Humanitate in abſtracto prædicentur.

Sed hæc quaſi παρασυνδικῶς: Ad propoſitũ ζήτημα ut redeamus, Divinitùs quidem cum Luthero factum eſſe libenter fatemur, ut uſus & diſcrimen vocabulorum Abſtracti & Concreti in Eccleſia inventum & receptum ſit: verùm cùm infinita ſint fermè involucra diſputationum de hiſce vocabulis: & haud obſcurè ſaniori doctrinæ ſub ijsdem inſidias ſtruant Adverſarij, probè attendendũ fuerit, quænàm ſignificatio iſtorũ vocabulorũ, in hac diſputatione propriè locum obtinere poſſit. Relegamus autem ex hoc myſterio eam Abſtracti ſignificationem, quâ

Luth. in cap. 53. Ieſaiæ.

Naturæ

Naturæ in Christo extrà Unioné, ἰσχναῖς quasi ἐπινοίαις, ut Damascenus loquitur, à se invicem separantur, & quid quælibet in se, per se, & ex se, extra Unionem habeat, attenditur. Hìc enim locum habet illud ejusdem Lutheri, eodem in libro graviter admodum scribentis: *Hoc non est faciendum; non enim separanda sunt abstracta, alioqui fides nostra falsa est: Sed credendum est in Concreto, Ille Homo est DEVS. Item: Hoc loco de Abstracto tacendum est prorsus, quia fides docet. hîc nullam esse abstractionem, sed Concretionem & copulationem utriusq; naturæ.* Verùm per Concretum intelligimus ipsam personã, subsistentem in duabus Naturis: seu Constantem duabus Naturis, Divinâ & Humanâ: Per Abstractũ vero notamus ipsas Naturas in Christo: distinctè quidẽ: Sed nõ divisim aut separatim, hoc est, extra unionem, verùm semper in ea consideratas. Sic in modis etiã loquendi, sive prædicationibus magna adhibenda est cautio, ut non confusè quidvis de quovis, propter Unionẽ hanc ꝑdicandũ esse noverimus. Nunquam enim Abstracta de se invicẽ prædicãtur: Siquidẽ in ipsa etiã Unione, sine cõfusione, Naturę manẽt distinctæ. Haud ergo dici potest: Divinitas est humanitas, & contra. Interim vero cõcreta de se invicẽ,

Digitized by Google

& de ὑποστάσει in duabus naturis subsistente prædicari posse concedimus: Ut exempli gratia, rectè dicitur, DEUS est Homo: Homo est DEUS: Filius hominis est Filius DEI, & contra. Rursus Abstracta non possunt prædicari de Concretis: ut λόγος est humanitas sive humana Natura: vel: Homo est divinitas aut divina natura: Quemadmodum nec Concreta prædicantur de Abstractis: ut Humanitas est DEUS: Divinitas est Homo.

Sic notandum est & illud, quòd, licet de humana natura in abstracto prædicentur ea, quæ divinæ sunt propria: ut quando dico: Humanitas Christi est Omnipotens, omniscia: Vel Caro aut Corpus Christi est Omnipsens: Sensus tamen semper est Cócretivus, ut Scholastici loquuntur: Siquidé Humanitati etiam in ipsa Unione, nihil quicquã per se, & secundum se tribuitur, quod Deitatis est proprium: Sed ostenditur, quid Christus secundum humanitatem ex gratia acceperit, quod ex Naturâ non habebat: quemadmodum ex subsequente tractatu dilucidiùs hoc patebit.

Proinde pedem hîc figo; & ab ulteriore refutatione, trium istorum Sadeelis ἐγκλημάτων, quibus Ecclesijs per Germaniam VERE Reformatis litem publicè in-

tendere

tendere voluit, hoc quidem tempore receptui cano.

CORONIDIS loco ad duo illa Sadeelis postulata paucis respondendum fuerit, quibus à futuro Refutatore Tractationis hujus, de veritate humanæ Naturæ IESV Christi flagitat, *1. Vt moderatè sine convitijs: 2. Vt eadem Methodo Scholastico-Theologicâ agat.*

Quoad prius: placet sanè nobis quoque illud Augustini: *Reÿciendos & aversandos esse, quibus altercandi potiùs, quàm disserendi genus arridet: quippe non momentorũ pondere urgentes, sed maledictorum levitate criminantes.* Sed interim rogamas etiam Sadeelem, vel potius eos, qui ejus patrocinium adversum nos fortassis suscipient, ut minùs ægrè molesteque ferant, si interdum, rei ipsius gravitate sic ferente, secundum admonitionem servatoris SALEM sermoni nostro admisceamus, & manifestis impietatibus cum Apostolo Anathema & Maran-athâ dicamus: præsertim cùm non cum Infirmis in fide; quos cum omni lenitate ac mansuetudine tractandos esse novimus: Sed maximam partem, cum αὐτοκατακρίτοις, qui Ingenij sui placita, & Rationis dictamen, ipsi gloriæ DEI & Ecclesiæ paci ac tranquillitati, præferunt,

Matth. 5. 13.
1. Cor. 16. 22.

runt, nobis ex professo futura sit disputatio.

Ies. 8. 20. Quoad Posterius postulatum, respondere sanè possumus cum Iesaia: Ad legem & ad Testimonium: Nisi dixerint secundum hæc, non videbunt auroram matutinam: Et cum D. Irenæo excipere, Solam scripturam Sacram esse lucernam illam ἑπτάμυκον. Christi lumen bajulantem: Verùm ne palæstram subterfugere videamur, studebimus utiq; sed secundum illud Socraticum κατὰ δύναμιν pro ingenij tenuitate, ita & nostram asserere doctrinam, & adversarij refellere argumenta, vt nemini sano obscurum esse possit, nos quoque τρόπον τῆς ἐπιστήμης, & cumprimis Instrumentum illud, quo vera à falsis separari possunt, quodq; Demonstrationem Logici appellitant, & rem per causam cognoscit, minimè neglexisse. Eam enim demum verè scholasticam, vel vt propriè magis loquamur, Logicam διέξοδον esse cum acutissimo Schegkio statuimus, non quæ rationis humanæ vmbrā consectans, lumini & splendori verbi Dei sese opponit, aut μεταβαίνει εἰς ἄλλο γένος, propriaque disciplinarum confundit: Hanc enim jam pridem ex agro Ecclesiæ relegavit Apo-

Iren. l. 5. cap. 17.

stolus

ſtolus, Col. *2.8.* Sed quæ de quolibet Problemate (*cuiusq; tamen diſciplinæ & profeſsionis principiis & fundamentis inſiſtens*) exquiſitè & accuratè diſſerit: & materiam argumentorum ac rationum non affert, ſed propoſitam rectè digerit & diſponit. Hos limites ſimul ac, in divinis præſertim, prætergreſſa fuerit, mox *Sophiſticæ* nomen, naturam ac definitionem meretur: quippe quæ ſub ſpecie ac ſimilitudine veri alios decipit & RATIONIS innitens principijs, non poteſt non errorum præſtigias incautis & ineruditis offundere. Quod ſi enim, autore Philoſopho, mẽs noſtra, tanquàm Noctuæ oculi in claro Solis ſplendore, in ijs, quæ Naturæ ſunt clariſsima, cæcutit: multò certè magis in rebus divinis, quæ Animalis homo non percipit, RATIO noſtra occæcata ſit, neceſſum eſt. *1.* Cor. *2.14.* Ariſt. l. *2.* br. Metaph. c. *1.* T. *2.*

Priuſquam verò ad ipſam Argumentorum Sadeelis Refutationem acceſſum faciamus, obſervare viſum fuit præceptum illud Philoſophi, quo iubet ut ſi errorum fontes penitùs obſtrui debeant, ad ipſum πρῶτον ψεῦδος aſcendatur. Proinde ipſa Erroris Sacramentarij in hoc quidem de perſona Chriſti articulo, primam quaſi ſcatu-

ſcaturiginem προσθήκης, locò inveſtigare placet, quæ quinque videtur eſſe hypotheſeων.

1. Negativam, qua corpus & ſanguinem Chriſti, in Sacramento cœnæ, externis ac viſibilibus Symbolis & Elementis præſentia eſſe, conſtantiſſimè inficiantur, ſalvari haud poſſe intellexerunt, niſi communicatio Maieſtatis, quæ Filio Hominis, vel Chriſto ſecundum humanitatem obtigit, ſimul negetur: imò funditus evertatur.

2. Hinc Unionis Hypoſtaticæ duarum naturarum in Chriſto modum nullum alium eſſe poſſe autumnant, quàm qualis eſt illius præſentiæ, quâ λόγος vel Angelis, vel reliquis Sanctis adeſſe creditur: ut gradibus duntaxat à ſe invicem differre, ſtatuendum ſit.

3. Rationis humanæ judicio myſterium hoc ita unicè metiuntur, ut nihil amplius μονότροπον, nihil ὑπὲρ τὴν φύσιν καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, ut Iuſtinus Martyr loquitur, relinquant. Quod ſi enim (ut Sacramentariorum hypotheſibus utar) Myſterium hoc unionis in eo ſolo vertitur, vt *1.* Humana natura à λόγῳ tantùm geſtetur, & in æternum ſuſtentetur: *2.* ut magnis

magnis quidem, & Angelicâ etiam potestate excellentioribus, donis ac virtutibus, finitis tamen, creatis, & cum divina Maiestate nihil commune habentibus sit donata. 3. Ut proprietates naturales Corporis physici non modò in æternum retineat. (id quod nos etiam ipsi fatemur) Sed & sine harum abolitione, & sic sine destructione humanæ naturæ, neq; divinas operationes edere, neque corda hominum scrutari, neque Ecclesiæ, & gubernationi Creaturarum omnium cœli terræque vbiq; præsens adesse queat. 4. Ut in ipso etiam gloriæ statu, sit maneatq; σύνδουλος ac proinde nullo adorationis cultu, prosequenda, &c: Quod si inquam in his & similibus Terminis UnioHypostatica versatur, uti certè, secundum Sacramentariorum sententiam vnicè versatur: edicat quæso nobis Sadeel, quidnam singulare, quid μονότροπον καὶ ἐξαίρετον in hac Unione maneat reliquum: Quam tamen Gentium Apostolus, non sine caussa, ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον indigitare voluit.

1. Tim. 3. 16.

4. Hoc ipsis evenit, ut, cùm Orthodoxum Ecclesiarum nostrarum de Maiestate Christi Hominis dogma, argumentis evertere se haud posse videant, mox pro

Iphi-

Digitized by Google

Iphigenia Cervam, vt est in Poetarum fabulis; hoc est absurdum aliquod nobisq; inauditum nedùm creditum dogma, de Locali quapiam Ubiquitate, de duabus Omnipotentijs, Omniscientijs, &c. substituant, & impugnent: ac sic perpetuis παρελέγχοις aberrent.

Aristot. l. 2. de cœlo cap. 1.

5. Ita Loco & Localitate, reliquisque (ut Philosophus loquitur) θνητῶν σωμάτων δυσχερίαις, Humanitatem Christi, ceu vulgaris alicuius Hominis Corpus, definiunt & circumscribunt: ut Λόγος illam, non nisi *Localiter*, in UNO quopiam certo Loco, præsentem sibi habeat.

Quæ sanè sola Loci & Localitatis consideratio, totam hanc controversiam peperit, dùm Ratio humana nullum alium præsentiæ modum Christo quâ HOMO permittere novit, quàm localem. Quæ Imaginatio si removeretur, (uti certè ex hoc mysterio removenda est) mox Omnis Controversia cum Sacramentarijs, quoad hunc quidem Articulum, esset sublata.

Quod

QUod eruditorum plerique graviter admonent, tùm Authoribus, tùm Lectoribus librorum, subinde ad ipsas inscriptiones respiciendum esse, seduloq; cavendum, ne vel plus, vel minus, vel falsum, vel alienum Inscriptio promittat, quàm ipsa habeat Tractatio: id nobis quoque in præsentiâ, cumprimis observandum fuerit. Promittit Sadeel, disputaturum sese de veritate Humanæ Naturæ IESV CHRISTI: id quod sanè, adversus Marcionitarum, Apellitarum, Manichæorum, Eutychianorum, aliorumq; hæreticorum, eam negantium, blasphemias, nemine nostrûm reclamante, bonâ cum gratia & venia ipsi licuisset. Cæterum cum mox in limine capitis primi, adversus Commentum (ut ipse quidem loquitur) de Omnipræsentia Humanæ Naturæ CHRISTI, calamum ac tela sese stricturum, apertè profiteatur: non potest certè non Inscriptio isthæc, quippe ὑποβολὴν fovens: & Orthodoxos Maiestatis Christi Hominis assertores, falsa suspicione negatæ veritatis Humanæ Naturæ, subdolè gravans, nobis vel maximè esse suspecta. Quid enim? Anne qui Omnipræsentiam CHRISTO secundùm Humanam etiam Naturam ex Unione personali obti-

obtigisse asserit: ipsam statim Veritatem Humanæ Naturæ negaverit, sustulerit? Fallit ac fallitur gens Calviniana, & (ut de suo hoc mihi Servator largiatur) Scripturas nescit; Deiq; virtutem, ac illud ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον quo Deus in carne manifestatus, imo Caro factus est, non assequitur: & usque adeò non assequitur, ut dum Communicatam hanc Humanitati Christi, divinam Majestatem negandam sibi sumit: imprudens semetipsam infelicissimis Nestorianæ impietatis cassibus involvat, ac irretiat. Quod ne durius cuipiam videri possit, age, ipsa Sadeelis sequamur vestigia: & quam Capite primo, suarum Ecclesiarum, de hoc singulariter mirabili, & mirabiliter singulari mysterio, Confessionem edat, propiùs inspiciamus: eaque ad amussim sacrarum literarum accuratiùs appendamus. Sic dicti patebit veritas.

Matt. 22. 29.
1. Timot. 3. 16.

CONFESSIO SADEELIS, *imò Ecclesiarum Calvinianarum omnium, de mysterio unionis Personalis duarum Naturarum in* CHRISTO.

Credi-

Credimus, inquit Sadeel, in una persona, quæ est IESVS CHRISTVS, Humanam Naturam à λόγῳ assumptam, cum ipso λόγῳ inseparabiliter & inconfusè unitam esse, salvis utriusque Naturæ proprietatibus: ipsamq́; Naturam Humanam summis & incomprehensibilibus donis exornaram esse, quatenus ipsius Naturæ essentia ferre potest. Quæ quidem Confessio trium videtur esse hypothesium, in quas etiam commodè eam resolvi, & secundum illas accuratius examinari posse, existimamus.

1. *In una persona, quæ est IESVS CHRISTVS, Humana natura à λόγῳ assumta, cum ipso λόγῳ Inseparabiliter & Inconfusè est unita.*

2. *Qualibet Natura in ipsa etiam Vnione salvas retinet proprietates suas.*

3. *Humana Natura summis quidem & incomprehensibilibus donis est exornata: sed quatenus ipsius naturæ Essentia ferre potest.*

I. Hypothesis Confeßionis Calvinianæ: ejusdemq́; Examen.

 Quoad

Quoad primam Hypothesin, si externum verborum sonum ac sensum respicias, juraveris, Calvinianos verè credere, duas naturas Divinam & Humanam, Personaliter in Una persona CHRISTI esse unitas: &, ut Sadeel ex Augustino repetit, modo singulariter mirabili, & mirabiliter singulari. Sed fumos venditant isti homines, quantumvis etiam splendidis verbis de Unione Personali duarum in Christo Naturarum disserant: cùm in corde suo frigidissimè de ea sentiant, suisq; disputationibus universum hoc mysterium, quantum in ipsis, subruant & evertant; inque Classem ac ordinem rerum rationi subjectarum sic redigant: ut nihil jam mirabile, nihil singulare, nihil ineffabile amplius relinquatur: Sed omnia pulchrè effabilia, & rationi consentanea. Id quod ex hac ipsa Confessione Sadeelis, sociorumq; ipsius scriptis, ad oculũ demonstrare, fert animus: Vos interim Sacramẽtarij aures arrigite, animumq; advertite dictis.

August. l. de correpț. & grat. c. 11.

Argumentum primum hoc esto.

Quicunque negant Humanam Naturam assumtam, in ὑποστάσει τοῦ λόγου, supra & extra omnem Locum esse evectam: ij negant etiam Humanam naturam, in ipsam usque Vnigeniti Filij Dei ὑπόστασιν esse evectam: & per Consequens ipsam Vnionem negant & tollunt.

Digitized by Google

At verò Sacramentarij omnes uno ore prius illud negant: Ergo, hoc posterius.

Connexum & Ratio Majoris evidentissimè patebit; si diligentiús observaverimus, Terminũ illum, IN QVEM Humana natura est assumta: eundemq; ad Adversariorũ doctrinã accõmodaverimus.

Est verò TERMINVS ILLE IN QVEM, non LOCUS aliquis Physicus, assumtam humanitatẽ circumscribens & ambiens: Sic enim foret Consequens: *1.* Humanam Naturam in Loco illo, in quem est assumta, propriam obtinere personalem subsistentiam: Locus enim nulli rei per se ἀνυποστάτῳ, subsistentiam largiri potest. At vero hoc absurdum & impium. Ergo. *2.* Humanam Naturam Loco illi, in omnem æternitatẽ manere affixã: Siquidẽ in quod aliquid, per se ἀνυπόστατον, semel est assumtũ: in eoq; SOLO suum τὸ εἶναι obtinet: illud ex eo etiam, sine dissolutione Unionis, & redactione in nihilum rei assumtæ, nunquã dimoveri potest. At verò hoc rursum, de Humanâ Christi naturâ vel cogitare nefas fuerit. Ratum igitur & firmum manet, Locum non posse ulla ratione dici, nedum esse, Terminum, in Quem Humanitas est assumta.

Alius proinde fuerit inquirendus: Eum verò monstrat Euangelista Ioannes c. *1.14.*

Digitized by Google

fasciculum colligens, præclarè infert, lib. 3. orth. fid. cap. 9. *Ipsius λόγου ὑπόστασις, utriusq; naturæ ὑπόστασις existens, nullam ἀνυπόστατον insubsistentem esse permittit, neque alterius esse ὑποστάσεως: neque quandoq; hujus, quandoq; verò illius, sed semper utriusq; ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως est ὑπόστασις: non secta & divisa, partem sui huic, partem illi distribuens: sed tota hujus, & tota illius ἀμερῶς καὶ ὁλοσχερῶς existens. Non enim in propriâ subsistentiâ sustentata est Dei verbi Caro, neque in aliâ ὑποστάσει facta est, quàm in Dei verbi ὑποστάσει: sed in ipso sustentata & subsistens potius, neq; secundum propriam subsistens ὑπόστασιν facta est. Quapropter neq; αὐϋπόστατος est, neq; Trinitati superadit ὑπόστασιν.* Quibus ita præmissis, sic jam invictè inferimus.

Quicquid est assumtum non in Locum aliquem: Sed in ipsam, imò intra ipsam τοῦ λόγου ὑπόστασιν, quæ illocalis est, & ad quam locorũ spatia ac διαστήματα nulla possunt pertingere: id mediante hac ipsa Vnione & assumtione, non potuit non extra & supra omnem locum evehi.

Nisi enim hoc concedatur: Consequens fuerit, 1. aut ὑπόστασιν τοῦ λόγου esse Locale quiddam. 2. aut Humanam

naturam non intra ὑπόστασιν τῦ λόγυ esse assumptam: ac proinde alium assumtionis Humanæ naturæ Terminum in Quem esse confingendū. 3. aut duos etiam diversos dandos esse Terminos in Quos: Unum, ὑπόστασιν τῦ λόγυ illocalem: alterum verò, Locum quendā Physicū, qui ex Calvinianorum sententia, Naturum assumtam subsistentem etiam in ὑποστάσει τῦ λόγυ semper circumscribat & ambiat, ita quidē ut Humanitas ex parte sit assumta in ὑπόστασιν τῦ λόγυ: ex parte verò in Locum aliquem physicū. At verò primū illud consequens, manifesta blasphemia laborat: alterum, ipsam Unionem duarum Naturarū in Christo penitùs tollit & subruit: tertiū verò & postremū adeò manifestè absurdū & impium est, ut ne fando quidem hactenus illud auditum fuerit. Constat proindè Propositioni sua certitudo & invicta veritas: sequitur Assumtio.

Atqui verò Natura humana, assumta est per Vnionem personalem, non in Locum aliquem: sed in ipsam ὑπόστασιν τῦ λόγυ illocalē, omnemq; Loci considerationem & respectum infinitis modis transcendentē: in qua etiam TANTVM subsistit.

Ergo Natura Humana, mediante hâc ipsâ Assumtione, non potuit non extra & supra omnem Locum evehi.

Jam

Jam verò isthæc omnia negare Sadeelem & Complices, tàm certum est, quàm certum, solem lucere in meridie: Quin ergo ipsum Unionis hujus mysteriũ funditus negent, impugnent, evertant, Naturas ipsas cum Nestorio divellant & separent. Pio cuivis, & ἄνευ προκρίματος judicanti, dubium esse nequit: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

II. Argumentum, quo probatur Calvinianos non credere Vnionem personalem duarum Naturarum in CHRISTO.

Sed ut validius ex proprio ipsorum ore & scriptis redarguamus Adversarios, & evincamus, quod nihil prorsus dè magno hoc pietatis mysterio in corde suo credant: sic lubet argumentando pergere:

Quicunque credit & docet, λόγον sive divinam naturam esse, ubi non est Caro assumta: ille Vnionem hanc duarum naturarum, in unum ὑφιστάμενον, cum Nestorio solvit, & solvendo negat.

At verò Sadeel, & contribules ejus Sacramentarij singuli & universi, credunt ac docent, λόγον sive divinam naturam esse ubi non est Caro assumta: illam videlicet ubique simul in Cœlo & in terrâ: hanc verò in uno duntaxat certo vel Cœli vel terræ loco.

Ergò Sadeel & Contribules ejus, Sacramentarij, ipsam Vnionem duarum Naturarum in unū ὑφιςάμενον, cum Nestorio solvunt, & solvendo negant.

Connexū Majoris sic probo: 1. In æternū nulla ratione fieri potest, ut unita sint, unitaq; maneant, nedum UNAM numero ὕπαρξιν sive ὑπόστασιν habeant, quæ locorum intervallis distincta & disrupta sunt. 2. λόγυ ὑπόστασις est ἀδιαίρετος, & partes extra partes nullas planè habet: quin ubi ubi est, ibi tota est. Quod si ergo λόγυ ὑπόστασις est, ubi non est Caro assumta: ex ἀνάγκης consequitur, eam ibi vel totam ab humanitate abesse: vel secundum partem. At secundum partem nō potest: quia λόγυ ὑπόστασις est Spiritus, & partem extra partem nullam, nullam prorsus admittit. Consectaneum ergò ex doctrina Calvinianorū fuerit λόγυ ὑπόστασιν à Carne sua, illis in locis, in quibus eam sibi præsentem non habet, totam abesse. Quod num sit Nestoriano more Unionem solvere, & duas personas confingere, judicet, qui judicare potest: Res ipsa, quod ajunt, loquitur. 3. Tota ὑπόστασις τῦ λόγυ, non pars ejus aliqua, quam nullam habet, intra suum quasi gremium arctissimè sibi univit, & uniendo assum-

assumsit Carnem humanam: ita quidem ut λόγȣ ὑπόστασις nullibi post unionem cogitari, nedum esse, statui debeat, ubi non sit Caro assumpta, imò λόγȣ ὑπόστασις nuspiam secundum solam suam divinitatem jam post factam Unionem: sed semper & ubique cum assumpta humanitate sibi præsentissima, ὕπαρξιν, & personam constituat. Quamprimùm ergo statuitur λόγος esse, ubi non est Caro assumta, tàm statim etiam statuitur λόγος ὕπαρξιν & personam constituere absque humanitate, illis in locis, in quibus sibi non præsentem habet humanitatem. Quid verò obsecro est Unionem solvere, & solvendo negare, si hoc non est?

Sed quid multis opus est, cùm ex gente Sacramentaria quidam non infimæ fecis Doctor Calvinianus, palàm in orbem Christianum disseminaverit novum hoc, & vix anteà auditum Emblema: *nempe λόγον ita totum esse in Carne: ut sit etiam TOTUS EXTRA Carnem.* Nestorianum hoc esse dogma, nimis manifestum est: & quo pacto salvare illud queant Adversarij, probè deliberent: Nos interim ad tertium institutæ probationis argumentum progrediemur.

Pezelius in demõstrat. p. 36.

III. Argumentum.

Quicunque derogant assumtæ Humanitati. Communicationem divinæ Maiestatis, sive divinorum Idiomatum τȣ̃ λόγȣ: illi credere haud possunt, humanam naturam verè ac realiter factam esse κοινωνὸν sive participem ὑποστάσεως τȣ̃ λόγȣ: vel personam τȣ̃ λόγȣ, assumtæ Carni realiter ac verè Convenire.

Atqui verò hûc præsens Sadeelis tractatio, huc principium & finis ejus tendit: hæc reliquorum Scriptorum Calvinianorum prora ac puppis est, ut derogent assumtæ humanitati, Communicationem divinæ Maiestatis, sive Idiomatum divinorum τȣ̃ λόγȣ.

Ergo, neque ipse, neque socij in corde verè credunt, humanam Naturam Realiter factam esse κοινωνὸν sive participem personæ τȣ̃ λόγȣ vel personam τȣ̃ λόγȣ assumtæ Carni verè ac realiter competere.

Majoris evidentia inde patet: Idiomata divina λόγȣ, & ὑπόςασις τȣ̃ λόγȣ sic unum sunt ἀδιαιρέτως, ut nullum prorsus inter ea sit discrimen: sed vno posito, necessario ponatur alterum: id quod vel ipsi concedant Adversarij necessum est. Proinde, si, (ex hypothesi Calviniana)

Idio-

Idiomata divina, sive Maiestas divina τῦ λόγυ, assumtæ Carni non fuit communicata: vti certe communicatam eam esse, omnes ad unum Sacramentarij uno ore, stylo, calamo, iterum atque iterum negant: necessario efficitur, ipsam etiam ὑπόστασιν τῦ λόγυ assumtæ Carni non competere: vel quod idem, ὑπόστασιν τῦ λόγυ, assumtæ Carnis non esse ὑπόστασιν sive λόγον Carni ὑποστατικῶς Personaliter non esse unitum. Quod rursus erat demonstrandum.

IIII. *Argumentum institutæ probationis.*

Sed quartum etiam argumentum descriptio isthæc Unionis Hypoítaticæ à Sadeele proposita, subministrat.

Quæramus enim ex Sadeele: Quomodo Caro sive Natura humana unita sit λόγῳ? Respondet ille, Inseparabiliter & Inconfusè. Et hactenus quidem (si verborũ sonũ spectemus) satis Orthodoxè. Sed si quærendo pergas: Quid est illud Personaliter, inseparabiliter, & incõfuse Uniri? Hic pisce magis mutus est Sadeel. Sed vices ejus expleant reliqui conjurati fraterculi:

Hi

Hi in eo illud consistere communiter respondent, quòd λόγος gestet & sustentet humanam Naturam. Si rursus instes: Quid quæso sit, sustentari Humanam naturam in λόγῳ? Hic respondent ijdem; sed per intolerabilem, & ferulâ magis, quàm operosâ refutatione dignam ἀδολεσχίαν, principijq; petitionem; Nihil illud esse aliud, quam Humanam Naturam unitam esse λόγῳ personaliter. Si interrogando progrediare, & quæras, Quidnàm Humana Natura ex hac Unione (quæ nihil sit aliud, quàm sustentatio ejusdem in λόγῳ) acceperit? Mussitat Sadeel, summis quidem & incomprehensibilibus donis eam esse exornatam: Sed quæ ejus Essentia ferre possit: hoc est, (uti reliquus Sacramentariorum manipulus uno ore fatetur) donis creatis ac finitis. Si tandem rogando urgeas, An humana natura sic assumta in hypostasin τοῦ λόγου, alium & sublimiorem existendi modum, præter Localem & Naturalem fuerit sortita? Hic tandem quasi agmine facto prorumpunt Sadeel, & confœderati, & clamitant, Carnem assumtam τοῦ λόγου, per VNIONEM ETIAM nullum prorsus alium existentiæ modum sortitam esse, præter Lo-

CALEM

Digitized by Google

CALEM illum, quem quivis alius Homo in propriâ ſuâ perſonalitate obtinet.

Obſecro verò & obteſtor te (quiſquis hæc vel legis vel audis) per vulnera Chriſti, perq; animæ tuæ ſalutem; ſine præjudicio cauſam hanc totam penſita, judica, & ediſſere, nùm ſecundum hanc deſcriptionem Calvinianam Unionis perſonalis duarum naturarum in Chriſto, quicquam myſterij, & ut Apoſtolus loquitur, ὁμολογουμένως μεγάλου μυστηρίου maneat reliquum: an quicquam mirabiliter ſingulare, & ſingulariter mirabile in ea amplius appareat: an quicquam ἄρρητον, καὶ ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, vt Iuſtinus loquitur, dari queat? Hìc certè omnia jam pulchrè effabilia, omnia rationi ita expoſita, vt non amplius fide, ſed ratione humana in hoc dijudicando myſterio opus ſit. Et ſanè vt ſeverum juſtumq; DEI judicium in iſtis hominibus, Maieſtatem Filij hominis arrodere & evertere conantibus, ad oculum pateat; non poſſum non blaſphemum iſtud Calvinianorum Emblema, pro quo, ceu pro aris ac focis dimicant, hoc loco repetere: Quod ſic habet.

Vt

Pezel & Grab. contra Doct. Hunnium p. 279.

Vt in homine modus, quo corpus est in loco, & quo est unitum animæ, sola ratione differunt: & non sequitur, Unionem cum anima localem esse: ita in CHRISTO SOLA RATIONE differunt, Carnem esse in loco, & SUBSISTERE in persona λόγȣ. Ubi per DEVM immortalem obtestor Adversarios, vel tandem Conscientiæ suæ (si quæ illis est reliqua) latebras ut excutiant; & re probe pensitata edisserant; si in hypostasi τȣ̃ λόγȣ subsistere: & in certo loco esse, SOLA RATIONE differunt; quid intersit discriminis inter generalem illam sustentationem Petri, Pauli, & aliorum: quæ certè & ipsa à λόγῳ dependet: & inter personalem hanc Humanæ naturæ in λόγῳ sustentationem. Hoc in æternum explicare non poterunt, quamdiu contenderint, Christo secundum Humanitatem assumtam, ex Unione, neque modum existendi sublimiorem, præter localem competere: neque Realem Personæ τȣ̃ λόγȣ κοινωνίαν, sive participationem eidem obtigisse.

Etsi

Digitized by Google

Etſi enim centies millies obſtrepunt, Humanam Naturam in eo differre à reliquis Hominibus, quod ea ſuſtentetur à perſona λόγȣ: nondum tamen illud explicant, in quo Cardo Controverſiæ unicè vertitur; Quidnàm ſit illud ſuſtentari perſonaliter in λόγῳ: Quidque conſtituat differentiam ſpecificam, inter generalem aliorum hominum, & inter ſingularem hanc aſſumtæ humanitatis ſuſtentationem à λόγῳ: præſertim cum ſecundum Adverſarios, ex hac ſingulari ſuſtentatione Humana natura, nullum alium exiſtendi modum, *PRAETER LOCALEM* ſortita fuerit?

2. Porrò, ſi ſola ratione differunt, & reipſa idem ſunt, in Loco eſſe, & in λόγῳ ſubſiſtere: ſequitur, vt quemadmodum per locationem phyſicam Humana natura fuit in certo loco Bethlehemi, Nazarethi, Hieroſolymis; Ita per eandem locationem phyſicam ſit etiam ac ſubſiſtat in hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ.

3. Præterea Conſequetur & illud, ut quemadmodum Chriſtus nobis fratribus ſuis Phyſica locatione ſimilis factus fuit,

ita

ita & fratres vice versa, similes ipsi facti sint Personali subsistentia in λόγῳ. Siquidem (ex hypothesi Calvinianâ) duo isthæc, in loco physico esse, & in persona τοῦ λόγου esse, TANTUM RATIONE differunt: sive uti Græci loquuntur, nudam πρὸς ἄλλο σχέσιν obtinent. Torqueāt hìc sese Agyrtæ & præstigiatores isti, ac probè dispiciant, quomodo extricare sese ex istis absurditatibus veriùs blasphemijs, vel velint vel etiam possint. Nos interim ex ijs, quæ hactenus de prima hypothesi Confessionis Sadeelianæ disputata sunt, invicte colligimus, Sadeelem & socios, totum hoc pietatis mysterium nefariè evacuare: Unionem ipsam solvere, imò penitus tollere; assumtam Humanitatem omni sua Maiestate cœlesti plusquàm sacrilegè spoliare: &, quod demonstrandum erat, Nestorianæ impietati, hac in parte per omnia subscribere.

II. *Hypothesis Confessionis Calvinianæ:*

Quælibet Natura in ipsa etiam Vnione salvas retinet proprietates suas.

Hypo-

Hypothesis isthæc non modò à nobis facilè conceditur: sed & adversus Eutychianos aliosq; hæreticos, Naturarum Confusionem stabilientes, non minore studio ac labore asseritur, quàm ab Adversarijs unquàm fieri possit. Sed & hîc ὑπεκλόντι fovet Sadeel, & asserta, concessaque Naturarum proprietate, ipsam mox Idiomatum divinorum τοῦ λόγου Communicationem Humanitati assumtæ factam, corruitarum sperat. Hinc est, quòd non modò in hoc capite triplicem respectum sive considerationem Corporis Christi salsè ridet: sed & in tota Tractatione subindè cramben hanc recoquit: Si Caro Christi reali κοινωνίᾳ particeps facta sit divinorum Idiomatum τοῦ λόγου, utpote Omnipræsentiæ, Omniscientiæ &c. mox proprietates humanæ naturæ negari: quin exæquationem Naturæ humanæ cum divina introduci: uti infra ex argumentis Sadeelis patebit.

Sed fallit & fallitur turpissimè, duobus potissimùm deceptus principijs longè falsissimis. Primùm enim duo isthæc, paria planè & æqualia esse statuit; nempè, ex proprietate Naturæ esse Omnipotentiam, vel Omniscientiam ipsam: Et, ex

virtute & unione alterius Naturæ participare Omnipotentiam illam ac Omniscientiam; & sic non esse ipsam Omnipotentiam: sed ex gratia habere. Quâ sanè in parte judicio labitur Sadeel, & non satis expendit illud Philosophi, dicentis, ὀ ταυτὸν, μὴ εἶναι τι, καὶ ἁπλῶς μὴ εἶναι: Non idem valet, rem non esse tale quippiam, & omninò non esse. Ac proinde viciosissimè colligit: Humana Natura non est Omnipræsentia ipsa, vel, non est exæquata Divinitati: Ergo neq; est Omnipræsens, per Unioné: uti ex refutatione argumentorũ ipsius suo loco evadet manifestũ.

Arist. l. 1. ἐλεγχ. σοφισ. c. 4.

Alterum erroris principium est, quòd Contradictoria à subalternis sive subordinatis, non distinguit: Ut exempli gratiâ, quod duo isthæc, Nempe Humanã naturã ex Unionis gratiâ esse Omnipræsentem: & eandem ratione naturæ suæ, Localem esse: tanquàm Contradictoria sibi invicem opposita esse statuit: cum tamen ὑπαλλήλως duntaxat sese ad invicem habeant. Quod ut dilucidiùs pateat, sic statuit ac docet fides Christiana; Quamlibet Naturam in CHRISTO, tàm divinam, quàm Humanam IN IPSA ETIAM VNIONE, duplicem obtinere respectum: NATVRALEM

LEM nimirùm & PERSONALEM.

Et NATURALEM quidem τοῦ λόγου respectum, in ipsa etiam Unione esse, asserimus: quando λόγος distinctè quidem, sed non separatè, in se suisq; proprietatibus consideratur: ut cùm λόγος dicitur gigni à Patre: Spirare item cum eodem æterno Patre, spiraculum numero unũ, sibi, Patriq; ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον. Hæc enim λόγῳ competunt & tribuuntur in ipsa quidem Unione cum Carne: sed non respectu Unionis: propterea quod λόγος isthæc, non ex Unione cum Carne, & sic in tempore accepit: sed ex æterna illa & ineffabili generatione sua, ante omnia secula obtinet. PERSONALEM vero ejusdem λόγου respectum esse statuimus: quando consideratur ille, quatenus jam unum ὑφιστάμενον cum assumta humanitate constituit: quatenus etiam eandem humanitatem, cum omnibus actionibus, passionibus & πάθεσι καθ' ἰδιοποίιαν, ut Cyrillus loquitur, sibi appropriat.

Sic Humanam naturam, in ipsa Unione, secundum respectum NATURALEM considero: quando eam distinctè intueor, & quid in se, & ex Natura sua habeat, attendo: ratione cujus similis factus est

ctu, quatenus nimirùm jam cum λόγῳ unum numero ὑφιστάμενον constituit, & (quod supra demonstratum) ipsa τοῦ λόγου ὑπόστασις, ejus quoque (Carnis nimirum assumtæ) facta est ὑπόστασις, alterum existendi Modum, PERSONALEM nimirum obtinet, qui facit, ut in hac hypostasi τοῦ λόγου, intra quam ea etiam evecta est, citra, supra, extra, ac ultra omnem loci cōditionem ea sit consideranda. Qui duo tamen diversi respectus, sibi invicem non ἀντιφατικῶς Contradictoriè sunt oppositi: sed ὑπαλλήλως subordinati, propterea quod causę, ex quibus respectus isti petuntur non contradictoriæ, sed subordinatæ sunt. Contradictoriæ enim si essent, tùm Humana Natura nunquam cum divina Uniri potuisset. Unde fit etiam, ut neque Localis præsentia tollat illocalem ὕπαρξιν Carnis in λόγῳ, neq; illocalis hæc subsistentia in λόγῳ tollat Localem conditionem, cui Christus secundum humanitatem suam, pro liberrima voluntate non modò in statu Exinanitionis sese submisit, sed & in statu Gloriæ jam in certo quodā πȣ̃ visibiliter apparere potest, salvis semper & inconvulsis manentibus Naturarum proprietatibus. Et sanè accurata

isthæc duorum diversorum istorum respectuum, Unius ejusdemq; Naturæ Humanæ consideratio, certissimum deinceps suppeditabit compendium, respondendi ad pleraque Sophismata, quibus Cõmunicationem divinorũ Idiomatum τȣ̃ λόγȣ, assumtæ Humanitati factam, enervare imò tollere conatur Adversarius.

Quemadmodum verò duo isti respectus unius ejusdemq; corporis Christi simul sine ulla cõtradictione stare possunt, neque alter alterum ullo modo tollit & evertit. Ita neque Tertius respectus Corporis Christi, quem ex resurrectione obtinet, vel cum veritate Humanæ naturæ Christi, vel cum fidei analogia ulla ex parte pugnat. Etsi enim post Resurrectionem etiam verum habet servatq; Corpus Servator, & quidem ratione substantiæ prorsus idem, quod priùs habuit & sepultum fuit: interim tamen quod de nostris Corporibus affirmat Apostolus, illa resurrectura πνευματικὰ 1. Cor. 15, 44. illud de ipso quoque Corpore Christi omnino est statuendũ: Ita quidẽ ut illud tales spirituales dotes & proprietates Corporis clarificati sortitum fuerit, quarum virtute lapidem obsignatum, & januas clausas penetravit, & jam definitive alicubi est & subsistit.

ſiſtit. Et hinc eſt, quod triplicem Eſſendi alicubi modum, Corpori Chriſti Eccleſia orthodoxa adſcripſit, *Localem, Definitivum, Perſonalem,* ita quidem ut Localem habeat ex conditione naturæ, eumq́; cum reliquis hominibus communem obtineat, Definitivum verò, ex Reſurrectione à mortuis, quem communem habet, cum cæteris glorificatis corporibus. Perſonalem denique, ex Unione perſonali, & ſeſſione ad dexteram DEI patris. Neque tamen plures iſti exiſtendi alicubi modi, vel plures ſubinferunt eſſentias, vel Contradictoria in uno eodemque ſubjecto conſtituunt, quemadmodum Sadeeli quidem & complicibus alioqui videtur. Falſum enim, & jam pridem ex Eccleſia Orthodoxâ exploſum illud eſt axioma, quo Adverſarij contendunt, illi Naturæ, cui realiter diverſæ ſpecies *παρουσίας* tribuuntur, mox diverſas etiam eſſentias eſſe concedendas. Diverſum certè noſtri exemplo Filij Dei demonſtrarunt: qui aliter adeſt Deo Patri: aliter rebus creatis: aliter humanitati aſſumtæ: ſalvâ nihilominus manente Eſſentiæ unitate.

Quæ porro de *Repletivo præſentiæ modo*, qui præter tres diſtinctos illos, de quibus jam diximus, *παρουσίας* ſive præſentiæ

Digitized by Google

Christi modos, in quæstionem venit, movent Sacramentarij: de illis, ut Tractatio nostra sit perfectior, paucis Orthodoxam nostrarum Ecclesiarum doctrinã proponere liceat. Consideratur autem Repletivus præsentię modus initiò eo modo, quo Deus per Essentiæ infinitatem omnia implere dicitur, hoc est, quando id, quod ὅλως ὅλόν ἐστι ex naturæ proprietate, ὁλικῶς ubique adest, non habens partem extra partem. Quo de respectu B. Lutherus noster in Confessione majore sic scribit: Tertiô est quippiam alicubi repletivè supernaturaliter, hoc est, quando aliquid totaliter simul in omnibus locis est, omniaq; loca replet, nec tamen ab ullo mensuratur aut comprehenditur, secundum spatium loci, in quo est: Hic modus SOLI DEO attribuitur. Hunc respectum Repletivæ præsentiæ, assumtæ Humanitati nunquam adscripsimus, neque jam adscribimus. Neq; enim Humana natura, quantumvis etiam in unione, & sessione ad dextram Patris considerata, per naturæ infinitatem replet Universa: sed finita, quoad ad Essentiam suam, & Essentiæ proprietates, semper est & manet.

Quòd

Quòd ſi verò ex noſtris nonnuli Repletivum τρόπον ὑπάρξεως, ſive præſentiæ modum, ad Humanitatem aſſumtam accommodarunt, uti certè quoſdam accommodaſſe minimè diffitemur: illi unice ſpectârunt illud Apoſtoli, quo Epheſ. 4. 10. Chriſtus omnia implere dicitur. Ac proinde repletivum hunc modum non illo priore respectu, de quo iam dictum, ſed hunc in modum definiverunt, quod Humana Natura, non per infinitatem Eſſentiæ; ſed finita ſine vllâ permutatione manens, in infinitum λόγον, ſive infinitam λόγου ὑπόστασιν per Unionem ſit tranſcollata, & ad infinitam DEI dexteram collocata, &, ut Patres loquuntur, DEO σύνθρονος facta, Paulo teſte, impleat omnia, præſentia Perſonali. Hoc reſpectu ſi quis Repletivum, vel ut Apoſtolico utamur termino, Impletivum præſentiæ modum, Humanæ naturæ Chriſti adſcribere velit: Is nihil Scripturis contrarium ſtatuit: Siquidem Repletivus iſte, ſive impletivus modus, hoc modo definitus, cum eo, quem Perſonalem ſuprà nominavimus, & impoſterum nominabimus, planè vnus eſt & idem.

Neque eſt, ut ad diſtinctiones iſtas, ſive ad diſtinctam iſtam Corporis Chriſti

adverſo planè Marte produxerunt, unice directas eſſe voluerint, adverſus maieſtatem Filij Hominis: parum morati tonitru illud propheticum, Quieſcite ab Homine, cuius Spiritus eſt in naribus eius: Quia EXCELSVS reputatus eſt ipſe. Ieſ. *2. 22.* Quam eandem belli ſedem, ſibi quoque delegit Sadeel, dum ſtatum Quæſtionis, ſive τὸ ζητούμενον eſſe diſertè aſſerit: An, vi Unionis Hypoſtaticæ, Natura Humana CHRISTI, acceperit realiter à λόγῳ proprietates Divinæ Naturæ, & imprimis Omnipræſentiam. Quem ſane ſtatum, uti, ratione partis prioris (An videlicet inter diuinam & humanam Chriſti naturam, propter Unionem perſonalem, talis ſit vera ſive realis Communicatio, ut λόγος ſive divina Natura, proprietates ſuas divinas, & ſic Omnipræſentiam quoque, aſſumtæ Humanitati, verè ac realiter communicaverit) libenter admittimus: ita in poſteriore membro, Candorem Theologicum in Sadeele deſideramus: dũ ſcribit; ζητούμενον eſſe, An vi Unionis perſonalis IMPRIMIS Omnipræſentia Humanitati Chriſti ſit cõmunicata,

Sic

Sic nimirum subdolè Ecclesias nostras gravare voluit (*quod ipsum reliquis etiam Sacramentariјs, vt & horum socijs, ac in hac palæstrâ parastatis Iesuitis admodum solenne & frequens est*) ac si unicè pro asserenda Ubiquitate Corporis Christi pugnarent; vel, ut nonnullis convitiari libuit, ipsam Unionem Hypostaticam duarum Naturarum in CHRISTO, maximè per Ubiquitatem tanquam per differentiam specificam definiendam esse censerent.

Sed quis ex nostris, unquam tale quid vel sensit, vel docuit, vel scripsit: proferant si possunt, libros, monstrent paginas, & candidè nostrorum citent doctrinam ac sententiam. Credidimus hactenus per Dei gratiam, hodieq; credimus cum Apostolo; Omnem plenitudinem Deitatis habitare in Christo CORPORALITER: hoc est, uti Orthodoxi Patres explicarunt, in assumta humana natura, tanquàm in proprio suo TEMPLO Coloss. 2. 9. Cuius Aphorismi evidentia moti, Majestatem divinam τȣ̃ λόγȣ assumtæ Humanitati verè ac Realiter communicatam esse, credimus & confitemur: tantùm abest, ut tale discrimen inter Idiomata Communicata comminiscamur, ex quo unum Idioma altero magis commu-

communicatum ſit: vel ut Sadeel habet, ex quo IMPRIMIS omnipræſentia Humanitati competat.

Sic rurſus Sadeel Diſputatoris munere non functus eſt, dum ſatis Sophiſtice ſcribit: Quæſtionem eſſe An Omnipræſentia ita Humanæ Naturæ Chriſti communicata fuerit ut ea (Humana Natura) quæ FINITA eſt, & IN LOCO: ſit etiam ſimul in ſe INFINITA & UBIQUE propter Unionem perſonalem. Quo pacto Eccleſiarum noſtrarum doctrinam horrendi paradoxi ream peragere, vel ſuſpectam ſaltem reddere voluiſſe videtur: ac ſi eæ docerent, Humanam Naturam Chriſti, uti ea per finitatem Eſſentiæ, ex proprietate Naturæ ſuæ finita eſt & manet: ita ex Unione Hypoſtatica ſimul *per quandam Infinitatem Eſſentiæ* eſſe infinitam & Ubique. Quod paradoxon noſtris falsò tribui, tàm probe novit Gens Calviniſtica quàm probe ſuos novit digitos: Nos eius ſuſpicionem à noſtris Eccleſijs, per DEI gratiam, in progreſſu Tractationis huius, ita propulſabimus, ut cauteriata Adverſariorum Conſcientia omnibus patere queat.

Corrigimus autem inſidioſam hanc Sophiſti-

phiſticam ſtatus controverſiæ informa-
tionem, in hunc modum: Quæritur inter
nos & Adverſarios: An per & propter
Unionem Hypoſtaticam, Natura Hu-
mana Christi, acceperit verè ſive re-
aliter à λόγῳ divinam eius Maieſta-
tem, ſive divina Idiomata, & ſic O-
mnipræſentiam quoque: ratione cu-
jus, eadem Humana Natura, quæ in
& ex ſe, ac reſpectu naturalium ſua-
rum proprietatum conſiderata, lo-
calis eſt & finita: reſpectu verò per-
ſonalis Unionis, in ὑποστάσει τοῦ λόγου,
intra quam ea eſt aſſumta, extra, ul-
tra, & ſupra omnem locum ſic ſit e-
vecta, ut cum λόγῳ ubique præſentiſ-
ſima, modo ſupernaturali & ineffa-
bili cœli terræq; adminiſtret impe-
rium. Cujus ſanè Quæſtionis Affirmati-
vam ſacris edocti literis conſtanter tene-
mus & defendimus: Sadeele interim pro
Negativà blaſphemè quidem ſatis, ſed ir-
rito conatu ac labore dimicante: id quod
inſequẽs diexodus ad oculũ demonſtrabit.

CAPVT II.

BEnè habet: Stat jam utrinque
Controverſiæ ſtatus certus & in-
dubius

dubius: An per & propter unionem Hypoſtaticam, Naturæ humanæ CHRISTI, realiter à λόγω communicata ſit ipſa Maieſtas divina, ſive Idiomata τȣ̃ λόγȣ, & ſic omnipræſentia quoque. Hac ſede belli conſtituta ad ipsā pugnam ſive velitationem ab utraque parte diſſidentiū, recto pede deſcenditur: Noſtris quidem Eccleſijs pro affirmativa pugnātibus: Sadeele vero Negativæ patrocinium, ſed irrito conatu affectante.

Quod vero in certaminibꝰ Palæſtricis obſervare ſolent victoriæ βραβεῖον qui appetunt: ut non modo Antagoniſtarum ictus feliciter excipiant, fortiterq; propulſent: ſed & ijsdē vulnera infligant, & ad internecionē uſque eoſdē cedāt: id nobis cumprimis in ſpirituali hâc palæſtrâ, ac pugnâ pro CRISTI Servatoris noſtri Maieſtate, ſuſcepta, penſi habendum eſſe arbitramur. Proinde, priuſquam Sadeelis tela quæ vibrat, & argumenta, quibus tum divinā Maieſtatem τȣ̃ λόγȣ, Humanitati aſſumtæ communicatam evertere: tum purioris Eccleſiarū noſtrorum doctrinæ jugulū quaſi & animā petere auſus fuit; gladio Spiritus ſancti excutiamꝰ: vel ipſa inſtitutæ Tractationis Methodꝰ, quæ Scholaſtica pariter &

Theo-

Theologica futura eſt, poſtulare videtur vt Affirmativam noſtram ex omni parte ita muniamus, ut ne inferorum quidem portæ, nedum univerſæ gentis Sacramentariæ *σοφίσματα* quicquam adverſus eam prævalere queant. Nam, uti Philoſophus etiam admonet, *εἰ κατὰ παντὸς ἡ κατάφασις, δειχθέντος ὅτι οὐχ ἡ ἀπόφασις, ἀνάγκη τὴν κατάφασιν ἀληθεύεσθαι.* l. 1. prior. Anal. c. 11.

ΔΙΕΞΟΔΟΣ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ

Affirmativæ, quam circa propoſitum controverſiæ ſtatum Orthodoxa tenet Eccleſia.

Credimus igitur ac docemus; HVMANITATEM CHRISTI, in ipſo ſtatim primo conceptionis momento, non finitis & creatis, quantumvis etiam excellentibus & ſublimibus donis: ſed ipsâ *τοῦ λόγου* divinâ Maieſtate, per veram ac realem *κοινωνίαν* inunctam fuiſſe.

Aſſertionis huius immotam certitudinem, primùm invicte demonſtrant ea, quæ

quæ de arctissima illa Unione, & inde resultante Naturarum *κοινωνία*, capite præcedente proximo in medium fuerunt producta. Deinde idem confirmant Scripturarũ oracula, & numero plurima, & pondere gravissima: qualia sunt:

Joh. *1.14. Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus Gloriam ejus, GLORIAM QVASI VNIGENITI à Patre: PLENVM gratiâ & veritate.*

Joh. *3.34. & 35. Quem misit Deus, verba Dei loquitur: NON enim AD MENSVRAM dat Deus, Spiritum. Pater diligit Filium, & OMNIA dedit in manum ejus.*

Coloss. *2.3. & 9. In Christo sunt OMNES THESAVRI sapientiæ & scientiæ absconditi: In ipso enim INHABITAT OMNIS PLENITVDO DIVINITATIS CORPORALITER.*

Daniel. *7.13. & 14. Aspicieabam in visione noctis, & ecce cum nubibus Cœli, quasi FILIVS HOMINIS veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: Potestas ejus POTESTAS AETERNA quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur,*

Apocal. *5.12. Dignus est Agnus, qui occi-*

 sus

ſus eſt, ACCIPERE virtutem, divitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem: Et omnem creaturam, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & AGNO, benedictio & honor, & gloria, & poteſtas, in ſecula ſeculorum. Unde Servator ipſe gloriatur, ſibi DATAM eſſe OMNEM poteſtatem in Cœlo & in terra: Matth. *28, 18.* Item, OMNIA TRADITA eſſe à patre ſuo. Matth. *11, 27.* Sic glorificari ſe petit, eâ gloriâ, quam habuit priuſquàm hic mundus eſſet. Joh. *17, 5.* Quô cumprimis etiam pertinent illa ſcripturæ teſtimonia quæ agunt de Unctione CHRISTI: qualia ſunt: Actor. *10, 38. DEVS unxit IESVM à Nazareth, SPIRITV SANCTO & virtute: &, ut* Pſalmus *45, 8.* interpretatur, ULTRA CONSORTES EIUS: hoc eſt, Johanne Baptiſta interprete, NON AD MENSURAM: Joh. *3, 34.* Et illud Apoſtoli Eph. *1, 20.* & *21.* *Chriſtus ſuſcitatus à mortuis, & conſtitutus ad dextram patris in Cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed & in futuro &c.*

His

His ita ſtantibus ſcripturarum principijs, prorſus ἀυ]οπίςοις καὶ ἀναποδείκ]οις, ipſi quoque fontes jam aperti ſunt, ex quibus veritas inſequentium Demonſtrationum planè infallibilis, & omni exceptione major promanat. Quare hanc nunc inferimus ἀπόδειξιν affirmatam.

Ἀπόδειξις affirmata.

Quæ natura in perſona Chriſti accepit gloriam quaſi Vnigeniti à Patre: & Spiritum ſanctum non ad menſuram: & omnem in Cœlo ac in terra poteſtatem, ſupra omnem principatum, poteſtatem, virtutem, & dominationem, imò ſupra omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed & in futuro: & cui ſubjacent omnia, excepto ſolo eo, qui ſubjecit illa omnia: 1. Cor. 15, 27. In qua denique Naturâ abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ: imò ipſa tota plenitudo Deitatis inhabitat Corporaliter &c. illa non finitam aut creatam aliquam, quantumvis etiam ab Angelorum & beatorum hominum gloria, graduum reſpectu, diſtinctam: ſed ipſam Divinitatis propriam, infinitam nimirùm, increatam atque æternam poteſtatem accepit.

At verò Christus secundum Humanam assumtam naturã, mox in ipsa Vnione, isthæc jam enumerata divina ἀξιώματα accepit omnia.

Quin igitur, non creatam aliquam & finitam, quantumvis etiam sublimem: sed ipsam Divinitatis τοῦ λόγου propriam Majestatem & gloriam, Christus secundum Humanam naturam assumtam acceperit, pio nemini, & sine præjudicio judicanti, dubium amplius esse potest.

Majoris connexum nemo negaverit, nisi qui πᾶν πλήρωμα θεότητος, omnem item potestatem in Cœlo & in terrâ, imò infinitam spiritus sancti plenitudinem, & omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, in classem finitorum ac creatorum donorũ referre ausus fuerit. Quod num salvâ religione Christianâ fieri queat, si fortè dubitaverint, deliberent probè Sacramentarij, & animi sensa, si lubet, nobiscum haud gravatè communicent. Nos sine manifestâ blasphemiâ, & crimine læsæ divinę Majestatis, fieri illud nullo modo posse, habemus persuasissimum.

Minoris infallibilem veritatem, ea confirmant scripturarum testimonia, quæ hactenus mox à limine hujus capitis fundamenti loco collocavimus. Constabit ergò conclusioni sua quoq; immota & invicta veritas.

Quòd

Digitized by Google

Quòd verò de Minore propositione litem movent Sacramentarij, & per σοφὸν quoddam φάρμακον, γλαύκωμα aliquod simpliciorum oculis objecturi, Christo quidem isthæc data esse concedunt, sed mox non ratione assumptæ Naturæ humanæ, sed respectu Personæ data esse inferunt: serò, & non in loco quod dicitur, sapiunt. Nam nos ipsi quoque Naturæ humanæ extra personam τοῦ λόγου, divinam illam communicatam Majestatem adscribi posse aut debere, nunquam cogitavimus, nunquam sensimus, nunquam docuimus, nunquam scripsimus. Novimus enim per DEI gratiam extra personam τοῦ λόγου, nunquam assumtam Humanitatem vel esse vel subsistere. Atqui ὕπουλον hic fovent Sacramentarij, sic nimirùm Christo ratione personæ, divinam hanc Majestatem obtigisse statuentes, ut interim assumpta Humanitas, ad hujus ipsius divinæ Majestatis κοινωνίαν sive participationem nunquàm sit admissa. Quod falsum, impium, blasphemum esse, firmissimè credimus, & contrà sic statuimus: Personæ quidem datam esse in tempore divinam illam gloriam: Sed respectu Humanæ naturæ assumptæ. Unde

jam novus & priori illi generali statui quasi subordinatus emergit Controversiæ status: *An divina Majestas τῦ λόγυ communicata quidem fuerit Personæ Christi: Sed unicè respectu assumptæ Naturæ Humanæ.* Nos affirmamus: Illi negant. Affirmativæ hujus nostræ fundamenta, disputationi, quam mox instituemus, ἐλεγκτικῇ lubet præmittere: ea potissimum, quæ jugulum gentis Sacramentariæ quàm maximè confodiũt.

Argumentum I. *κατασκευαστικόν.*

Quæ Natura in persona CHRISTI, *propter naturæ simplicissimam perfectionem, & absolutissimam immutabilitatem, omnis prorsus mutationis, tàm quoad statum meliorem, quàm deteriorem est expers: ei etiam nihil vel exinanitionis, vel exaltationis, nihil vel gloriæ vel infamiæ, respectu sui, in tempore ullo modo obtingere potuit.*

At verò λόγος, sive divina Natura in persona CHRISTI, *propter Naturæ suæ simplicissimam perfectionem, & absolutissimam immutabilitatem, omnis prorsus mutationis, tàm quoad statum meliorem, quàm deteriorem simplicissimè est expers.*

Ergò τῷ λόγῳ, sive Naturæ divinæ in persona CHRISTI, *nihil vel exaltationis vel exinanitionis, nihil vel gloriæ vel infamiæ, respectu sui, in tempore ullo modo obtingere potuit.*

Majo-

Majoris certitudinem ipsa ἀντιθέσεως & contentionis ratio, quæ essentiis sive naturis purissimis ac perfectissimis, cum illis naturis intercedit, quæ mutabilitati sive mutationibus sunt obnoxiæ, satis evidenter confirmat. Quicquid enim ulla ratione, respectu sui, aliquid mutationis vel in melius, vel in deterius recipit: Illud simplicissimè perfectum, & absolutissimè immutabile esse, nemo nisi amens affirmaverit.

Minoris veritas apud Christianos, ita est αὐτόπιστος, & extra omnem dubitationis aleam posita, ut qui λόγον, sive divinam Naturam Christi, mutationibus vel in melius vel in deterius ratione sui, subijcere velit: is cum Ario divinitatem Filij negare statuatur. Quicquid enim DEUS est, illud omnem prorsus mutationem qualis qualis ea etiam, sive Logica, sive physica nominetur, respuit: secundum illud: DEUS ego, & non mutor: Num. 23,19.

Constabit proindè conclusioni sua etiam immota veritas.

Jam verò, Personæ CHRISTI aliquid & quidem plurimum mutationis, tàm quoad statum exinanitionis, quàm exaltationis obtigisse: imò eidem Personæ,

mox in primo conceptionis momento, & sic in tempore Spiritum datum fuisse non ad mensuram, imò omnem plenitudinem Deitatis in eadem inhabitare cepisse, & quidem σωματικῶς: nemo Christianus rursus inficiabitur, nisi qui omné scripturis sacris veritatem per inauditam impietatem derogare velit.

Consequens ergo est ἐξ ἀνάγκης, Personæ CHRISTI divinam hanc Majestatem & gloriam in tempore obtigisse, respectu assumtæ Naturæ Humanæ: id quod erat demonstrandum.

Et sanè argumenti hujus tanta est vis & evidentia, ut scriptores Ecclesiastici & orthodoxi Patres, ἀξίωμα quoddam αὐτόπιστον & verè Catholicū indè extruxerint: illudq; varijs Hæreticorum strophis tanquam scutum inexpugnabile obverterint: Quod sic habet: Quicquid gloriæ & Majestatis CHRISTO in tempore datum fuisse scriptura affirmat: illud ratione assumtæ Carnis sive Humanitatis eidem datum esse, firmiter est credendum. Veritas assertionis hujus patet, ex orthodoxorum Patrum disputationibus, ex quibus sententias quasdam huc referre haud fuerit inconveniens.

D. Atha-

D. Athanas. Orat. contra Arianos 2. & 4. *Scriptura*, inquit, *non intelligit substantiam Verbi exaltatam: Sed AD HUMANITATEM eius hoc spectat, & PROPTER CARNEM exaltari dicitur. Cum enim ipsius sit CORPUS, merito ipse UT HOMO, RATIONE CORPORIS HUMANITUS exaltari & accipere memoratur, eò quod CORPUS illa recipiat, quæ λόγος semper poßidebat, secundum suam ex patre Deitatem & perfectionem.*

pag. 152.

Idem de susceptâ humanitate contra Apollinarium: *Quæcunque Scriptura dicit, Filium accepisse, RATIONE CORPORIS accepta intelligit.*

pag. 534.

Theophylactus in cap 3. Ioh. *Pater omnia dedit in manum Filij, IUXTA HUMANITATEM.*

pag. 235.

Leo Epist. 22. ad Flavianum, tractans locum Ephes. 1, 20, & 21. *Dicant hi Adversarij veritatis* (Eutychiani) *quomodo omnipotens Pater, vel secundum quam Naturam, Filium super omnia evexerit, vel cui substantiæ, cuncta subiecerit? Deitati enim ut Creatori, semper subiecta fuerunt: Huic si addita potestas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente, nec habebat divitias eius naturæ, cuius indiguit largitate: sed talia sentientem, in societatem suam Arius rapit: Cuius perversitati multùm hæc suf-*

Tom. 1. Concil. pag. 745.

fragatur impietas, negans verbo DEI *(λόγῳ) humanam inesse naturam.*

Arrigite per DEUM immortalem aures Sacramentarij, & si non ab indoctis (uti quidem vobis vulgò appellamur) Ubiquitarijs; saltem ab Orthodoxis Patribus doceri vos permittite, Quomodo Personæ Christi, ac cuius naturæ respectu (Humanæ nimirum) divina Idiomata communicata esse in Scripturis dicantur.

Mussitant hic ex Sacramentarijs nonnulli, & ne prorsus constricti videātur, oggerunt sed nimis timidè: exaltationē posse etiā aliquo modo referri ad DEUM, non quidem respectu sui, sed respectu nostri: & hoc quidem hunc in modum palliare student.

1. *Etsi λόγος nunquam amisit Majestatem suam divinam: tamen per exinanitionem, passionem, & mortem Christi, caligo quasi quædam ejusdem Divinitati fuit offusa: quâ post Resurrectionem sublatâ enituit rursus eadem: & hoc sensu exaltata dici potest: Sed ratione nostri.*

2. *Per prædicationem Evangelij publicè inter omnes gentes post ascensionē agnitus fuit λόγος pro eo, qui per se fuit semper; nimirum* DEUS *&* Dominus *Cœli ac terræ. Quatenus ergò ab hominibus agnoscitur, pro æquali cum Patre, & creditur administrare Cœli & terræ imperium: eatenùs etiam exaltatus & ad dexteram* DEI *evectus dicitur: respectu nimirùm Hominum.*

3. Quo

3. *Quo ipso sensu haud rarò in Scripturis DEUS pater exaltari, glorificari, & extolli legitur, quādo videlicet pro exaltato, glorioso & sublimi sive excelso DEO à nobis agnoscitur & colitur.*

Sed protoplastorum hæc sunt folia, quibus erroris sui turpissima pudenda tegere student Sacramentarij: id quod vel inde patet, quòd hoc pacto proprium Controversiæ statum Sophisticè pervertunt. Neque enim de tali exaltatione hoc loco pugnatur, quæ respectu nostri tantùm cōsideretur: & quâ CHRISTUS respectu sui non sit exaltatus. Verùm de ea Exaltatione propriè est Quæstio, quâ Christus ad dexteram Majestatis, virtutis ac potentiæ DEI patris evectus, respectu sui (si vel maximè nullus mortalium id agnosceret aut crederet) verè & reipsâ ex ignobiliore conditione, in divinæ Majestatis consortium translatus & evectus fuit. Hic Rhodus, hic saltus: hic vires ingenii experiantur, nùm fortè talem aliquam Exaltationem λόγῳ, ratione Divinitatis, in tempore communicatam, salva pietate & fide Christianâ adscribere possint. Quod dùm in æternum præstare nequeunt, rogamus eos per viscera misericordiæ DEI, ut vel tandem cedant veritati, imò cedāt ipsi Christo, secundum Humanitatem assumtam evecto, in ipsum thronū dexteræ, Maje-

Maiestatis ac potentiæ divinæ: & vel tandem Maiestatem eius blasphemè arrodere desistant.

Sed lubet arctius constringere Adversarios, & pro doctrinæ nostræ assertione, sic argumentando pergere.

Argumentum II.

Cuius Naturæ respectu, Persona Christi, in tempore inuncta fuit oleo lætitiæ ultra consortes, sive Spiritu sancto non ad mensuram: ejusdem etiam Naturæ respectu eadem persona exaltata fuisse, divinamq́ gloriam accepisse censenda est.

At verò solius assumtæ Humanitatis respectu, persona Christi in tempore inuncta fuit oleo lætitiæ ultra consortes, sive Spiritu Sancto non ad mensuram.

Ergò eiusdem assumtæ Humanæ Naturæ respectu, eadem persona Christi exaltata fuisse, divinamq́ gloriam ac Maiestatem accepisse censenda est.

Maioris connexum per se patet: Dependet enim ab hac Unctione vniversa illa Maiestas & gloria, quæ CHRISTO in tempore unquam uspiam in Scripturis data legitur. Quicquid enim infinita Spiritus Sancti plenitudine in tempore inunctum fuit, quin id in ipsius divinæ Maiestatis & gloriæ κοινωνίαν & participationem perve-

pervenerit, nemo, nisi qui bardus planè est, & rerum Theologicarum prorsus ignarus, inficiabitur.

Minorem confirmamus dupliciter: 1. κατ᾽ ἄρσιν. Λόγος enim sive divina Natura in persona Christi, nullo prorsus modo, sive in tempore, vel ante, vel in, vel post incarnationem, Uncta fuisse, statui vel potest, vel debet. Ab æterno non: 1. Quia æterna illa λόγου Generatio, Unctionis vocabulo nusquã in universa Scriptura insignitur. Nam quòd Psalmo 2. 2. Filius Dei, Christus appellatur: manifestum est, prophetico loquendi genere ob Futuram incarnationem & ab hac dependentem Unctionem assumtæ Carnis, hoc nomen Davidem ipsi attribuisse: Quẽadmodũ reliqui etiam Prophetæ eandem ob causam, multis seculis ante Incarnationem, Christum nominarunt virginis filium, radicem Isai, germen Davidis &c. Quod ipsum D. Athanasius etiam observavit, sic scribens in Orat. contra Acephalos: Ante Unionem, sive divinam incarnationem, unius simplicis erat Naturæ: scilicet divinæ, quæ unam perficiebat hypostasin: Neque tum Christus erat, neque nominabatur

batur, nisi prophetico Sermone id, quod futurū erat, prænunciabatur.

In tempore non, sive ante, sive in, sive post Incarnationem ungi potuit λόγος sive divina Natura Christi: quia oleū dari aut excogitari nullū potest, quo inunctus ille fuerit. Scriptura n. præter Spiritum Sanctū nullum novit oleum læticiæ, quo Messias noster unquàm fuerit unctus. Iam si Spiritu Sancto inunctus ille fuisse (ex sententia quorundā Sacramentariorū) statui debeat, probè videāt illi, quomodo casses Arianæ impietatis evitare ac declinare queāt. Unctio n. isthæc si Deitati τȣ̃ λόγȣ obtigit, quandam ejusdem indigentiā necessariò præsupponit: imò quandam etiā mutationem τȣ̃ λόγȣ, sive incarnati, sive nondum incarnati subinfert.

Quod si verò per oleum illud lætitiæ, de quo Psalmus agit, non Spiritum Sanctū, sed aliud quoddam oleum intelligendum esse somniaverint, rogamus submissè, ut vel tandem quale ille fuerit oleū, expressè definire velint. Nos interim per oleum illud lætitiæ, cum Iohanne Baptista intelligimus infinitam Spiritus sancti plenitudinem, quâ (uti mox demonstrabitur) Christus secundum assumptam carnem sive Humanitatem inunctus fuit.

Neque

Neque vel tantilli æſtimandum illud, quod λόγον etiam juxta Divinitatem ante incarnationem unctum eſſe pugnant; Unctionis vocabulo generaliter pro Ordinatione ad Officium accepto: freti illo Servatoris, Ioha. *10.36.* Quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum. Nam Ordinari ad officium Scripturis idem eſſe quod ungi ad officium, nondum probârunt, ac proindè turpiter petunt principium. Orthodoxi certè ſtatuunt accuratiſſimè eſſe diſtinguendum, inter Ordinationem τοῦ λόγου ad Mediatoris officium, & inter unctionem Meſsiæ. Ordinatio enim facta fuit jam inde ab omni æternitate, *1.* Pet. *2.20.* Unctio verò Meſſiæ (uti paulò poſt invictè demonſtrabitur) In tempore demum fieri debuit. Proindè verba Chriſti non de unctione hac, ſed de æterna illa Ordinatione ad Mediatoris officium intelligenda ſunt: ut *ſanctificare* hoc loco, non ſit ungere, ſed ſegregare ſive ſeparare ad certum quoddam munus.

Deindè confirmamus Minorem propoſiti argumenti ſecundi, κατὰ θέσιν, productis in mediũ teſtibus & arbitris omni exceptione majorib. qui contra portas inferorũ obtinebunt, Chriſtũ non ratione Deitatis, ſed ratione aſsũtæ Naturæ Humanæ, infinita

adventum Meſſiæ in hunc mundum, demùm impletæ fuerint.

3. Prodeat teſtis tertius, & ipſe omni exceptione major, Regius Propheta David, ſic unctionem Meſſiæ deſcribens, Pſ. 45,8. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Si jam dubites, An hoc vaticinium, ſenſu Calviniſtico, ante Incarnationem, ratione τȣ̃ λόγȣ, impletum fuerit: mox Judicem & arbitrum ſeſe offert Epiſtola ad Hebræos, ad Chriſtum jam incarnatum, & collocatum ad dextram patris, illud accommodans: cap. 1.

Et ſi fortè ſententiæ huic noſtræ ſubſcribere gravabuntur Adverſarij, rogamus ut pauliſper præſtolari, & VVolffgangi Muſculi contribulis ſui interpretationē, cum gloſſis ſuis haud gravatè conferre velint. Sic autem ille locum hunc Pſalmi interpretatur: Vos attendite Sacramentarij.

1. De Humanitate Chriſti eſt hic Pſalmus, juxta quam unctus eſt à Deo, & in regnum inauguratus.

1. Quia divinitatis dictionem

ponit psaltes, & Epitheton olei & lætitiæ adjungit, non ad Salomonem, sed ad Christum pertinet hæc unctio, qui ut FILIUS HOMINIS oleo Spiritus sancti inauguratus est. Esa. 61 Luc. 4. idque non secundum mensuram, Ioh. 3. sed PLENA & PERFECTA DIVINITATIS inauguratione, omni prorsus in cœlo & in terrâ, potestatis benedictionumq; plenitudine acceptâ à Patre. Et hoc est, quod dicit, præ consortibus tuis: hoc est, præ quibusvis regni Dei participibus, sive angelis, sive hominibus electis.

Pag. 365. Commentarij in Psalmos Davidis. Edit. Basil. An. 1573.

3. Circumstantiæ regni hujus evincũt, nõ de Salomone, sed de Christo fieri hîc mentionem. Hic verus Deus est, non solùm, quatenus est verbum Patris, de quo est Ioh. 1. sed & QUATENUS EST FILIUS HOMINIS INAUGURATUS à PATRE IN DIVINAM MAIESTATEM, collocatusq; ad dextram Patris. Hactenus Musculus Scriptor Calvinianus.

Quam

Quam Orthodoxam certè explicationem mutuatus ille videtur à Damasceno, qui, haud secus ac si ex professo contra Sacramentarios pro nostrâ militasset sententiâ, hunc in modum de Unctione hac Christi disserit. Quidam dicunt, quòd nomen (CHRISTUS) conveniat soli, & propriè secundum se ipsum intellecto & existenti ex Deo Patre genito verbo. At nos non sic docemus aut sapere, aut dicere. Nam quando Verbum Caro factum est, Tunc & ipsum dicimus esse CHRISTUM IESUM. Quia profectò unctus est oleo lætitiæ, id est, Spiritu sancto, à Deo Patre. Et hâc quoq; causa CHRISTUS nominatur. Quòd autem Unctio CIRCA HUMANITATEM sit, nequaquam dubitaverit quispiam eorum, qui recta sapere sunt consueti.

L.4. Orth. fid. cap. 16.

Cui suffragatur Divus etiam Ambrosius, lib. 1. de Fide: **Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: Deus est, qui unxit, & Deus est, qui SECUNDUM CARNEM ungitur.**

Quod ſi jam ſecundum illud Servatoris, In ore duorum aut trium teſtium conſiſtit omne verum: Quid ni ergò ex ore tot ſanctiſſimorum, celebratiſſimorumq́; teſtium, confirmatum jam eſſet: CHRISTUM in tempore demùm, ac proindè ratione aſſumtæ Humanitatis, oleo lætitiæ ſive Spiritu Sancto, præ omnibus conſortibus, non ad menſuram; ſed infinitâ Spiritus Sancti plenitudine inunctum fuiſſe.

Argumentum III.

Quæ Natura in CHRISTO, fuit reſuſcitata ex mortuis: illa ipſa quoq; Natura exaltata fuit, ad dexteram Majeſtatis, virtutis & potentiæ DEI.

At verò non Divina, ſed Humana Natura in Perſonâ Chriſti reſuſcitata fuit ex mortuis.

Ergò: Non Divina natura, ſed Humana exaltata fuit ad dexteram Majeſtatis, virtutis & potentiæ Dei.

Majoris evidentia patet ex cap. 1. 20. Epiſtolæ ad Epheſios: ubi Apoſtolus iſta duo diſertè conjungit, Reſuſcitationem & exaltationem ad dexteram Dei in cœleſtibus: & utrumque uni eidemq́; ſubjecto convenire aſſerit, CHRISTO nimirum. Verba ſic habent: *Deus det vobis, ut ſciatis, quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis*

ejus

ejus, quam operatus est in CHRISTO, *suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Hactenus Apostolus: Unde luce meridiana clarius patet, cui naturæ in Christo competit Resuscitatio à mortuis, eidem etiam competere sessionem ad dexteram Dei in cœlestibus. Quo ipso in loco observationem vel maximè meretur, quòd Apostolus affirmat: DEUM omnem virtutis suæ potentiam exeruisse, in resuscitando CHRISTO à mortuis, eodemq; constituendo ad dexteram suam in cœlestibus. Quod si enim Gloria sessionis ad dexteram Dei Patris, non Humanitati, sed Deitati Christi esset adscribenda; uti nonnulli ex Sacramentarijs autumant: Consequens foret, DEUM Patrem omnem virtutis suæ potentiam, & quidem post Resuscitationem Humanitatis ex mortuis, exeruisse in eo, quòd divinitatem λόγȣ sive λόγον ipsum collocavit ad dexteram suam in cœlestibus. Quod cùm Arianam impietatem plenis velis in Ecclesiæ theatrum reducat, meritò sibi ab istiusmodi Calvinianis glossis mens pia, summo studio cavere debet.

Minorem propositionem; ipsi ultrò largiuntur Adversarij. Quin ergò Conclusio stet firma & immota, dubium esse nequit.

Neque est ut ronchos ducant Adversarij, & tùm hoc, tùm alijs similibus Argumentis ab exaltatione CHRISTI petitis, duos distinctos illos Articulos, Unionis nimirum Personalis, & sessionis ad dextrã Patris, turpiter à nobis confundi clamitent. Neque enim Confusio hæc est: sed diligens duntaxat, & cum Analogia fidei omninò conveniens collatio Articulorum cognatorum, & ad sese mutuò ut Antecedens & consequens: vel, ut Terminus à quo, & Terminus ad quem, habentium: Et talis quidem collatio, ut ex posteriore, tanquam Effectu consequente: Sessione nimirum ad dexteram Patris, de priore Articulo, tanquam de causa Efficiente, Unione videlicet Personali, certissimum *κριτήριον* peti possit, ac debeat. Una siquidem utrobique est gloria, una Majestas, una Exaltatio, *κτῆσιν* sivè possessionem, vel actum primum communicatæ divinæ hujus Majestatis si spectes: quantumvis ea, *χρῆσιν* sive actum secundum, aut plenarium ejusdem usum si respicias, distingui possit. Nam in ipso statim Incarnationis momento, Humana Christi Natura (uti hactenus invictè demonstratum) ita ad gloriam & Majestatem

tem divinam evecta fuit, ut altius exaltari nunquam, & ne quidem in ipsa Ascensione ad cœlos sublimiùs evehi potuerit: Si possessionem sive κτῆσιν communicatæ huius gloriæ, non verò usum sive χρῆσιν spectes. Quæ Evectio, propter interventum status exinanitionis, à scripturis nondum exaltatio appellatur; post Ascensionem demùm, & post depositam servi formam, hoc ei impertito vocabulo: Ubi tamen nunquam novæ alicuius acquisitæ gloriæ κτῆσιν: sed pristinæ duntaxat, jam ante Christo quâ Homo & quidem in primo Conceptionis puncto, communicatæ gloriæ & Maiestatis plenariam χρῆσιν sive usurpationem designat.

His immotis sententiæ nostræ iactis fundamentis, proximum est, ut iam Disputationem ἐλεγκτικὴν persequamur: & quâ fide in scripturarum tractandis testimoniis versetur Sadeel, candidè aperiamus.

Διέξοδος ἀνασκευαστικὴ Capitis Secundi Tractationis Sadeelianæ.

LAudem mereri videtur Sadeel, quòd ſuam de propoſito controverſiæ ſtatu Negativam, ex divinis potiſſimum ſacrarum ſcripturarum oraculis, quippè infallibilem cœleſtis veritatis cynoſuram pręſeferentibus, demonſtrare conatur. Atque utinam hac in parte ea ſibi curæ cordiq; eſſe, paſſus fuiſſet, quæ in quavis quæſtione dubiâ & ancipiti, tùm Theologi, tùm Philoſophi, illis ſpectanda eſſe judicarunt ſemper, qui veros Diſputatores, quàm Sophiſtas agere malunt. Neque enim in Theologicis dijudicandis controverſijs, ſatis eſt, ſcripturas citaſſe: id quod quibusvis hæreticis nunquàm non, imò ipſi etiam Diabolo, frequens admodùm & ſolenne eſſe conſtat. Sed D. Hilarij tenenda eſt ſententia, qui Optimum Scripturarum & lectorem & interpretem eum eſſe pronunciat, qui dictorum intelligentiam expectat potius ex dictis, quàm imponit: refert magis, quàm affert: vel ut cum D. Apoſtolo loquamur,

Hilar. lib. 1. de Trin.

quamur, qui genuinum ſcripturarum ſenſum, non ad rationis humanæ trutinam, aut regulas phyſicas: ſed ad ἀναλογίαν fidei examinat. Rom. 12, 6.

Deinde non potuit ignotum eſſe *Sadeeli* præceptum illud Ariſtotelis, qui in diſputatore philoſopho ea notat, & ceu ψευδῆ λόγον, reijcit argumenta, quæ videntur concludere, neque concludunt: vel concludunt quidem, ſed id quod minus ad rem pertinet: vel denique concludunt etiam aliquid, quod ad τὸ προκείμενον pertinet: ſed non propriâ accommodataq; ratione.

lib. 8. Topic. cap. 5.

Modis certè omnibus enormiter peccare deprehenditur Sadeel, ea capite hoc ſecundo in medium proferens Scripturarum teſtimonia, quæ probant quidem aliquid: Sed non probant id, quod probandum ſibi ipſe ſumſit: imò ſi ad propoſitum ζητούμενον ſive controverſiæ ſtatum, propiùs ea accommodes, nihil omnino probant: & tandem illud ipſum, quod probant, non ſecundum Methodum, hoc eſt, non loco convenienti probant.

Quid enim? An non ſtatus Controverſiæ eſt inter nos & Sadeelem: *An vi Vnionis Hypoſtaticæ, Λόγος divina ſua Idiomata,*

 mata,

mata, & inter hæc Omnipræsentiam quoque Realiter communicaverit assumtæ Humanitati suæ? Sic certè opinor: Sic ipse quoque suprà sub finem capitis primi censuit Sadeel. Quid igitur? Annè, si, secundum producta à Sadeele scripturarum testimonia, CHRISTUM veram humanam Naturam assumsisse: si de loco in locum progressum: si post Resurrectionem quoque in certo quodam loco conspectum fuisse: si in Cœlum ascendisse: si in ipso etiam statu gloriæ & Maiestatis, verum Corpus Humanum, ejusdemq; proprietates naturales, salvas & illæsas retinere &c. probatũ fuerit: statim Realis illa κοινωνία divinorum τȣ̃ λόγȣ Idiomatum, Humanitati Christi facta, ejusdemq́, ad dextram Dei Patris sedentis infinita Majestas, & ab hac dependens Omnipræsentia expirabit? Vel etiam: Si CHRISTVS secundum assumtam Humanitatem jam in statu gloriæ, omnia in omnibus ubique præsentissimè implere, & in medio etiam inimicorum suorum dominari creditur: Anné ideò mox Veritas Humanæ Naturæ Christi periclitabitur? Sic quidem mordicus urget Sadeel; sed ut, quod res est, dicam, perpetuis aberrans παρελέγχοις: quos

núm error potiùs & inſcitia; an verò malitia pepererit, haud immeritò dubitatur,

Utrumque certè ſalvâ veritate Humanæ Naturæ in CHRISTO ſimul ſtare poſſe, imò ſtare in æternum, partim jam modò in præcedentibus, invicto argumentorum pondere evicimus: partim in progreſſu Tractationis huius ad oculum demonſtrabimus.

Cæterùm ut evidentiùs pateat, quàm irrito conatu immotæ veritatis rupem, ſuis conſequentijs & argutationibus diverberet Sadeel: inſiſtemus utique ipſius veſtigiis: & κατὰ πόδα quod ajunt ipſum ſecuti, initiò ſcripturarum ab ipſo producta teſtimonia ad trutinam analogiæ fidei accuratiùs appendemus: Deindè verò conſequentias iſtis ſophiſticè affictas, gladio Spiritus ſancti diſſecabimus.

Tu nobis adeſto CHRISTE: Tua enim agitur gloria, tua Maieſtas.

Diſpeſcimus autem Methodi gratiâ, univerſa illa, quæ ſatis magno numero produ-

produxit Sadeel, testimonia, in tres distinctas classes: quarum.

I. ea continet, quæ λόγον veram humanam Naturam assumsisse demonstrant:

II. verò ea profert; quæ Christum ratione Corporis, in loco certo fuisse, de loco in locum progressum: post Resurrectionem etiam idem Corpus suum discipulis spectandum palpandumq́; præbuisse, ac tandem verè in Cœlos per Ascensionem subduxisse testantur.

III & postrema ea urget, quæ CHRISTI reditum ad iudicium pollicentur.

Locus I. Classis primæ

Ioh, 1, 14. *Verbum Caro factum est.*

RESPONSIO.

OPtandum foret, ut Sadeel, ipsiusq́; asseclæ, illustris huius loci Iohannitici verum ac genuinum sensum, vel pleniùs ac planiùs assequerentur, vel certè suis glossulis eundem non obscurarent magis, quàm explicarent. Hæc verba, inquit ille, *non significant ipsam Naturam τῦ λόγυ esse conversam in carnem: vel Naturam carnis esse conversam in verbum: sed veram carnem, hoc est, ve-*

ram

Digitized by Google

ram hominis naturam esse assumtam à verbo. Bene quidem ex parte: ex parte vero imperfectè & Sophisticè. Nam quoad prius illud, nempè Unionem hanc duarum naturarum in Christo, sine ulla confusione aut conversione naturarum factam fuisse: id nunquam non, quippe fidei Christianæ *ἀνάλογον*, sensimus, docuimus, defendimus: freti Magisterio, non Sadeelis, sed ipsius Spiritus sancti, qui λόγον non Angelos, sed semen Abrahæ assumsisse, perq; omnia fratribus similem factum fuisse, disertè testatur. Hebr. 2, 16. & 17. Unde nostri etiam Doctores uno ore, phrasin hanc Iohanniticam, qua Verbum Caro factum esse dicitur, longe alia ratione, quàm qua in materijs physicis una substantia dicitur fieri altera; intelligendam esse, semper docuerunt. Quin etiam hanc ipsam propositionem ab alijs consimilibus (si literarum ac vocum sonum spectes) Scripturarum phrasibus, quales sunt, Exod. 4, 3. & 4. *Baculus factus est serpens: Et serpens factus est baculus*: Item: Ioh. 2, 9. *Aqua facta erat vinum &c*: ita semper distinxerunt, ut in miraculosis istis mutationibus, unius rei conversionem in alteram statuendam: In hac verò phrasi

Iohan-

utrinque in confesso est: sed, An hæc ipsa vera assumta natura humana, salvâ manente veritate humanitatis, nihilominus acceperit verè à λόγῳ, divina ἀξιώματα? Ad hoc ζήτημα negatè respondet Sacramentarius, hac usus ratione: Quia nimirùm, secundũ Aphorismum hunc Johannis, λόγος assumserit veram humanam naturam. Quo pacto status Sophisticè mutatur in argumentum: & id de quo non dubitatur vel quæritur, operosè confirmatur: haud secus ac si quis ad Quæstionem, *Vtrum ferrum ignitum salvâ veritate ferri, accipere poßit ab igni Lucem & Calorem?* negatè responderet, hac data ratione. Quia nimirùm Ferrum sit verum ferrum. Unde manifestum evadit, quàm turpi παρελέγχῳ & seipsum & alios fallat Sadeel, dum ex veritate humanæ naturæ, Idiomatum divinorum communicationem, evertere studet: uti suo loco infra accuratiùs ostendetur.

Deinde etiam Sophistica est hæc interpretatio; & cum manifesto dolo conjuncta. Sic enim persuadere conatur simplicioribus, Johannem suo hoc pronunciato, (*Verbum Caro factum est*) nihil

nihil voluisse innuere aliud quàm quod λόγος veram hominis naturam assumserit. Rectè quidem ex vocabulo Carnis veritas assumtæ humanitatis elicitur: at interim Spiritus sanctus ἐμφάσει totius phraseωs. *VERBVM CARO FACTVM est*, ad accuratiorem mysterij huius considerationem quasi manu nos ducere voluit: verbo (FACTVM est) ceu digito indice, Terminum in quem, vel potius intra quem Humana natura est assumta: & sic arctissimam tùm Naturarum, tùm Idiomatum κοινωνίαν, ex Unione hac resultantem, demonstrans.

Edit. Basil. ultimâ: p. 159.

Id quod ex gente Sacramentaria observavit etiam VVolffgangus Musculus, suis in locis sic scribens: Non dicit Iohannes, verbum carnem suscepit, aut sibi coniunxit: sed verbum Caro factum est. Amplius quiddam est, fieri carnem, quàm assumere, aut coniungere sibi carnem. Nemo mox id esse dicitur, quod assumit, aut sibi coniungit. Quæ assumimus, habemus quidem: verùm ea non mox sumus, quantumvis illa nobis proximè couiungamus. At verbum caro

caro factum dici potest,] propterea quôd non simpliciter carnem nostram assumsit, sed illi sese UNITATE PERSONAE conjunxit. Id nimirùm Musculus, Sacramentarius alioqui, ex Loco isto Iohannis colligit, quod nos indè extruimus: nempè, in interpretatione ejus, non solum considerandum esse, quid nam λόγος assumserit: sed QUÔ assumserit: sive, quod idem est, non tantùm urgendum Terminum ex Quo: sed & Terminum in Quem, sive intra Quem: Qui Johanni est λόγος sive ὑπόστασις τοῦ λόγου, respectu cujus à Patre & Spiritu sancto, Realiter sive verè, aut personaliter ille est distinctus. Sic ergò (vi Aphorismi Johannitici) λόγος sive Verbum factum est caro: ut assumta illa vera humana natura, quæ per se & ex se est ἀνυπόστατος, jam reali participatione facta sit κοινωνὸς ὑποστάσεως τοῦ λόγου: imò hæc ipsa ὑπόστασις τοῦ λόγου, facta jam sit hujus ipsius Carnis assumtæ ὑπόστασις.

Num verò ex arctissimâ hac Unione duarum naturarum in Christo, divinorum τοῦ λόγου idiomatum sive proprietatum κοινωνία ad assumtam Humanitatem

 redun-

redundaverit: illud haud gravatè ex ipso Johanne percipiat Sadeel: qui verbis istis, *Verbum Caro factum est*, immediatè Effectum istum subjicit, dicens: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à patre: Plenum gratiâ & veritate*: Gloriam nimirùm non creatam, non humanam, non Angelicam: sed verè divinam.

Audiat porrò Majores nostros Orthodoxos, ac initiò quidem D. Hilarium, verba Johannis sic exponentem: Quia Filius est Verbum, & Verbum Caro factum est, & DEUS Verbum, & hoc in principio apud DEUM, & Verbum ante constitutionē mundi filius, filius nunc caro factus erat, ut hoc patri caro inciperet esse, quod Verbum: ut id, quod de Tempore erat, Gloriam eius, quæ sine tempore est, claritatis acciperet, ut IN DEI VIRTUTEM, & spiritus incorruptionem transformata CARNIS CORRUPTIO (non caro ipsa) absorberetur.

l. 3. de Trin.

Audiat porrò Cyrillum Unionem hanc verbi cum carne sic explicantem: Servare volens id quod perierat descen-

ſcendens ad nos DEUS Verbum, in id ſe, quod non erat, immiſit, ut & HOMINIS NATURA, id quod non erat, fieret, DIVINAE MAIESTATIS dignitatibus per adunationem (Unionem) niteſcens, quæ ſublevata magis eſt ULTRA NATURAM, quàm dejicit infra naturam immutabilem DEUM. Et cap. 8. Cæterùm tanquàm in imagine, licet in carbone conſpicere adunatum quidem humanitati DEUM verbum, non tamen projeciſſe, quod fuerat; transformaſſe autem magis aſſumtam naturam in SUAM GLORIAM & OPERATIONEM. Et cap. 7. Verbum communes fecit cum ſua carne DIVINAE SUAE MAIESTATIS operationes, ut poſſet etiam vivificare mortuos.

Tom. 2. de Incarnat. Unigen. cap. 11. p. 172. edit. Pariſ. Anni 1572.

Audiat tandem ſuum popularem, Jacobum Stapulenſem, decus illud & ornamentum unicum Galliæ: *Sic autem iſte:* Verbum caro factum eſt. Quare

verbum nusquam est sine carne, neque Caro illa sine verbo. Videte ne corporalis imaginatio vos ludat, loca multiplicans, spatia distendens. Neque hîc locorum multiplicatio, neque spatiorum distensio intelligitur: sed plenitudo sine loco, supra locum omnem, infra locum omnē, extra & intra locum omnem, sine spatio, supra & infra omne spatium. Et CORPUS Christi super spirituali illo modo, qui sine modo est, nulli comparabile, nulli proportionabile: sed corporali modo, quo in terra visus est, & comparabile & proportionabile est. Hoc ex assumtâ infirmitate, & modum, & comparationem & proportionem admittens: Illud autem ex assumente natura, modum, comparationē, omnemq; proportionem diffugiens. Id ratio imaginatione justâ non attingit, neque rationaliter in seipsa manens: verùm absurda utrinque loquitur & effingit; Sed extra se evadens, supernaturaliter superiore mente

mente infusa virtute UBI NEQUE LOCA, NEQUE SPACIA, NEQUE NUMERUS, NEQUE MULTITUDO, NEQUE TEMPUS COGITANTUR, verè sentit & loquitur.

Conferat verò jam Sadeel suam interpretationem, cum sententia spiritus sancti, Patrum orthodoxorum, & Stapulensis sui, & si fortè conciliare utrumque possit faciat periculum.

Locus II. Classis primæ.

2. Tim. 3, 16. *Sine controversia magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, justificatus in Spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus Gentibus, fides illi habita in mundo, sursum receptus in gloria.*

RESPONSIO.

OEdipo divinatore opus foret, quem in finem aphorismum hunc Apostolicum ad propositum controversiæ statum accommodare voluerit Sadeel. Neque enim vel communicationem Idiomatum divinorum τȢ λόγȢ, assumtæ humanitati factam, ille evertit: vel in specie ad destruendam Omnipræsentiæ Filij Hominis Majestatem, vel tantillum facit: quin utrumq; potiùs solidissimè cõfirmat.

Digitized by Google

Initiò enim phrasis illa, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ Deus manifestatus est in carne, minimè sicco pede est transeunda: quippe quæ arctissimā illam Naturarū Unionem, indeq; dependentem earundem mutuam κοινωνίαν manifestè astruit. Edisserat enim nobis Sadeel, Quæ causa sit, ut conspecto filio Mariæ, non nudus aliquis homo, sed DEUS ipse in carne sua conspectus fuisse ab Apostolo dicatur? Certè Nestoriana illa & Zuingliana ἀλλοίωσις, sive μετάθεσις τῶν ὀνομάτων, præstare in æternum nequit, ut verè dicatur: Hic homo est DEUS: vel, ut Johannes verè de se, deq; reliquis Apostolis pronunciare potuerit, se vidisse oculis suis, se spectasse, se manibus contrectasse τὸν λόγον τῆς ζωῆς, Verbum vitæ: verbum nimirùm non prædicatum illud Euangelij, sed Verbum ὑποστατικὸν Patris, quod est ipse Filius DEI. Quid igitur hoc præstitit? Nihil certè aliud, quàm mutua illa Naturarum ad se invicem κοινωνία eaq; summa & arctissima, Quæ sola efficit, ut nihil quicquam humanitati assumtæ evenire potuerit, quin ipsimet λόγῳ in rei veritate evenerit. Ut exempli gratia, videri hæc Humanitas non potuit, nisi videretur

λόγος.

Digitized by Google

λόγος ipse, qui Carne visibilis factus, & ut Apostolus hic loquitur, in Carne manifestatus est. Sic Johan. 9, 35, 37. Cæco sanato roganti, Quis esset ille FILIUS DEI, in quem credere deberet, perspicuè respondet Christus: Et VIDISTI eum, & qui loquitur tecum, is ipse est. Sic DOMINUS GLORIÆ crucifixus. 1. Cor. 2, 8. PRINCEPS VITÆ occisus. Act. 3, 15. FILIUS DEI semetipsum tradidisse legitur. Gal. 2, 20.

Unde invictissimè colligimus, cùm Spiritus sanctus tùm in præsente loco, tùm in alijs dictis τὰ videri, tangi, crucifigi, & mori, quæ propria sunt assumtæ humanitatis, disertè tribuat λόγῳ Filio DEI; necessariò sublimem & inenarrabilem κοινωνίαν inter λόγον & Naturam assumtam intervenisse, concedendum esse, usque adeò, ut qui ex hujusmodi testimonijs eam infringere velit: is ipsi Spiritui sancto obloqui, & veritati vim manifestam inferre, videri debeat.

Cassianus profectò, l. 5. de Incarnat. Domini, ex eo, quod Apostolus DEUM in Carne manifestatum esse scribit,

ἀπόδειξιν & Demonſtrationem longè firmiſſimã extruit; *longè alio, & toto quidẽ genere diſcrepante modo, τȣ̃ λόγȣ divinitatẽ habitare in Sanctis: & in aſſumtâ ſuâ Carne. In illis quidem ſecundum aliquam divini Spiritus portionem, prout capere poſſunt: In hac verò omnem plenitudinem Deitatis habitare Corporaliter.*

Sed & aliud in præſenti loco Apoſtolico occurrit, quod noſtram doctrinam mirificè confirmat. Quid enim obſecro ſibi vult illud, quòd hunc ipſum DEVM, manifeſtatum in Carne Apoſtolus affirmat *aſſumtum fuiſſe* ἐν δόξῃ, *In Gloria?* An fortaſſis Divinitati τοῦ λόγȣ quicquàm exaltationis, aut Gloriæ in tempore, & quidem ex beneficio hujus Unionis, obtigit? Haud opinor: Jam enim ſuprà, ex ſententia Leonis audivimus talia ſentientem, ſocietati Arij eſſe adſcribendum. Conſequens ergo fuerit, Hanc ipſam aſſumtionem in gloria obtigiſſe Chriſto ſecundum aſſumtam carnem. Jam verò rurſus quæritur, Qualis nám hæc ſit gloria, in quam ſurſum aſſumta eſt hæc Caro? Timidiuſculè reſpondent Sacramentarij, metuentes ne foraſſis quicquam

divinæ

divinæ Majestatis, Humanitati Christi adscribere cogantur. Beza & Sadeel verba Græca ἀνελήφθη ἐν δόξῃ reddiderunt, sursum receptus est in gloriam: Ubi per Gloriam intelligunt Vitam Aeternam, quemadmodum sanè Beza semetipsum explicat, aliquoties reiterans: *Christum receptum esse in Cœlum: hoc est, translatum ex hac mortali & ærumnosâ vitâ, in Cælestem illam.* En verò tibi egregios Scripturarum interpretes, quibus receptio Christi in gloriâ, nihil est aliud, quàm translatio ex hac vitâ in Cælestem sive æternam vitam: qualis omnibus Electis etiam aliquando per Christum obveniet. Longè profectò aliter Spiritus Sanctus hanc receptionem in gloria explicat, in epistolâ ad Ephesios cap. 1, 20. & seqq. Suscitavit Christum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in Cœlis, longè supra omne imperium, ac potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed & in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est Corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Et Ephes. 4, 10. Qui descendit, ipse est, qui ascendit supra omnes cœlos,

 ut

ut omnia impleret &c. Proinde Receptio hæc in Gloria nihil est aliud, quàm Ascensio ad Cœlos & Sessio ad dexteram DEI patris, cujus virtute jam CHRISTUS secundum eam naturam, secundum quam ascendit & exaltatus est, dominatur præsentissimè in medio inimicorum suorum Psal. 110, 2: à mari usque ad mare, & à flumine, usque ad terminos Orbis terrarum Psal. 72, 8. Sic Cyrillus l. de recta fide ad reginas *Receptus est* inquit, *in gloria, ut dicentem audiat DEVM & patrem: Sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et profectò tanta est vis veritatis, ut ipse quoque Calvinus in interpretatione loci hujus Paulini scribere necessum habeat; hanc Receptionem in gloria intelligendam esse de evectione ad dextram Patris, ut illi flectatur omne genu Phil. 2, 10.

Deliberet jam Sadeel cum suis, Num locus iste Apostolicus, ad evertendam magis, an verò confirmandam divinam Majestatem Christi Hominis faciat. Nos ad tertium locum accessum facimus.

LOCVS

Locus III. Claſsis primæ.

1. Tim. 2. 5. *Vnus eſt DEVS, unus Mediator DEI & hominum; Homo Ieſus Chriſtus.*

RESPONSIO.

NIſi gens Sacramentaria, & cumprimis Sadeel pro fungis & ſtipitibus haberet, quotquot Calvinianis abominationibus fidem dare recuſant: nunquàm profectò dictum iſtud Apoſtolicum ad dogmatis ſui confirmationem in medium attuliſſet. Tàm enim illuſtre illud eſt, ut nos ex noſtra parte, utraque quod ajunt manu illud acceptemus, acceptatum ad Sadeelis ſtructuram evertendam, etiam atque etiam urgeamus. Perhibetur enim in eo, Homo Chriſtus Jeſus eſſe Mediator DEI & hominum: Et ſic non ſecundum divinitatem tantùm, ſed & ſecundum aſſumtam Humanitatem ſuam, Chriſtus Mediationis opus exequi. Illud enim neceſſariò evincit, expreſſa notatio HOMINIS. Quod cùm Sadeel ipſe fateri neceſſum habeat, rogamus, ediſſerat nobis:

Cùm

„ Cùm in operibus Mediationis & Sacerdo-
„ tij Christi, tota persona agat secundum
„ utramque naturam, ratione tùm meriti,
„ tùm efficaciæ: Humana verò natura in
„ eorum plurimis, nihil ex suis naturalibus
„ actionibus præstare possit: Qualia sunt,
„ Redimere genus humanum, conterere
„ caput Serpentis, expiare peccata totius
„ Mundi, comparare justitiam æternam, vi-
„ vificare, regere universam Ecclesiam, pa-
„ scere illam, protegere adversus portas in-
„ ferorum, & in æternum salvare, & quæ
huius generis sunt alia; An non, ad e-
vitandam Nestorianam Operatio-
num divulsionem, & ἀποτελεσμάτων
distractionem, quæ quasdam ope-
rationes ad solam simplicem CHRI-
STI divinitatem restringit: An non,
inquàm, necessum omninò sit, Hu-
manam naturam τῇ θείᾳ ἐνεργείᾳ, di-
vina virtute, ditatam & locuple-
tatam esse? Quod si responderit, Hu-
manam naturam, humana duntaxat: di-
vinam verò divina agere in istis ἀποτελέσ-
μασι: rursus obnixè rogamus, demonstret
nobis, Quomodo propositionum istarum
veritas consistere possit; *Semen mulieris
conteret caput Serpentis*: *Caro Christi est vivi-
fica*:

fica: ſangvis Chriſti emundat nos ab omni iniquitate, & purgat nos ab operibus mortuis: Corpus Carnis Chriſti nos reconciliat cum DEO? Gen. *3, 15.* Ioh. *6, 55. & 56. 1.* Ioh. 1, 7. Hebr. *9, 14.* Coloſſ. *1, 22.* Hæc enim divina eſſe, nemo pius negabit: At hæc Humanæ naturæ in Chriſto diſertè à Spiritu Sancto in Scripturis attribui, nemo ibit inficias, niſi qui os in Cœlum ponere, & ipſi Spiritui Sancto palàm contradicere velit. Proindè ex hoc dicto Apoſtolico, & ex cauſis jam productis adverſus Sadeelem, duo iſthæc colligimus. *1.* Chriſtum Ieſum eſſe Mediatorem DEI & hominum, etiam ſecundum aſſumtam humanitatem. *2.* Eandem humanam naturam ex Unione cum λόγῳ divinam planè virtutem eſſe ſortitam, cuius vi, in Mediationis operibus & ἀποτελέσμασι perficiendis, ea agat & exequatur, quæ ultra & ſupra omnem humanæ naturæ virtutem poſita, ſolius DEI ſunt propria. Unde communicatio divinorum Idiomatum τοῦ λόγου, aſſumtæ Humanitati facta adverſus Sadeelem mirificè ſtabilitur: Siquidem, uti iam oſtenſum ἀποτελέσματα illa Mediatoris & Sacerdotii Chriſti Hominis, neceſſariò præſupponunt ὑπερύψωσιν ſupere exaltationem eiuſdem humanæ naturæ.

LOCVS

Digitized by Google

Locus IV. Clafsis primæ.

Hebr. 2, 16, & 17. *Non afſumſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumſit: Quare debuit per omnia, ſimilis fratribus fieri.*

RESPONSIO.

VEritatem Humanæ naturæ in Christo, ex hoc dicto, adverſus Eutychianorum, Schwenckfeldianorum, & id genus aliorum hæreticorum, eam negantium, blaſphemias, ſolidiſſimè confirmari poſſe: non à Sadeele nuper didicimus: ſed nunquam non ſenſimus, docuimus, ſcripſimus. Verùm quid hoc ad tres capellas? Quid ad præſentem controverſiæ ſtatum? Nimirùm ſic arguit Sadeel: Chriſtus eſt verus homo, & ratione aſſumtæ humanæ ſubſtantiæ nobis per omnia ſimilis: Ergò, Chriſtus ſecundum aſſumtam humanitatem, divina gloria & Majeſtate exornatus non fuit. Vetus hæc eſt crambe: vetus etiam παρέλεγχος, jam aliquoties diſcuſſus & profligatus: ut reiteratione nullâ opus ſit,

ſit, præſertim cum mox in explicatione Loci VI. ex hoc ipſo capite,& verbis immediatè præcedentibus deſumti, fuſiùs ſimus demonſtraturi, Chriſtum ratione aſſumtę humanitatis, ſive quoad ſubſtantiam naturæ humanæ, per omnia nobis fratribus ſive conſortibus ſuis factum eſſe conſimilem: & tamen ſimul, ratione Unionis cum λόγῳ, divinam virtutem & Majeſtatem accepiſſe,& ultra ac ſupra cõſortes ſuos, infinitâ Spiritus ſancti plenitudine, non ad menſuram inunctum fuiſſe. Unicum illud in præſenti loco velim expendat Sadeel, quod ipſe, ſuo uſus conſilio, in citatione huius loci ſibi omittendum eſſe ſtatuit. Sic enim integer habet textus: verſ. 17. Unde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors & fidelis eſſet PONTIFEX in ijs, quæ ad expiandum peccata populi apud DEUM agenda forent. Innuit ergo autor Epiſtolæ, hoc Conſilio voluiſſe Chriſtum nobis fratribus ſuis ὁμοιοθῆναι, ut exequeretur Sacerdotale officium, quod eſt 1. expiare peccata populi. 2. verſu ſeq. 18. eandem expiationem cunctis ad ſe vera fide confugientibus efficaciter applicare.

Quod

Quod ſanè opus; quantumvis divinum, num ſola divina Chriſti natura, exequatur? deliberent Sacramentarii, easq; rationes expediant, quas paulò antè in præcedentis loci proximi aſſertione notavimus.

Locus V. Claſsis primæ.

Huc ſpectant loci prophetici de Meſſia filio Davidis paſſim extantes: ut Eſ. 9. 11. Ier. 23. Ezech. 34. 37. Oſe. 3.

RESPONSIO.

CHriſtum Servatorem ratione aſſumtæ humanitatis Germen eſſe Davidis, eſſe Servum David, Davidem, Filium Davidis &c: tàm probè novimus, tamq; firmiter credimus, ut tùm adverſus Iudæos, tùm adverſus Calvinianos Iudaizantes, Teſtimoniorum propheticorum, Meſſiæ nativitatem, & officium deſcribentium, ἐμφάσεις ſtrenuè urgeamus: adeò ut iſtis percenſendis iure optimo ſuperſedere potuiſſet Sadeel: præſertim cùm ne in ſpeciem quidem probabiliter, Nos negatæ Veritatis humanæ naturæ in Chriſto jure inſimulare

aut

aut arguere possit. Quòd enim Communicationem Majestatis divinæ, Humanitati Christi salva ejus veritate concedi haud posse existimat: consuetum repetit *παρέλεγχον*: & committit *σόφισμα τȣ̃ μὴ αἰτίȣ ὡς αἰτίȣ*: imò turpissimam disparatarum quæstionum, disparatorumq; respectuum Confusionem: ut infrà in responsione generali fusiùs ostendetur.

Cæterùm haud immeritò mirum, imò suspectum nobis videri potest, quòd ipsa Locorum Propheticorum verba, prout in fontibus jacent, recitare noluit. Lucem nimirùm fugiunt Vespertiliones isti, & Patriarchæ sui Calvini Judaizantis glossulas, præcipuis Prophetarum oraculis de Christi persona & officio agentibus, blasphemè assutas, ceu turpissima spiritus Calviniani pudenda tegere student: & tamen nihilominus fucum facere Lectori conantur, ac si oraculorum Propheticorũ dexterrimi essent interpretes. Quæ tamen larva hypocritica, pio nostrorum studio & labore ita detracta ipsis est, ut absurdi planè videri debeant, nì vel tandem aliquando ipsos hypocryseωs hujus pudeat & pœniteat. Sed jam cum Sadeele ad reliqua progredimur.

Locus VI. Classis primæ.

Hebr. 2, 14. *Quemadmodum pueri communicaverunt carni & sanguini: similiter ipse quoque particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, hoc est, Diabolum.*

RESPONSIO.

AUt non satis verborum istorum ἔμφασιν expendit Sadeel: aut destinato consilio, genuinum eorundem sensum occultare voluit. Veritatem humanæ naturæ in Christo rectissimè indè astrui & confirmari posse, tacente etiam Sadeele, per Dei gratiam nunquàm ignoravimus. At verò in eâ solâ demonstranda, sensum verborum istorum omnē terminari, simpliciter negamus: & intrepidè asserimus, hunc etiam locum luculenter demonstrare, assumtam humanam naturā in persona Christi, ad κοινωνίαν ὑποστάσεως τοῦ λόγου, ejusdemq; divinorum Idiomatum participationem, verè sive realiter aspirasse. Hoc dum probamus, patulas quæsu-

quæſumus aures arrigant Sacramentarij: Argumentum probationis hoc eſto:

Si Filius DEI uniens ſibi carnem ſive naturam humanam, particeps eſt factus carnis & ſanguinis: utique è converſo, ipſa quoque hæc caro & ſanguis, ſive quod idem eſt, ipſa humana natura aſſumta, reddita eſt μέτοχος καὶ κοινωνὸς, *hoc eſt, particeps ipſiuſmet aſſumentis & unientis Verbi, & divinæ ejuſdem* ὑποστάσεως, *imò divinorum etiam* τοῦ λόγου *attributorum ſive Idiomatum, quippe quæ cum* ὑποστάσει τοῦ λόγου *ſimpliciſſimè convertuntur.*

At prius verum: concedente hoc ipſo etiã Sadeele. Hoc enim diſertè innuit Locus iſte Apoſtolicus.

Verum igitur ratumq; erit & poſterius.

Majoris certitudinem ſic probamus: Si aſſumta Humanitas (ex hypotheſi Sadeelis & reliquorum Sacramentariorũ arguendo) in κοινωνίαν ὑποστάσεως τοῦ λόγου realem, per Unionem non pervenit: Conſequens erit ἐξ ἀνάγκης, neque Nativitatem ex virgine, neque obedientiam legi præſtitam, neque paſſionem, neque mortem humanæ naturæ, quicquam ad ὑπόστασιν τοῦ λόγου pertinere: ſiquidem per nudam duntaxat παράστασιν ſive aſſiſtentiã Humana natura Filio DEI adhærebit, ſine ullà reali naturarum ad ſe invicẽ κοινωνίᾳ.

Jam verò ſcriptura ſacra non nudum Hominem, ſed ipſum λόγον, ipſum Filium Dei, ipſum Dominum gloriæ natum, factum ex muliere, legi ſubjectum, paſſum, crucifixum fuiſſe affirmat. Luc. 1, 32. Gal. 4, 4. & 5. Act. 3, 15. 1. Cor. 2, 8. Joh. 3, 16. Rom. 8, 32. Gal. 2, 20. &c.

Conſequens ergò fuerit, ad aſſerendam veritatem iſtarum propoſitionum, ſtatuere, Humanam naturam non per nudam quandam παράστασιν ſive aſſiſtentiã adeſſe λόγῳ: ſed ita Unitam fuiſſe λόγῳ, ut mediante hac Unione, in ipſam vel potius intra ipſam ὑπόστασιν τοῦ λόγου, & ſic in κοινωνίαν ὑποστάσεως τοῦ λόγου, & hac rurſus mediante, in κοινωνίαν ſive participationem divinorum τοῦ λόγου Idiomatum pervenerit: id quod ex præſente loco adverſus Sadeelem erat demonſtrandum.

Locus VII. Claſsis primæ.

Luc. 2, 40. & 53. *Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturq́ ſapientia. Item: Ieſus proficiebat ſapientia & ſtatura.*

RESPON-

RESPONSIO.

MUrmurat Sadeel, *quosdam* (Ubiquitarios tacitè sugillat) *dicta isthæc corrupisse, & progressus illos, quos Christum ætate, sapientiâ, staturâ fecisse Lucas commemorat, in nudum aliquod spectrum convertisse.* Verùm cum larvis & lemuribus dimicat. Quis enim ex nostris unquam tale quid vel sensit, vel dixit, vel scripsit. Si verò ex nostrorum scriptis ac disputationibus illud probari nequit, Calumniatoris certè, & viri minimè boni, hac in parte, munere & officio functus esse Sadeel, censendus est.

Nos ambabus quod ajunt ulnis utrumque dictum avidè arripimus, & *κατὰ τὸ ῥητὸν* verba singula intelligimus, id quod mox fiet perspicuum.

Credimus igitur & docemus, Christum in assumtâ Naturâ Humanâ non modò, ut alium quendam puerum, per annos infantiæ, pueritiæ, juventutis verè crevisse ætate, staturâ & sapientiâ respectu donorum animæ habitualium: Sed & crevisse ratione usus plenarij, sive Actus secundi eorum divinorum attributorum, quorũ in Unione verè ac realiter ea fuit facta particeps. Et ut distinctè totum hoc

negocium expediamus, ostendemus breviter, Quomodo & secundum dona habitualia, subjectivè humanitati Christi inhærentia: & verò etiam secundum dona illa supernaturalia & divina Christus verè creverit.

Jam olim autem celebrata fuit, pia illa & orthodoxa sententia Sophronij; quam tulit in Synodo Hierosolymitana: οἱ μίαν λέγοντες θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ τῶν δύο φύσεων τοῦ χριστοῦ, μίαν αὐτικρυς καὶ φύσιν κηρύττουσι: Qui de duabus naturis Christi, unam voluntatem & actionem prædicant, illi haud dubiè unam etiam naturam prædicant. Assumsit enim Filius Dei humanam naturam, non, ut Apollinaristæ somniabant, ἄψυχον inanimem, non ἀνενέργητον inefficacem: sed λογικὴν, θελητικὴν καὶ ἐνεργητικὴν, intelligentem, volentem, operantem. Talis enim nisi fuisset, prorsus non extitisset, secundum illud Damasceni, εἰ ὁ νοῦς ἄσοφος καὶ ἀνενέργητος, καὶ ἀκίνητος, πάντως καὶ ἀνύπαρκτος: si mens caret scientia & sapientia, si caret efficacia & motu, omninò non est mens.

Porro Quemadmodum humana natura per Unionem non est abolita, vel conversa in divinam; Ita etiam naturalis scien-

ſcientia, voluntas & operatio humanæ naturæ in Chriſto, non ſunt vel abolitæ, vel ita converſæ, ut eadem jam ſit naturalis ſeu eſſentialis ſapientia, voluntas & operatio humanæ naturæ in Chriſto, quæ eſt divinæ. Quemadmodum abſurdam hanc & erroneam opinionem, per inſignẽ calumniam, noſtris Eccleſijs affingere ſolent Sacramentarij. Hæc potius conſtans ſemper Eccleſiarum noſtrarum fuit hac de re doctrina: Quemadmodum per Unionem non eſt facta Confuſio naturarũ, ut ex duabus compoſita ſit quædam tertia: Ita etiam non eſt facta Idiomatum Eſſentialium confuſio, ut voluntas & operatio Chriſti, jam nec divina nec humana ſit, ſed tertij cujuſdam generis. Sed, uti caput 7. Concilij Romani piè definivit: ſubſtantialis differentia naturarum in Chriſto, etiam poſt Unionem, inconfuſa & indiviſa manſit: adeò ut δύο θελήματα φυσικὰ, ἤγουν θελήσεις, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, ἐπὶ τοῦ ἑνὸς δυγνεῖσθαι χριστοῦ: duas naturales voluntates, & duas naturales operationes, in uno CHRISTO demonſtrare liceat. Proinde ſicut in CHRISTO duas naturas cum ſuis proprietatibus credimus: Ita duas

naturales voluntates, & naturales actiones, unam divinæ, alteram humanæ, confitemur. Rursus autem, sicut Naturæ in Christo non separatim subsistunt, sed unitæ sunt ὑποστατικῶς Personaliter, ut non duo, sed unus sit Christus: non duæ; sed una persona: Ita Unus etiam est Volens, non duo Volentes, unus operans non duo: siquidem naturæ ὐ διῃρημένως ἀλλ' ἡνωμένως, non per se, aut seorsim, sive separatim; sed conjunctim suas actiones exercent, ad unum producendum ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν, uti Veteres loquebantur.

Hæc paulò altiùs repetenda fuerunt, tùm ut Monotheletarum error, quem sub doctrinâ nostrâ de Reali Communicatione Idiomatum, in proscenium Ecclesiæ revocari, clamitant Sacramentarij; à nostris Ecclesijs propelleretur: tùm verò insequens verborum Lucæ explicatio esset dilucidior. Jam ergò ad rem.

Initiò autem ceu immotam fidei anchoram tenemus, Christum respectu proprietatum Essentialium divinæ naturæ nullo prorsus modo unquàm crevisse, vel etiam crescere potuisse: sed quicquid hoc loco de augmento & profectu pueruli

Jesu

Jesu affirmat Lucas, illud in solidum de humana natura esse intelligendum. Quemadmodum Ambrosius etiam docuit, scribens:

Profectus ætatis, & profectus sapientiæ, non divinæ, sed humanæ naturæ est: Quomodo enim DEI sapientia proficeret? Ideò ætatem commemoravit, ut secundum hominem crederes dictum. Aetas enim non divinitatis, sed Corporis est: &c.

Humana igitur in Christo natura verè crevit *1.* ætate. *2.* staturâ: Utrumque enim vox Græca ἡλικία denotat. *3.* Sapientiâ illâ finitâ & habituali, quæ animæ habitualiter, formaliter, & subjectivè inhæret. Quemadmodum enim reliqui pueri paulatim crescunt donis animi, donec habitus ille inhærentis scientiæ & sapientiæ, per justam ætatem & longam rerum experientiam confirmetur: Ita in hac etiam parte Christus nobis fratribus voluit esse similis, & quoad dona isthæc animæ habitualia, verè crescere & proficere: servatâ tamen graduum & modi distinctione Qua de re sic Justinus Dial. cum Tryphone Judæo: *In lucem editus puer Iesus, incrementum capiens, juxta communem aliorum omnium mortalium morem, rebus congruentibus usurpandis, suum cuique auctui &*

ætati tribuit, ἑκάστῃ αὔξησιν τὸ οἰκεῖον ἀπένειμε, alimentis omnibus utens, & ad annos plus minus triginta durans &c.

Deinde crevit etiam Humana natura, respectu donorum illorum divinorum & & supernaturalium, quorum κοινωνὸς sive particeps ea evasit in ipso statim primo conceptionis momento: non quidem ac si ipsa in sese dona illa divina & spiritualia crevissent: Quod absit ut vel cogitemus: sed quòd in statu Exinanitionis plenum eorum usum, sive uti in scholis loqui solemus, actum secundum exercere noluit. Sed tantùm in specialibus quibusdam factis gloriam suam manifestavit. Joh. 2, 11. Crevit ergo non ipsa sapientia τοῦ λόγου in assumta humanitate: sed humanitas crevit IN illâ sapientiâ, ratione (uti dixi) manifestationis & usurpationis.

Suffragatur huic expositioni Damascenus, dum scribit, *Hypostatica Unio non efficit ἔκπτωσιν excidentiam naturalium proprietatum: sed divina Natura verbi, quando voluit, tempore Exinanitionis concessit, ut assumta sua humanitas aliquid ageret aut pateretur, vel secundum naturales proprietates, vel secundum assumtas (παρεπόμενα τῇ φύσει) infirmitates absque peccato: Divina verò sapientia, quæ tota*

Digitized by Google

tota plenitudine personaliter in assumtâ humanitate habitabat, quando voluit, & prout voluit, subinde magis magisq; per Carnem se manifestavit: Et hoc Lucas vult, quando dicit. Profecit sapientia.

Quam in sententiam B Lutherus verba Lucæ etiam exponit. *Quòd videlicet spiritus seu divina natura verbi: quæ tota plenitudine ab initio personaliter erat in assumtâ humanitate, non semper quosvis virtutum motus seu actus, tempore exinanitionis in ipsa effecerit, sed nunc hos, nunc illos: Quodq; progressu ætatis, subindè efficaciùs majores ac illustriores motus seu actus in ea effecerit: ut anno ætatis duodecimo majores, quàm in infantiâ: & Anno tricesimo illustriores, quàm anno duodecimo: Vt ita tempore Exinanitionis, habitu inventus sit, ut alius homo: atque ita in rei veritate, non coram hominibus tantùm, sed & coram DEO profecerit sapientia & gratia.*

Quæ sanè interpretatio non nova est, aut in cerebro nostro heri aut nudiustertiùs conficta: sed adstipulatorem habet Damascenũ rursus, l. *3*. orth. fidei cap. *22*. & cumprimis insigne illud lumen Ecclesię Gręcę, Cyrillum, lib. *11*. Thesauri: sic scribentẽ:

Prof-

Proficiebat in Christo natura humana hoc modo: Assumsit sapientia DEI, *hoc est*, *Filius* DEI, *nostram naturam, paulatimq; tùm verbis, tùm factis deificationem* (exaltationem) *assumti hominis revelans, proficere ipsum revelando faciebat. Et sic ipsa natura proficiebat in sapientiâ, in qua erat deificata.* Cæterùm cùm hic ipse status exinanitionis finem suum cum morte Christi fuerit sortitus: nulla amplius accretione opus est: sed potius λόγος infinitam suam sapientiam & scientiam in exaltatâ jam, & ad dextram virtutis Dei considente Humanitate, plenissimâ perfectione sic declarat: ut Christus jam etiam, quâ homo, Universa sciat, & coràm præsentissimè aspiciat.

Habet Sadeel nostram verborum Lucæ interpretationem, scripturis sacris *ἀνάλογον*; & Orthodoxæ antiquitatis calculo comprobatam, Faciat ipse jam periculum, utrum ex ea elicere possit, quod progressus illos pueruli Jesu, in nudum aliquod spectrum convertamus. Hoc si præstiterit, herbam profectò ipsi porrigemus:

Verùm rogamus simul obnixè, ut haud gravatè paulisper præstolari & attendere velit, quo pacto Lucas nostram de Majestate divinâ Filio hominis per Unionem

nem communicatâ doctrinam, egregiè confirmet.

Ac illud quidem velim probè observet, quod Lucas dicit: Το παιδίον πληρούμενον σοφίας: Puer plenus erat sapientia. Vitiosissimè enim reddiderunt Beza & Sadeel, Puer implebatur: cum πληρούμενον sit participium passivum præsentis temporis, ac proindè non quid jam demùm fiat, sed quid jam antè, nempè in primo Unionis hujus momento, factum sit, perspicuè designet. Quæ vox Græca, cùm una certâ voce latinâ reddi haud queat, sensus est quærendus ille, quem ipse Lucas prodidit, cap. 4, 1. scribens: *Iesus autem plenus Spiritu Sancto*, πλήρης πνεύματος ἁγίου: quem sensum etiam repetit Apostolus Paulus Col. 2, 9. asserens, *Totam plenitudinē Divinitatis in Christo habitare* σωματικῶς *Corporaliter*, hoc est in corpore assumto, tanquàm in proprio templo: Itē *omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in ipso esse* ἀποκρύφους *absconditos*.

Porro per sapientiam intelligere Lucam non habitualem illam, sed divinam & infinitam, ex Unione puerulo huic communicatam, vel subjecta statim historia

ria evincit, de ſpecimine, quod anno ætatis duodecimo edidit in templo: ubi, cùm literas nondum didiciſſet, ſpirituali tamen & divinâ planè de rebus divinis ſapientiâ, ultra ætatem, ultra etiam naturæ humanæ inhærentes qualitates, quærendo & reſpondendo, ad ſtuporem uſque auditorum excelluit.

Senſus ergo verborum iſtorum Lucæ neceſſariò iſte eſt dandus: Puerulus Jeſus, etiam tunc cum creſceret ſapientiâ, erat tamen nihilominus πληρέμενος plenus ſapientiâ: dùm nimirum Univerſa plenitudo Deitatis in ipſo habitabat σωματικῶς: uti jam oſtenſum. Ἄτοπον hoc & αὐτιφατικὸν eſſe, videbitur diſcipulis Sadeelis: At ἄτοπον non eſt, neque contradictorium in Scholâ Spiritus ſancti: cujus diſcipulos nos eſſe præſtat, quàm rationis dictamine fretos, Magiſterium ejus petulantiùs excutere.

Et hactenus quidem primæ Claſſis teſtimonia expedivimus: quæ nùm Adverſarij θέσιν vel tantillum corroborent: noſtram verò doctrinam ulla ex parte non dico evertant, ſed ſaltem leviter infringant: judicium penes candidum lectorem eſto.

Cæte-

Cæterùm pergit Sadeel, & ex his ipsis testimonijs generalem aliquam infert Collectionem: quæ talis est:

Ex his omnibus intelligitur, Aternum DEI *verbum assumsisse in unione personæ humanam Naturam; quæ cum sit vera, sequitur, Corpus Christi esse verum Corpus, ac proinde esse circumscriptum & præditum suis i mensionibus.*

RESPONDEO. Si Humana CHRISTI Natura duntaxat in sese, & ex naturalibus ejus proprietatibus consideratur: non verò, quid Majestatis ex Unione cum λόγῳ acceperit, attenditur: haud profectò nos ipsi quoque inviti largimur, Illam hoc modo consideratam, quippè Naturæ suæ terminis circũscriptam, suisq; dimensionibus præditam, non esse ubique. Hoc enim respectu Omnipræsens sive Ubique ea esse si statueretur: modis profectò omnibus foret consequens, Eam non nisi per infinitatem Essentiæ Ubique esse: id quod (uti rectè colligit Sadeel) veritatem assumtæ Humanæ Naturæ penitùs everteret. Jam verò, cùm non vi sive proprietate suæ Naturæ, sed ex beneficio & gratiâ Unionis, Humana CHRISTI Natura Omnipræsens sive Ubique esse statuatur: quatenus videlicet Omnipræsens λόγος, nullis locorum inter-

intervallis à sua carne vel tantillum abest neque extra eam, quippe quam INTRA suam ὑπόςασιν assumsit, ullibi versatur: hoc sanè respectu nihil prorsus periculi, vel conversæ naturæ humanæ in divinam, vel negatæ veritatis humanæ naturæ est metuendum

Exemplo res fiet illustrior. Quemadmodum enim ipsa Unio duarum naturarum in CHRISTO, respectu cuius verbum Caro factum est, non tollit Circumscriptionem assumtæ Naturæ: licet verè interim præstet, ut totus λόγος cum omni plenitudine Deitatis suæ σωματικῶς in ea sit & immaneat Colos. 2, 9: Ita neque Omnipræsentia, Unionem hanc ἐξ ἀνάγκης (uti supra cap. 1. demonstratum) consequens, tollit Naturæ humanæ Circumscriptionem: Sed Carnem ipsam, Naturaliter Circumscriptam, hoc est, Naturæ suæ terminis finitam relinquit quidem: sed simul Personaliter, sive ex virtute Unionis Hypostaticæ, vbique λόγῳ præsentissimam, citra ullam tamen Naturæ diffusionem sive expansionem, ita constituit: ut collocata iam ad infinitam DEI dexteram, nullibi inclusam, nullibi exclusam,

clusam, Omnia in Cœlo & in terra, teste Apostolo, præsentissimè impleat: Ephes. 4, 10.

Et hoc est Mysterium illud verè ἐξαίρετον καὶ μονότροπον, cujus Exemplum simile neque in Cœlo, neque in terra licet reperire: quòd nimirùm Unius ejusdemq; Naturæ Humanæ in CHRISTO Finitas sive circumscriptio: Et Infinitas sive Omnipræsentia, quantumvis disparata, sine contradictione tamen, & sine negatione veritatis humanæ Naturæ stare simul possunt. Ad Naturæ & Rationis humanæ regulas ista si exigas, minimè quadrare fateor: Verùm si quadrarent, tùm non ampliùs mirabiliter singulare, & singulariter mirabile hoc esset mysterium. Et profectò si humanæ Naturæ in CHRISTO nihil esset adscribendum, quod nostræ Rationi videretur cum illius veritate pugnare: mox ipsa quoque Unio Hypostatica prorsus esset neganda. Certè cum veritate Humanæ naturæ non minùs ac Omnipræsentia pugnare videntur: 1. Uniri cum Deo in secunda adorandæ Trinitatis personâ, quæ est λόγος: inq; ejusdem ὑποστάσει suam habere existentiam: 2. habere vim vivificandi, Joh. 6, 55. 3. sedere à dextris virtutis ac Majestatis Dei, Luc.

„ 22, 69. 1. Pet. 3, 22. Heb. 1, 3. 4. habere sibi
„ universa subjecta. Joh. 3, 31. 1. Cor. 15, 26.
„ Ephes. 1, 20. & 21. Heb. 2, 8. dominari su-
„ pra omnia opera manuum DEI Psal. 8, 8.
„ adorari ab universa creaturâ Phil. 2, 10. &
„ 11. habere & exercere potestatem judicij
„ faciendi, id quod καρδιογνωσίαν & Omni-
„ scientiam necessariò præsupponit. Joh. 5,
27. & quæ sunt hujus generis divina ἀξιώματα alia, quæ tamen de Christo secundum assumtam humanam naturam prædicantur. Quemadmodum verò impius planè censendus esset, qui isthæc omnia assumtæ Humanæ Naturæ, contra expressam & perspicuam scripturarum mentem ideò negare vellet, quia nostræ Rationi cum ejusdem Humanæ naturæ veritate ea pugnare videntur: Ita elumbis planè est Sadeelis etiam Collectio, qui ideò omnipræsentiam Humanæ naturæ derogat, quia cum veritate ejus pugnare illa videatur: & secundum proprietatem Naturæ non conveniat.

CLAS.

CLASSIS SECUNDA testimoniorum Scripturæ à Sadeele, productorum: confirmantium CHRISTUM ante Resurrectionem Corpore suo in certo loco fuisse, de loco in locum progressum: post resurrectionem verò idem corpus suum discipulis spectandum palpandumq; præbuisse: ac tandem in Cœlos per Ascensionem subduxisse.

Locus I. Classis secundæ.

Ioh. 11, 15. *Gaudeo quòd ibi non fuerim.*

Ergò, infert Sadeel, *Corpus CHRISTI non est ubique.*

RESPONSIO.

PRocedit Collectio ex negatione præsentiæ naturalis sive Localis, vel ut Patres loqui solebant, præsentiæ corporalis; ad negationem præsentiæ Personalis: Ubi per crassam ignorantiam, Modo præsentiæ

Digitized by Google

Naturali ſive Locali, ἀντιφατικῶς & contradictoriè opponitur Modus præſentiæ Perſonalis: ut: Chriſtus corpore ſuo abfuit à Lazaro decumbente Bethaniæ, & abfuit quidem ſecundum modum præſentiæ Naturalem ſive localem: Ergo ab eodem abfuit etiam ſecundum modum præſentiæ Perſonalem & illocalem. Quam ſanè conſecutionem modis omnibus negamus, freti immotis illis Theorematis, quæ ſpeciali conſiderationi ſingulorum Claſſis huius teſtimoniorum, paulò poſt de diſtinctis actibus, modis & gradibus præſentiæ Corporis Chriſti, ſubjiciemus.

Locus II. Claſsis ſecundæ.

Matth. 26, 11. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum: me autem non ſemper: nempè* (infert Sadeel) *ſecundùm humanam naturam: Corpus igitur CHRISTI non eſt ubique.*

RESPONSIO.

PRimùm idem occurrit Sophiſma, quòd in argumento præcedente. Deindè

Deindè laborat hoc argumentum Sophiſmate τῦ συμβεβηκότος. CHRISTUS enim dicens; *Me non ſemper habebitis vobiſcũ*: non negat ipſam παρυσίαν ſive præſentiam, aut ejuſdem præſentiæ veritatem: ſed τρόπον τῆς παρυσίας, Modum nimirùm certum præſentiæ: qui nimirùm non ſit futurus talis, ut ampliùs ſibi poſſint benefacere: quemadmodum ſemetipſum ſervator apud Marcum explicat, dicens: Pauperes ſemper habebitis vobiſcum: *& quandocunque vultis, poteſtis eis benefacere: Me verò non ſemper habebitis.* Marc. 14, 7. Modum ergò præſentiæ certum quando negat, non ſtatim ipſam negat præſentiam: de cujus perpetuâ veritate etiam ſecundum aſſumtam Humanitatem ſanctè teſtatur, Matth. 28, 20. *Ecce* EGO *ſum vobiſcum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Suffragatur datæ Reſponſioni ipſe etiam Hieronymus, ſic ſcribens in caput. 26. Matthæi. Tom. 9. Operum. *Oritur hîc quæſtio: Quare Dominus poſt Reſurrectionem dixerit ad diſcipulos: Ecce ego ſum vobiſcum uſque ad Conſummationem Mundi: Et nunc loquatur: Me autem non ſemper habebitis. Sed mihi videtur in hoc loco de præſentiâ Corporali dicere, quòd nequaquàm*

Digitized by Google

cum eis futurus sit post Resurrectionem, QVOMODO NVNC IN CONVICTV ET FAMILIARITATE.

Locus III. Classis secundæ.

Ioh. 16, 28. *Exivi à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad patrem.*

Quod posterius (infert Sadeel) *de præsentia Corporis facilè intellexerunt Apostoli. Sic enim respondent: Ecce nunc apertè loqueris. Corpus igitur Christi non est ubique.*

RESPONSIO.

FAllit & fallitur Sadeel Sophismate παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: idq; dupliciter. Primùm enim in verbis Christi Servatoris vocabulum (Mundi) μετωνυμικῶς hoc loco idem notat ac mundanam conversationem: id quod ex ipso contextu evidentissimè colligitur. Nam quâ ratione Christus exivit à patre, & venit in Mundum: eâdem ratione etiam relinquit Mundum. At verò Christus exivit à Patre; non relinquendo Patrem,

cum

Digitized by Google

cum quo semper unitissimè mansit: non etiam veniendo demùm in hunc mundum, in quo erat ὁ λόγος antequàm è Maria virgine homo nasceretur: sed subeundo conditiones hujus mundi. Ergo pari ratione, nempè deponendo illas ipsas Mundi hujus conditiones, sive mundanam exuendo conversationem, Mundum relinquere dicitur, Adstipulatur Calvinus ipse hunc verborum Christi sensum reddens: *Mundum relinquit, cùm INFIRMITATES nostras EXVENS, in Cœlum receptus est: sed viget nihilominùs erga nos ejus gratia: quia sedet ad patris dexteram, ut potiatur totius mundi imperio:* secundùm eam nimirùm naturam, secundum quam Infirmitates nostras exuit: Humanam videlicet.

Deindè idem Sophisma occurrit in phrasi, *Proficiscor ad Patrem:* quam Sadeel de subtractione præsentiæ corporis Christi falsò interpretatur. Quid enim? Annè Christum vel latum pedem ex hoc mundo corporis sui præsentiam subtrahere oportuit, ut venire posset ad Patrem? Sic quidé arguit Sadeel: At scriptura contrà dilucidissimè testatur, nullâ prorsus vel

Digitized by Google

Mundi desertione, vel Corporis præsentiæ subtractione opus fuisse, ut ad patrem veniret Christus, siquidem in Mundo semper præsentissimè pater est: *Christus autem in patre.* Joh. 14, 10 & 11. Corrigitur ergo error Sadeelis vera interpretatione phraseως, (*Et proficiscor ad patrem*) quæ nihil notat aliud, quàm passionem & mortem, per quam Christus intravit in suam gloriam. Luc. 24, 26. Cujus interpretationis testem imò Autorem fide dignissimum sistimus Johannem ipsum, qui cap. 13, 1. de instante passione & morte Christi verba facturus, stylum sic informat: *Cum Iesus novisset, quòd hora ipsius advenisset, ut ex hoc mundo ad patrem transiret.* Facessat proindè glossa & consequentia Calvinistica, quâ verbis Christi vim inferri, vel Tyro Theologiæ intelligit.

Locus IV. classis secundæ.

Ioh. 17, 11. *Nunc non ampliùs sum in mundo.* (*videlicet secundum Corpus.*)

RESPONSIO.

IDem paralogismus, qui in præcedentibus fuit notatus. Sensus enim verborum

Digitized by Google

rum istorum Servatoris nullus est alius, quàm quòd iam non ampliùs, sicut priùs, fuit cum discipulis visibiliter in mundo futurus: sed per mortẽ abiturus ad patrem, depositâ infirmitate conversationis mundanæ ac terrenæ, quâ ad tempus tantum frui discipulos oportebat. Quam verò ineptum & Sophisticum sit ex negatione visibilis præsentiæ, mox colligere ad negationem personalis præsentiæ: jam aliquoties ostensum, ut reiteratione nullâ sit opus. Illud duntaxat ex Sadeele percontari liceat. Nùm Christus dicens hoc loco, Non sum ampliùs in mundo, An inquam tùm discipulis præsens adfuerit nec ne? Sin responderit, Adfuisse quidem: sed de subsequente suo discessu ex hoc mundo discipulos his verbis voluisse præmonitos: Nos non modò datam responsionem acceptamus: sed & indè inferimus, Servatorem his verbis non simpliciter omnem sui præsentiam, sed eam duntaxat negasse, quæ cum priore conversatione responderet. Quod ipsum agnovit Divus etiam Augustinus, enarrans verba illa Christi, Adhuc modicum vobiscum sum: sic scribens: *Non de illa sua cum suis præsentia, quâ cum illis est usque ad consummationem seculi loquitur: sed vel de infirmitate mortali, quâ cum*

Digitized by Google

illis erat usque ad passionem: vel de praesentia Corporali, qua usque ad ascensionem cum ipsis conversatus fuerat. Quod ipsum probat Augustinus, ex verbis Christi dicentis Luc. 24, 44. *Haec locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum: Quasi tunc non esset cum ipsis assistentibus, videntibus, tangentibus. Quid ergo est, Cùm adhuc essem vobiscum, nisi cum adhuc essem* IN CARNE MORTALI.

Locus V. Classis secundae.

Hebr. 4, 14. *Habemus magnum Pontificem, qui penetravit Caelos Iesum Filium DEI.*

Talis erit Collectio Sadeelis: *Christus ascendens in Caelum penetravit Caelos. Ergo Corpus Christi non est ubique.*

RESPONSIO.

Error est παρὰ τὸ ἑπόμενον: quem corrigimus κατὰ τὸ βιαῖον sive per inversionem, hoc modo: *Christus ascendens in Caelum, penetravit Caelos. Ergo Corpus Christi est etiamnum ubique praesens.* Ratio consecutionis stat firma & immota. Christus enim non sic ascendit in caelum, non sic localiter discessit, non sic terrenam visibilemq; praesentiam abstulit, quemadmodum Helias: de quo Heliseus affirmat, Quòd in terris ampliùs non sit: sed sic ascen-

Digitized by Google

aſcendens & penetrans Cœlos conſedit ad infinitam dexreram virtutis ac maje-ſtatis Dei, hoc eſt, in eum thronum, qui Cœlum & terram implet: teſte Apoſtolo Eph. 4, 10, Conſedit autem ad hanc dexteram, ſecundum eam naturam, ſecundum quam etiam aſcendit. Jam verò quia in hac ſeſſione ad dexteram Dei patris, Chriſto ſecundum humanam naturam, citra omnem prorſus exceptionem univerſa, quæ vel in hoc ſeculo, vel in futuro nominari poſſunt, ſubjecta ſcribantur, Eph. 1, 21. ita ut nihil prorſus exceptum ſit, quod ei ſubjectum non ſit. Heb. 2, 8. ἐξ ἀνάγκης concluditur, tàm non Chriſtum ex Aſcenſione hac & Seſſione ad dexteram DEI patris, ratione humanitatis aſſumtæ ſubjectum eſſe ulli loco: ut ipſe potius loca omnia ſupera & infera ſibi ſubjecta habeat; ut ipſe potiùs continens ſit locorum omnium. Siquidem dextera Dei, ad quam humana Chriſti natura evecta eſt, ita exemta & abſoluta eſt ab omni localitate, ut ne quidem cogitanda ſint ulla locorum διαστήματα, quæ Chriſtum juxta humanitatem remorari queant, quô minùs omnibus operibus manuum Dei gubernandis præſto eſſe, & in medio inimicorum ſuorum ad dexteram Dei dominari poſſit.

Sed

Sed ut ad ipſam quoque phraſin Apoſtolicam, quâ Chriſtus Cœlos penetraſſe dicitur, reſpondeamus, ipſemet autor hujus Epiſtolæ, per æquipollentem phraſin eam explicans, cap. *7,26.* Chriſtũ affirmat Cœlis omnibus ſublimiorem eſſe factum. Ad Majeſtatem ergò potiùs Chriſti aſcendentis exprimendam, quàm ad corporalem aliquam penetrationem orbium cœleſtium denotandam, *Penetrare* illud referri debet. Quemadmodum conſimilibus phraſibus Spiritus ſanctus in ipſius DEI explicanda majeſtate utitur: *Exaltare ſuper Cœlos DEVS. Gloria ejus ſuper Cœlos. Miſericordia ejus ſuper Cœlos.* Porrò verbum *penetrandi* accommodatur etiam ad preces afflictorum; neque tamen indè ſequitur, vocem orantium viſibiles nubes, & orbes planetarũ penetrare, donec ad DEVM perveniat. DEVS enim non eſt procul ab illis, ſed eſt juxta, ſive unâ cum illis in tribulatione, Pſal. *91,15.* Et Pſal. *145,18.* Propè eſt Dominus invocantibus ſe. Scriptura proindè utens verbo penetrandi in deſcribendâ aſcenſione Chriſti, ad noſtrum captum ſeſe accommodat, & majeſtatem Aſcenſionis hujus exprimere voluit.

Locus

Digitized by Google

Locus VI. Claſsis ſecundæ.

Hebr. 8, 4. *Si eſſet in terra, ne ſacerdos quidem eſſet. Quare Corpus Chriſti, non eſt ubique.*

RESPONSIO.

MUltiplex in hac probatione deprehenditur Sadeelis ineptia, quam per ſpecies enumerare, ſed breviter, placet.

Initiò igitur verba Apoſtoli ſic intelligit: *S*i Chriſtus, ſecundum Carnem ſive humanam naturam, eſſet in terterrâ, Sacerdos non eſſet. At verò illud, ſecundum Carnem ſive humanam naturam, de ſuo addit Sadeel: in textu nuſpiam reperitur. Gloſſa ergò & προσθήκη iſthæc eadem facilitate rejicitur, quâ fuit excogitata.

2. Textus non de alterutrâ Chriſti naturâ, ſed de toto Chriſto dicit: *Si eſſet in terrâ, Sacerdos non eſſet.* Quod ſi igitur ex ſententia Sadeelis, hæc verba ſint intelligenda, de negatione præſentiæ Chriſti in terris; certè conſequens erit, Chriſtum totum,

totum, & sic quoque ratione divinæ naturæ non esse in terris. Id quod absurdum & blasphemum.

3. Si ad præsentiam carnis Christi negandam rigidius detorquere hunc locum velit: ostendat quæso, quæ nam sit ratio consequentiæ, Quòd Christus non possit esse Sacerdos, si ullo modo sit in terris? Anne plus facit ad sacerdotalis muneris administrationem, si in dispensatione bonorum suorum à nobis Christus absit (id quod volunt Sacramentarij), quàm si in dextera Dei nobiscum sit, & præsens peragat illã bonorũ suorũ administrationem.

4. Si (ex hypothesi Sadeelis inferendo) Christus sacerdos esse nó posset, quando statueretur adhuc hodiè secundũ carné presens adesse in his terris: consequens foret, Christum, cùm adhuc in terris ambularet; imò cùm passione & morte sua per proprium sanguinem ingrederetur in sancta sanctorum; cùm denique post Resurrectionem per quadraginta dies sese multoties carne sua præsentem in his terris ostenderet; Consequens inquam foret, Christum ne tùm quidem, cùm præstantissimas muneris sui sacerdotalis partes exequeretur, fuisse sacerdotem: Ratio: Fuit enim tùm in terris. Ἄτοπον & illud, imò

imò blasphemum in sacrosanctum Christi sacerdotium.

Quibus ita præmissis, manifestum est Sadeelem committere παραλογισμὸν παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως: in phrasi: *In terris esse.* Nam hoc loco, *In terris esse*, non uti Sadeel secutus capitis sui liripipium opinatur, significat in terrâ verè adesse: sed terrenum agere Pontificem.

Corrigimus proindè errorem, substituentes veram verborum istorum (*Si esset in terra, Sacerdos non esset*) interpretationem, quæ talis est. Confert eo loci autor Epistolæ sacerdotes Leviticos cum Christo Servatore. Illos affirmat terrenos fuisse Pontifices, ac terrenas tractasse victimas, atque sic deservijsse Exemplari & umbræ, uti ex versu statim subsequente patet. Talem terrenum Pontificem esse Christum, rectè negat Autor Epistolæ, in hunc sensum: si Christus esset in terris, hoc est, terrenus Pontifex, tùm non esset verus ille magnus Pontifex, per reliquos adumbratus: sed ipsemet quoque tantùm tractaret umbram. Et sanè juxta hunc modum, Christus neque secundum divinam, neque secundum humanā naturam sic est in terris, ut quemadmodum cæteri Sacerdotes Levitici, terreno fungatur Sacerdotio.

Inter-

Digitized by Google

Interpretatio isthæc non est aliena aut contorta: sed ex ipso capitis hujus octavi Epistolæ ad Hebræos scopo & argumento proprio petita: Quemadmodum ipse etiam Calvinus eam confirmat, scribens. *In Christo cum Sacerdotis nomine sacrificandi officium conjungi debet: Atqui nullum habet terrenum aut visibile Sacrificium: Terrenus ergo Sacerdos esse non potest.*

Locus VII, Classis secundæ.

Luc. 23, 39. *Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet: sicuti videtis me habere.*

Ergo Corpus Christi etiam glorificatum est verum Corpus, suisq; dimensionibus præditum.

RESPONSIO.

Corpus Christi, etiam glorificatum; esse ac manere verum Corpus, suisq; dimensionibus præditum, quis quæso ex nostris negavit unquàm? Proindè Sadeel non cum nostrâ doctrinâ, sed cum capitis sui liripipio & commento pugnat. Deinde non quæritur inter nos, An Corpus

pus Christi etiam glorificatum suas dimensiones sartas tectas retineat: Sed de eo controvertitur, quæ sint illę dimensiones συςαλικαὶ constituentes verum & naturale Corpus humanum. Sadeel cum reliquâ catervâ Sacramentaria συςαλικὸν ἰδιώμα corporis veri esse contendit, τὸ videri & palpari, & in certo loco esse. Sed nimis ἀπαιδεύτως καὶ ἀλόγως. Philosophis corporis Essentia & definitio est, magnitudinem esse longam, latam, & profundam lib. 1. de Cœlo cap. 1. tex. 2. & 3. At visibile esse, palpabile esse, in loco esse. corporis absolutè nec essentia nec proprietas est; sed proprium est Corporis αἰσθητοῦ sensilis, & κινητοῦ mobilis. lib. 4. phys. cap. 1. tex. 6. Et cap. 5. tex. 47. hoc est, ut lib. 2. Metaph. cap. 4. explicatur. φθαρτοῦ caduci: Quod D. Apostolus 1. Cor. 15, 44. nominat ψυχικὸν animale. Quale αἰσθητὸν sive ψυχικὸν corpus, cùm post resurrectionem glorificatum Christi Corpus non sit: certè Corpus nihilominus manet semper verum, licet certo loco nō includatur, licet non semper videatur, licet non semper palpetur.

Proinde futilis & elumbis est Calvinia-

norum collectio: *Christus ad demonstrandam veritatem Resurrectionis suæ, præbuit sese discipulis videndum & contrectandum.* Ergo. *Corpus ejus non potest non esse visibile & palpabile, ac per consequens, cùm in his terris illud ampliùs non conspiciatur, ideóque non præsens adesse, statuendum est.* Accurate enim in verbis Servatoris discernendũ inter id, quod est συςατικὸν corporis ἰδίωμα, videlicet habere carnem & ossa: & inter illud alterum, quod ad voluntariam & arbitrariam οἰκονομίαν sive dispensationem Christus ad tempus suscepit, Quale est, videri & palpari. Prius illud est de Essentia veri Corporis: posterius hoc est οἰκονομίας, eum in finem à Christo susceptæ, ut discipulis fidem faceret, quòd non sit spectrum aliquod, sed carnem & ossa verè habeat, dùm videlicet corpus suum visendum palpandumq; eorum sensibus objicit. Spiritum ergo & Corpus discernunt, τὸ HABERE CARNEM ET OSSA: Quæ & ipsa, uti jam dictum, ad Essentiam & definitionem veri corporis pertinent: Reliqua verò, ut τὸ VIDERI ET PALPARI, ad voluntariam dispensationem sunt referenda: æquè ac illud, quòd ob eundem finem in conspectu discipulorum comedit. Ubi rectè

anno-

annotat Beza, *Christus comedit, non quòd esuriret: sed, quemadmodum retinuit cicatrices: Ita edere etiam voluit, id est, voluit suscipere ea omnia, quibus ipsi opus non erat, nisi in gratiam suorum.* Et Calvinus, *licet* inquit, *Christus cœlestis vitæ novitatem adeptus, cibo & potu nihilo magis indigeat, quàm Angeli, se tamen ad communem mortalium usum spontè demittit. Toto vitæ suæ cursu edendi & bibendi necessitati se subjecerat: nunc eâ exemtus, cibo in hunc finem vescitur, ut discipulos de sua Resurrectione persuadeat.* Calvinus in harm. Euang. p. 570. Quemadmodum autem stultum & anile delirium esset, si quis inde vellet colligere, τὸ edere, item habere cicatrices vulnerum, & clavorum stigmata esse *ουσιωδεις* proprietates corporis glorificati: sic ejusdem est amentiæ, ex eo, quòd Christus *κατ᾽ οἰκονομίαν*, ad demonstrandam carnis & ossium veritatem, videri & tangi voluit, mox inferre, τὸ videri & palpari, item certo loco contineri, esse *ουσιώδη ἰδιώματα* corporis glorificati.

Et quid multis opus est, cùm in eodem capite, versu 31. expressè legatur, Christus coram discipulis Emaunti in diversorio ἄφαντος γενόμενος invisibilis factus esse.

Id quod de verâ disparitione Corporis Christi; non verò de aliquo repentino recessu visibilis manentis corporis Christi (uti Sacramentariorum nonnulli delirant) intelligi potest aut debet: siquidem talis recessus, quantumvis repentinus aut improvisus; nuspiam vel apud prophanos, vel sacros scriptores dicitur disparitio.

Audiat coronidis vice Sadeel unicum Augustinum disserentem de qualitatibus Corporum glorificatorum in hunc modum:

August. lib. de cognit. veræ vitæ: cap. 45.

Corpus Sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate, spiritibus erit æquale, & omne solidum erit ei penetrabile: sicut & corpus Domini lapide clauso surrexit, & januis clausis intravit. Sicut igitur spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur: ita quoque non est necesse, ut tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur. Non enim insensibile Corpus spiritum, sed spiritus Corpus vegetat. Igitur NVLLVS LOCVS spirituale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit, sed ut spiritus ILLOCALITER in summo spiritu, DEO, subsistit, nisi fortè hoc pro loco accipiatur, quod substantialiter & personaliter circumscribitur.

Locus

Locus VIII. Claſsis ſecundæ.

Ioh. 20, 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, DEVM meum, & DEVM veſtrum.*

Responsio.

Ex Aſcenſione Chriſti in Cœlos, viſibilem ejus his in terris præſentiam ſublatam eſſe, ipſi ultrò largimur. At verò nullo alio modo Chriſtũ poſt aſcenſionem præſentẽ eſſe, inde neque *S*adeel, neque univerſa colluvies *S*acramentaria unquàm efficiet. Abſens enim Corpore ſuo ſi eſſet, jam certè conſtitueretur λόγος in his terris extra ſuam carnem: imò inter ipſum λόγον & Naturam aſſumtam, Neſtoriana planè & pluſquàm hæretica fingeretur διαστάσις, quâ λόγος in omnibus illis locis, in quibus ſibi præſentem non habet aſſumtam carnem, & quidem λόγος totus, quippè partem extra partẽ, nullam habens, extra illam ſuam carnem ſubſiſtere. Quin etiam convelleretur infinitum illud diſcrimen, quod inter aſcenſionem Chriſti in cœlos, reliquorumq;

 ſancto-

ſanctorum aſcenſum ſcriptura conſtituit. Solus enim Chriſtus aſcenſurus in cœlos, ſanctè promiſit, ſe fore cum ſuis uſque ad finem ſeculi Matth. 28, 28. Solus Chriſtus ſic ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν aſcendiſſe dicitur, ut omnia impleret Eph. 4, 10. Solus Chriſtus aſcendens conſedit in eum thronum, qui eſt ac dicitur Dextera potentiæ Dei Luc. 22, 69. dextera omnipotentiæ & virtutis Dei Pſal. 118, 16. Soli Chriſto aſcendenti ſubjecta & tradita ſunt omnia, quæ nominari poſſunt non in hoc tantũ ſeculo, ſed & in futuro: adeò ut nihil omiſſum, quod ei non ſit ſubiectum & traditum: Eph. 1, 21. Heb. 2, 8. Solus Chriſtus aſcendens in cælos, & conſidens ad dextram Dei, Apoſtolis exeuntibus & in toto terrarum orbe prædicantibus, UBIQUE cooperatus eſſe legitur Marc. 16, 20. Solus Chriſtus in ſolio dextræ Dei dominari dicitur in medio inimicorum ſuorum: Pſal. 110, 2. dominari à mari uſque ad mare, & à flumine, uſque ad fines orbis terrarum Pſal. 72, 8. Solus Chriſtus ſic per aſcenſionem evectus ad dextram Dei, & quidem quâ Filius hominis eſt, legitur ambulare in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſive Eccleſiarum Aſiæ

Digitized by Google

in his terris Apoc. *1,13.* & *2,1.* Cùm igitur Christus ascensione hac sua, non in certum aliquem cœli locum, sed in ipsam illocalem Dei dexteram, loca omnia, supera infera, longissimè transcendentem devenerit: certè Ascensionis Articulus tàm non Omnipræsentiæ Majestatem Christo Homini derogabit, ut eandem potiùs mirificè confirmet & stabiliat.

Locus IX. Classis secundæ.

Ioh. 14, 2. & 3. *Proficiscor ut vobis parem locum: & postquàm profectus fuero, & paravero vobis locum, rursus veniam & vos assumam.*

RESPONSIO.

QUi ex his verbis colligunt vel Christum esse in certo quodam cœli loco: vel cœlum aut sedem beatorum propriè Locum dici posse ac debere; illi errant παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Loci enim vocabulum quemadmodum etiam phrasis ipsa, parare locum, non propriè sed μεταφορικῶς pro sub-

22, 29 & 30. colligere, in Cœlo, sive in vitâ æterna fore mensam aliquam longam, & materiatam, in qua sint acubituri electi: fore item thronos sive sellas materiatas, in qua sessuri Apostoli & judicaturi duodecim tribus Israel: eò quod servator ibi dicit: *Dispono vobis regnum, sicut pater mihi meus disposuit, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedebitē super thronos, judicantes duodecim tribus Isra l* Quam Collectionem quis non rideret?

Cæterùm nùm Electi & Beati in vita æternâ sint futuri in loco; an item Corpora ipsorum futura sint localia: insequentium duorum locorum diexodus prolixiùs ostendet.

Locus IX. & X. Classis secundæ.

Ioh. 17, 24. *Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.*

Apoc. 14, 4. *Sequuntur agnum, quò ierit.*

Ex quibus efficitur, Corpus Christi, etiam post resurrectionem & glorificationem esse in loco. Nec enim fideles in vitâ æternâ ubique futuri sunt, & particulam VBI de loco intelligendam esse satis est perspicuum, cùm ex propriâ

significatione, tùm ex ijs, quæ de loco fidelibus parando à Christo dicta sunt.

RESPONSIO.

In utriusque dicti explicatione multiplicem errorem prodit Sadeel. Primus error est σόφισμα παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς Simpliciter ἀορίστως & Universaliter loca ista intelligit, hoc sensu, quòd nimirùm sancti & fideles ibi sint futuri in vita æterna, ubi ubi est Christus homo. Unde postmodum inscitè colligit, *Cùm fideles non futuri sint tùm ubique: neque Christum secundum assumtam humanitatem esse ubique.* Iam verò non indefinitè & Universaliter: sed κατά τι secundum quid, & definitè Christum loqui, invicto hoc argumento demonstrari potest. Quodsi enim (ex falsa hypothesi Sadeelis arguendo) sancti & fideles futuri sunt, ubicunque tandé Christus est; Consequens erit, ut, quemadmodum Christus secundum assumtam naturam humanam est in ὑποστάσει τοῦ λόγου in dextera DEI, in throno virtutis & Majestatis DEI; sic sancti quoque & fideles, in eadem ὑποστάσει τοῦ λόγου in eadem dexterâ DEI, in eodem throno ac solio virtutis & majestatis divinæ sint futuri. At verò hoc disertè negat Epistola ad Hebræos cap. 1. 13. asserens nulli Angelorum, nedú homi-

hominum cuipiam dictum esse, sede à dexteris meis. Constat ergo irrefragabiliter κατά τι & definitè verba Christi esse intelligenda, nempè de eadem beatitudine, regno Cœlesti, & vitâ æterna, cuius sancti & fideles evadent participes cum Christo: servata tamen interim non modò infinita illa graduum distinctione, ratione illius gloriæ, quam ex Resurrectione Corpus Christi longè clariorem & perfectiorem obtinet: Sed & servato ineffabili illo discrimine, respectu cujus, solus Filius hominis consedit ad omnipotentem & ubique præsentem dexteram DEI.

Alter error nimis crassus est, quòd somniat Sadeel, Corpus Christi, quemadmodum sanctorum etiam Corpora, post Resurrectionem fore in Cœlis tanquam in loco aliquo physico. Veterem nimirùm illum, & jampridem ex Theologorum imò philosophorum quoque scholis explosum errorem errat, quem Bullingerus & alij Calviniani foverunt, quòd nimirùm Cœlum, in quod reciperentur Electorum animæ & Corpora, sit supra omnes cœlos aspectabiles eiusmodi regio, longa, lata, profunda, in qua Christus unà cum Angelis & beatis hominibus nunc sedeat, nunc stet, nunc spacietur & obambulet. Hæc sapientia Calvinistica ignota fuit Apostolo

Paulo

Paulo, qui Cœlum sive sedem beatorum definire nec potest nec audet; Sed exclamat potiùs Oculus non vidit, auris non audivit, neque in Cor hominis descendit. 1. Cor. 2, 9. Ies. 64, 4.

Porrò hactenus creditum fuit, & piè creditum, Cœlum illud beatorum non loco aliquo physico; Sed Cœlesti potiùs conditione, statu, gloria & beatitudine esse definiendum: in qua futuri sint electi sine peccato, sine tribulatione & morte, visuriq; DEUM à facie ad faciem. Quam sanè beatitudinem ubicunque DEUS suis electis communicat, ibi in Cœlo sunt. Quemadmodum sanè servator propter initium novæ huius cœlectis vitæ, de suis Apostolis adhuc in terris hisce versantibus dicit ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν: Regnum DEI intra vos est. Luc. 17, 21. Porrò in illo ipso Cœlo futurus est DEUS ipse, qui Electis & beatis erit omnia in omnibus: neque tamen in loco aliquo erit.

Et qui factum quòd Sadeel oblitus expositionis Martini Buceri, quam de Cœlis in quos Christus ascendit, planè Lutheranam dedit, in epistolâ ad Episcopum Hervordensem de concordiâ & suis Retractationibus: *Mundum*, inquiens, *Christus*

ſtus reliquit, abijt ad Patrem in COELOS, *hoc eſt,* IN EAM GLORIAM SE RECEPIT, QVA NOBIS QVIDEM VERE TOTVS DEVS ET HOMO PRAESENS EST. *Adeſt autem* RATIONE COELESTI, *nullâ cum rebus præſentibus,* NATVRALI CONIVNCTIONE, RATIONE *inquam*, QVAM FIDES, NON SENSVS, NON RATIO *apprehendit.*

Quî itidem factum, quod cùm alioqui gens Sacramentaria, univerſum myſterium Unionis perſonalis ad leges phyſicas exigere & judicare ſoleat; jam verò in definiendâ ſede beatorum, quæ certè ſupra omnes Cœlos (Danæo etiam teſte part. 2. phyſ. Chriſt. tract. 2. cap. 5.) neceſſariò eſt conſtituenda, niſi fortè quis ſedem illam beatorum cum reliquis cæleſtibus orbibus & cum univerſo firmamento, in die noviſſimo interituram ſtatuere velit: Quòd inquàm in definienda hac ſede beatorum tàm turpiter Sacramentarii obliti ſunt principii illius phyſici, quo ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω φορὰν ſupra ultimam & ſupremam converſionem (Chriſtus autem aſcendit ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν Epheſ. 4, 10: & proinde ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος Sublimior Cœlis factus. Hebr. 7. 26) nullus locus

nullum

nullum vacuum nullum tempus, nulla mutatio esse asseritur: Verba apud philosophum sic sonant: *ἅμα δῆλον ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολή τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φορὰν.* lib. 1. de Cœlo cap. 9.

Et egregiè sanè beat causam suam Sadeel, quando ex particulâ Ubi ejusdemq; propria significatione, quippè Locum semper denotante, errori patrocinium quærit. Siccine ergo Angeli in loco erunt, quia de illis prædicatur particula Ubi: Ut si dico: In Cœlis, Ubi sunt Angeli. Siccinè Deus in loco aliquo erit, quia de eo prædicatur particulâ Ubi; Ut cum quæro: Ubi est Spiritus corpore suo solutus: Ecclesiastes verò respondet: Apud Deum, qui dedit illum: Vel cùm quæro: Ubi sunt animæ justorum defunctorum: Sapientia verò respondet: In manu Dei: vel cum quæro: Ubi est Christus: Apostolus verò respondet, Coloss. 3. 1. In dextris Dei. Faciunt næ isti homines ut sapiendo nihil sapiant, & intelligendo nihil intelligant: Et benè quidem: Siquidem *ἐμεράνθησαν ἐν σοφίᾳ αὐτῶν,*

αὐτῶν, stulti facti sunt in sapientia ipsorum.

Sed superest adhuc alius quoque error, turpis nimirum ἄγνοια ἐλέγχου in posteriore illo dicto: Apocal. *14, 4. Sequuntur agnum, quô vadit.* Sensus enim est, Electos sub regno Antichristi; non secuturos vocem Romani Pontificis; Sed agni, hoc est Christi Servatoris sui, in verbo præeuntis: id quod patet ex immediatè præcedentibus verbis, ubi hi ipsi Electi nominantur *virgines*, qui cum mulieribus non fuerint coinquinati. Ubi *Virginitate*, illibatam fidei puritatem: *scortatione* verò Idololatriam notari, nemo facilè negabit, nisi qui hospes planè in Scripturis fuerit. Sap. 14, *12. 2.* Cor.. *11, 2.* Phrasis proindè isthæc (*Sequuntur agnum quocunque ierit*) æquipollet illi Servatoris, Ioh. *10, 3.* Oves meæ vocem meam audiunt, & alienum non sequuntur. Edic verò jam Sadeel quid hoc faciat ad præsentis status κρινόμενον? Illud fortassis, quia fideles sequentur agnum quocunque ierit: Ac verò fideles non erunt ubique in vitâ æternâ: Ergò neque Christus in vita æterna erit ubique? Macte audacia Sacramentaria

nullum vacuum nullum tempus, nulla mutatio esse asseritur: Verba apud philosophum sic sonant: ἅμα δῆλον ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολή τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν. lib. 1. de Cœlo cap. 9.

Et egregiè sanè beat causam suam Sadeel, quando ex particulâ UBI ejusdemq; propria significatione, quippè Locum semper denotante, errori patrocinium quærit. Siccine ergo Angeli in loco erunt, quia de illis prædicatur particula Ubi: Ut si dico: In Cœlis, Ubi sunt Angeli. Siccinè DEVS in loco aliquo erit, quia de eo prædicatur particulâ UBI; Utcum quæro: Ubi est Spiritus Corpore suo solutus: Ecclesiastes verò respondet: Apud DEVM, qui dedit illum: Vel cùm quæro: Ubi sunt animæ justorum defunctorum: Sapientia verò respondet: In manu DEI: vel cum quæro: Ubi est Christus: Apostolus verò respondet, Coloss. 3.1. In dextris DEI. Faciunt næ isti homines ut sapiendo nihil sapiant, & intelligendo nihil intelligant: Et benè quidem: Siquidem ἐμωράνθησαν ἐν σοφίᾳ αὐτῶν,

αὐτῶν, ſtulti facti ſunt in ſapientia ipſorum.

Sed ſupereſt adhuc alius quoque error, turpis nimirum ἄγνοια ἐλέγχου in poſteriore illo dicto: Apocal. *14, 4. Sequuntur agnum, quò vadit.* Senſus enim eſt, Electos ſub regno Antichriſti; non ſecuturos vocem Romani Pontificis; Sed agni, hoc eſt Chriſti Servatoris ſui, in verbo præeuntis: id quod patet ex immediatè præcedentibus verbis, ubi hi ipſi Electi nominantur *virgines*, qui cum mulieribus non fuerint coinquinati. Ubi *Virginitate*, illibatam fidei puritatem: *ſcortatione* verò Idololatriam notari, nemo facilè negabit, niſi qui hoſpes planè in Scripturis fuerit. Sap. 14, *12.* 2. Cor.. *11, 2.* Phraſis proindè iſthæc (*Sequuntur agnum quocunque ierit*) æquipollet illi Servatoris, Ioh. *10, 3.* Oves meæ vocem meam audiunt, & alienum non ſequuntur. Edic verò jam Sadeel quid hoc faciat ad præſentis ſtatus κρινόμενον? Illud fortaſsis, quia fideles ſequentur agnum quocunque ierit: Ac verò fideles non erunt ubique in vitâ æternâ: Ergò neque Chriſtus in vita æterna erit ubique? Macte audacia Sacramentaria

taria; ſic itur ad aſtra. Anne verò ſtatuis, Electos ſecuturos Chriſtum quocunque ipſe ierit, & ubicunque fuerit. Siccine ergo ſequentem ipſum, in infinitam usque dexteram virtutis ac maieſtatis divinæ? Negat hoc διαῤῥήδην Epiſtola ad Hebræos cap. 1, 13. *Cui Angelorum dixit unquam: ſede à dexteris meis?* Turpis proinde ignorantia, ſi Sadeel loci hujus Apocalyptici verum ac genuinum ſenſum non calluit: Major malitia, ſi eum tenuit, & tamen, ἵνα θέσιν φυλάττῃ, contra mentem Spiritus Sancti in alienum ſenſum, ipsũ detorquere voluit. Obſervet verò hic ſtudioſa juventus, quid quantumq; fidei, ſcriptores Calviniſtici in interpretandis ſcripturarum locis mereantur.

Quæ poſtremo loco ſubjicit Sadeel, de loco à Chriſto fidelibus parato, jam modò ſupra in explicatione loci noni, hujus Claſsis abundè fuerunt refutata.

Locus XI. Claſsis ſecundæ.

Phil. 3, 21. *Transformabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat Corpori ipſius glorioſo.*

Ergò

Ergo gloriosum Christi corpus, est verum corpus, suisq; dimensionibus praeditum. Non enim post resurrectionem corpora nostra futura sunt ubique simul praesentia.

RESPONSIO.

OMnia largimur: 1. Corpus Christi gloriosum, quale quidem ex Resurrectione habet, imò quale etiam in statu exaltationis retinet, esse verum corpus; suisq; dimensionibus praeditum. 2. Nostra corpora ex Resurrectione non futura simul ubique praesentia. 3. Quin largimur & illud, Corpus Christi ex Resurrectione non habere ut sit ubique praesens: siquidem ex Resurrectione etiam non habet, ut sedeat ad dextram virtutis & majestatis divinae. Quae verò haec est dementia, ideò velle negare omnipraesentiam carni Christi, quia ex Resurrectione eam non acceperit: quia nostra corpora ipse Christus transformabit, ut conformia fiant corpori ipsius glorioso: servatis tamen gradibus. Anne verò status ille Majestatis & exaltationis, in quem ex Unione & Sessione ad dextram patris caro Christi est evecta, penitùs apud istos homines

expiravit: respectu cujus exaltationis nullos planè consortes habet. Psal. 45. 8. Cui enim Angelorum dixit DEUS unquàm, sede à dextris meis, Hebr. 1, 13. Conformitas proindè isthæc duntaxat respicit illius gloriæ gradus, quam Corporibus clarificatis ex resurrectione à mortuis obtingere, testatur Apostolus. 1. Cor. 15, 42. seminatur, inquiens, in Corruptione: Resurget in incorruptibilitate &c. Et servator Matth. 12, 43. asserens Resuscitatorum corpora fulsura tanquam Corpus solare in regno patris Cœlestis. Vnde in argumentatione Sadeelis turpis emergit Sophisticatio ignorationis Elenchi.

Locus XII. Classis secundæ.

Matth. 28, 6. *Quæritis Iesum Crucifixum: Non est hic: videte locum ubi iacebat.*

Ergo gloriosum Christi Corpus non est ubique. Alioqui Corpus resurrexisset & fuisset in sepulcro simul: quod valdè repugnat. Itē, Ergo præsentia Corporis Christi est visibilis: sic enim An-

gelus

gelus: Non est hîc, videte: ut etiam Iohan. 20, Contrectate me & videte. Item: Ostendit eis manus ac pedes. Et Act. 1. Seipsum præsentem exhibuit vivum, postquàm passus est, ab ipsis visus &c.

RESPONSIO.

Fallit consequens Sophismate παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Angelus enim dicens, surrexit, Non est hîc, non simpliciter omnem negat præsentiam Corporis Christi, sed Localem illam, secundum quam Christum in monumento quærebant mulieres, ut Corpus eius ungerent. Quo sane modo non erat in sepulchro: imò neque hodiè adest, sed expectatur venturus, juxta responsum Angelorum: Hic Iesus qui receptus est à vobis in Cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum: Actor. 1, 11. Hæc verò absentia localis, uti tantùm præsentiæ locali opponitur: sic alteram illam, Personalem nimirum præsentiam tollit minimè, quæ ex Hypostaticæ Unionis mysterio resultat: ratione cuius Christus iuxta naturã exaltatam, est in dextra

gloriæ DEI & implet omnia. Ephes. 4, 10. & præsens est in medio nostrũ Matth. 18, 20, Et est nobiscum usque ad finem seculi, Matth. 28, 20. & dominatur præsens in medio inimicorum suorum, Psal 110, 2. & versatur in medio militantis Ecclesiæ in his terris. Apoc. 1, 13 &c. verùm de distinctis istis præsentiæ Christi modis, infrà sub finem Testimoniorum hujus classis fusiùs.

Quæ porrò ex lacunis Thomistarum movet Sadeel de visibilitate corporis Christi, quæ necessariò præsentiam corporis concomitetur, ea fallunt sophismate vitiosi consequentis: & τȣ̃ μὴ αἰτίȣ ὡς αἰτίȣ. Nullus enim nervus consequentiæ inest argumentationi huic: Christus ad comprobandam discipulis Resurrectionem, præbuit se videndum & palpandum: Ergo corpus ejus non potest non esse visibile & contrectabile. Pari enim logicâ liceret ita inferre: Christus ad asserendam suæ resurrectionis veritatem edit & bibit coram discipulis: Luc. 24, 43. Act. 10, 41. Ergo licet ex resurrectione clarificatum habeat corpus, id tamen necessario indiget cibo & potu. Iam verò quemadmodum non, sic exigente pro-

prie-

prietate corporis clarificati, ſive ex neceſſitate quapiam: ſed liberrimâ voluntate, per οἰκονομίαν ſive diſpenſationem, uti Orthodoxi patres loqui conſueverunt, edit & bibit, eum duntaxat in finem, ut ſic evidentiùs demonſtraret diſcipulis Veritatem Reſurrectionis ſuæ: Siquidem aliàs corpora clarificata cibo ac potu minimè indigent: Sic quoque eandem ob cauſam præbuit ſeſe videndum & palpandum, non quod τὸ ὁρατὸν καὶ αἰσθητὸν eſſent propria καθ' αὐτὸ corporum clarificatorum: ſed quia per οἰκονομίαν liberrimâ voluntate in gratiam diſcipulorum ſuſceptam, ſenſibus Apoſtolorum ſeſe ad tempus objicere voluit: cùm alioqui corpus Chriſti ἄφαντον, inconſpicuum & inviſibile fieri & eſſe poſſit, ſalvis nihilominus manentibus veri corporis humani proprietatibus: Quemadmodum infrà in diſſolutione argumentorum Sadeeliticorum uberiùs id confirmabitur. Luc. 24, 31.

Locus XIII.

Luc. 24, 51. *Receßit ab eis, & ferebatur in Cœlum*, διέστη ἀπ' αὐτῶν, ſigni-

ficans Christum disjunctum locorum intervallo, nempè secundum Corpus. Quare Corpus Christi gloriosum non est ubique.

RESPONSIO.

Est argumentum hoc petitum ab ascensione CHRISTI in Cœlos, quæ qualis fuerit, partim in præcedentibus aliquoties fuit ostensum: partim infrà suo loco ex professo erit expendendum. Hoc loco sufficiat notasse Sadeelem veterem recoquere παρέλεγχον: dum ex visibili distantia, Sophisticè colligit ad invisibilem etiam absentiam. B. Lucas agit de visibili distantia: visibiliter enim in Cœlos ascendit CHRISTUS, & proindè visibiliter ab Apostolis etiam discessit. Invisibiliter autem mansit cum ijsdem, imò manebit apud pios quosvis perpetuò etiam secundum illud corpus, quod visibiliter & motu locali ascendit ad Cœlos, quemadmodum ipsemet in Cœlum ascensurus sanctè compromisit: Ecce inquiens, ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad Consummationem seculi: qui etiam exeuntibus Apostolis in vniversum terrarum orbem. πανταχοῦ Ubique cooperatus est. Matth. 28, 20. Marci. 16,

16, 20. Vitiosissimè ergo Ascensus iste Christi à Sadeele & complicibus per eiusmodi discessum sive διάστασιν definitur, ratione cuius Christus secundum assumtam Humanitatem, nullo vel visibili vel invisibili modo amplius in terris præsens sit. De tali ascensu Christi nihil quicquam novit vniversa scriptura: sed ex ipsius Christi ore, ita eam describit, quòd secundum proprietatem Naturæ humanæ per τοπικὴν μετάστασιν verè διέστη ἀπ' αὐτῶν discesserit ab Apostolis, neque amplius secundum localem & visibilem præsentiam conversaturus sit hominibus in his terris: Nihilominus tamen ad dextram DEI constitutus juxta illam ipsam humanam naturam impleat omnia. Ephes. 4, 10. dominetur in medio inimicorum. Psal. 110, 2. obambulet in medio candelabrorum, sive Ecclesiarum Asiæ. Apocal. 1, 13.

Locus XIIII.

Act. 3, 21. *Quem oportet Cœlum capere usque ad tempus restitutionis omnium* (δέξασθαι:) hoc est, oportet ut

Cœlum capiat Christum: nempe secundum humanam eius naturam. Ac proinde Corpus Christi etiam gloriosum non est vbique.

RESPONSIO.

Committit Sadeel manifestum crimen falsi, cum summa blasphemia conjunctum: illustrem hunc & per se satis perspicuum locum, contra mentem Spiritus sancti, passivè interpretans, in hunc modum; *Oportet, ut Cœlum capiat Christum. nempè secundum humanam naturam.* Quæ passiva διάθεσις sive affectio verbi medii δέξασθαι multis modis sacrosanctam Majestatem Domini nostri Iesu Christi convellit. Primùm n. si Christus secundũ humanam naturã ex sententia Sadeelis ita cœlo capitur, ut ibi certo quopiã loco circumscribatur & contineatur: falsum jam erit, quod Apostolus affirmat, Christum ascendisse ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *SVPRA OMNES COELOS*. Ephes. 4. 10. Falsum erit, quod Epistola ad Hebræos prædicat, Christum *PENETRASSE* cœlos (διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς) cap. 4, 14. & ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν excelsiorem

Cœlis

Cœlis factum esse. cap. 7, 26. porrò falsum erit, quòd Christus in cœlos ascendens, consederit ad dexteram infinitæ virtutis & Maiestatis divinæ, & quidem secundum illam ipsam naturam humanam, secundum quam in ascensione, motu illo locali, sive τοπικῇ μεταβάσει uti voluit: nisi fortè per inauditam impietatem, dexteram hanc DEI Sadeel & asseclæ definire velint per locum illum Cœli, quo Corpus Christi contineri & capi fingunt.

Tertiò falsum erit quod Apostolus Ephes. 1, 21. perspicuè de Christo, per Ascensionem & sessionem ad dexteram DEI patris secundum assumtam humanitatem exaltato affirmat, ipsum evectum esse supra OMNE, quod non solum in hoc, sed & in futuro seculo nominatur: Item quod ei OMNIA sint subjecta: & nihil prætermissum, quod non ei secundum hanc exaltatam naturam subjectum sit. Hebr. 2, 8. Iam si Cœlo Continetur & capitur Christus: Cœlum utique ei non subiectum erit: neque ipse Continebit Cœlum: sed continebitur ab eo: neque etiam evectus erit & constitutus supra Omnia, quæ non solum in hoc sed & in futuro seculo nominantur.

Macti audacia Sacramentarii: Sic nimirùm uno impetu universum exaltationis Christi mysterium eliditis, evertitis Sic ex Christo secundum assumtam humanitatem mancipium facitis, quod Coelo ita contineatur, imò capiatur, ut ante diem novissimum indè aliquando ad terras istas egredi haud valeat.

Sed nimirùm urget Sadeel significationem verbi δέξασθαι, quæ eadem sit cú illo, ἀναληφθεὶς ἀφ᾽ ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανόν. Sed nihil proficit: Iam enim in examine præcedentis loci XIII. hæc sursum receptio sive assumtio vel etiam ablatio corporis Christi satis est explicata, ut nihil indè præsidij ad Sadeelem redundare possit. Marcus certè cum dixisset, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν assumtus est in cœlum, ulterius progreditur, & mox annectit Terminum ad quem pervenerit Christus, subjiciens, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ & consedit ad dexteram DEI.

Marc. 16, 19.

Non igitur cœlum: sed sessio ad dexteram DEI patris constitui debet Terminus vltimus Ascensionis hujus. Quæ sessio cùm citra omnem hujus vel alterius

loci

loci respectum & intuitum. Universale illud cœli terræq; imperium Christo Homini assignaverit: Absurdissimum fuerit, velle sessionem hanc illocalem, ad certum cœli locum restringere, & unius loci spatio terminare.

1. Cor. 15. 25.

Quod porrò infert Sadeel, illam interpretationem, quâ à nonnullis dicitur corpus Christi capere, hoc est, continere cœlum: ab aliis, capere cœlum, hoc est, regnare: esse planè ἀσύστατον propriáq; vocabulorum ac phraseωn significationem evertere: id omni veritate destituitur. Primùm enim quod dicit Sadeel, non probat.

Deindè Apostolo in faciem contradicit, qui hunc ipsum locum sic reddidit. 1. Cor. 15, 25. *Oportet eum* REGNARE *usque quò posuerit omnes inimicos sub pedes ejus*. Tùm quoad vocabulorum ac phraseωn significationem, haud certè inficiabitur Sadeel, verbum græcum δέξασθαι esse mediæ διαθέσεως, ac proindè naturâ suâ tàm activam, quàm passivam significationem admittere. Utra verò hoc loco propriè tenenda sit, illud ostendit tùm analogia fidei, ad quam monente Apostolo, omnis prophetia sive interpreta-

Rom. 12, 6.

tio

tio Scripturarum exigi debet tùm diligens Collatio cum aliis ſcripturarum testimoniis, eandem ſententiam verbis magis perſpicuis reddentibus. Quod utrumque ſi obſervetur, uti in data jam reſponſione obſervatum à nobis fuit, planum evadit, verbum δέξασθαι non paſſive, ſed active reddendum eſſe, eo ſenſu, qui iam explicatus eſt.

Et quî fit, quòd Sadeel ita mordicus urget verbum δέξασθαι, cùm ex præceptore Calvino ſine dubio audierit & didicerit; verbum hoc eiuſdemq; ſignificationem non eſſe urgendam. Sic enim ille in hunc locum: *Locutio eſt ambigua, quia tàm intelligere poſſumus, Chriſtum Cœlo capi, quàm Cœlum capere: Ne ergo verbum dubiæ ſignificationis urgeamus.* Vidit nimirùm Calvinus, fruſtrà planè in verbo græco δέξασθαι doctrinæ Calviniſticæ quæri præſidium.

Tandem dilutum nimis eſt, quòd ad ſuum inſtitutum accommodare ſtudet iſthæc verba: *Vſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ DEVS locutus eſt.* Aut enim ſtatuit Sadeel, poſt reſtitutionem illam omnium

omnium, Cœlum non amplius capturum Christi Corpus: vel quod idem est, Humanam Christi naturam non amplius cœlo captum iri. Quo concesso, Consequens est; Ascensionis Christi terminum ultimum falsò à Sadeele constitui certum aliquem cœli locum: Siquidem ad quod Christus semel ascendit, & consedit: indè in æternum non dimovebitur Nam in ipso etiam reditu ad judicium sedebit à dexteris Dni Luc. 22,69. in throno Majestatis suæ Matth. 19,28. & cap. 25,31.

Aut statuit Sadeel phrasin hanc, Usque ad tempora restitutionis omnium, de æternitate accipiendam esse. Quo tamen pacto propria vineta cædere, & suo se gladio iugulare deprehenditur. Quod si enim Christus secundum humanam naturam per omnem æternitatem cœlo capiatur, uti sanè somniare videtur Sadeel: utique in æternum etiam certo illo cœli loco affixus tenebitur: Si hoc: Falsum erit quod mox Sadeel de reditu visibili & locali Christi ad iudicium differit. Quod si enim rediturus est ad iudicium in hasce terras: utique deseret certum illum cœli locum, quo capitur, imò capiendus usque

que ad tempora restitutionis omnium: Siquidem secundum hypothesin Calvinianam: corpus Christi simul duobus vel pluribus locis esse nequit. At verò nunquam illum deseret: Ergo nunquàm etiam redibit ad judicium Christus secundum humanam naturam: cui tamen pater dedit potestatem judicii faciundi, Quia Filius Hominis est. Ioh. 5. 27. Sic nimirùm quocunque sese vertit Sadeel, captus & constrictus tenebitur: id quod plærisque depravatoribus illustrium scripturæ testimoniorum usu venire solet.

Corrigimus autem errorem istum, substituendo veram ac genuinam verborum Lucæ sententiam: quæ est: Oportet Christum regnare in æternum. Quem sensum jam olim David Spiritu Sancto edoctus planissimè dedit: Dixit Dominus Domino meo: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 110, 1. Et Apostolus: *Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* 1. Cor. 15, 25. Cuius interpretationis evidentiam eo planè modo Calvinianorum errori opponimus; quo olim eam

Arianæ

Digitized by Google

Arianæ & Eunomianæ impietati opposuit Gregorius Nazianzenus. Orat. 2. de Filio DEI. Qui locus cùm valdè sit illustris & evidens, haud piget eum adscribere: Δεύτερον δὲ τί τῶν μεγίστων αὐτοῖς καὶ ἀμάχων; δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν καθέδραν ἔχειν, ἕως τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπικρατήσεως. τὸ μετὰ τοῦτο δὲ, τί; λῆξαι τῆς βασιλείας, ἢ τῶν οὐρανῶν ἀποστῆναι? τίνος παύσαντος, ἢ δι' ἥντινα αἰτίαν, ὡς τολμηρὸς ἐξηγητὴς σὺ, καὶ λίαν ἀβασίλευτος; καὶ μὴν ἀκούεις τῆς βασιλείας αὐτοῦ μὴ εἶναι πέρας. ἀλλὰ τοῦτο πάσχεις, παρὰ τὸ μὴ γινώσκειν, ὅτι τὸ ἕως, οὐ πάντως ἀντιδιαιρεῖται τῷ μέλλοντι: ἀλλὰ τὸ μεχρὶ μὲν τοῦδε, τίθησι; τὸ μετὰ τοῦτο δὲ, οὐκ ἀναίνεται. ἢ πῶς νοήσεις ἵνα μὴ τἄλλα λέγω, τὸ ἔσομαι μεθ' ὑμῶν ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; ἆρ' ὡς μετὰ τοῦτο οὐκ ἔτι ἐσομένου, καὶ τίς ὁ λόγος: hoc est: *Quid secundo loco sequitur ex iis, quæ apud ipsos maxima sunt & inexpugnabilia? Oportet eum regnare*

regnare hucusque, & à Cœlo recipi usque ad tempora restitutionis, ac sedere à dexteris usque ad subiectionem hostium. Quid verò deinceps? An regno potiri desinet, vel è cœlis expelletur? At quis regno ipsius finem imponet? aut quamobrem? Quàm audax tu narrator es, ac valdè regni impatiens. Atqui audis, regni ejus finem nullum esse. Verùm accidit hoc tibi propterea, quod non animadvertis particulam Vsque non omninò poni ad distinctionem futuri temporis: sed ponit quidem illa quousque, verùm quod ab eo sequitur, non inficiatur. Quo pacto cæteroquin hoc intelliges, ut alia exempla non afferam: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi? Num ita, quod ab eo tempore futurus non sit? Quænàm illa fuerit Oratio? Hactenus Nazianzenus.

Ubi illa observare licet: Nazianzenum expresse locum Paulinum, χριστὸν δεῖ τοὺς οὐρανοὺς δέξασθαι de regno & dominatione Christi æterna, quam per Ascensionem in Cœlos, secundum carnem assumtam plenariè subiit, interpretari: id quod vel inde patet, quòd subiicit, Christum tempore restitutionis omnium οὐκ ἀποστῆναι τῶν οὐρανῶν, cœlos minimè relicturum. Quod tamen necessarium esset consequens

ſequens, ſi Sacramentariorum ſententia militaret.

Et hactenus quidem Secundæ Claſsis Teſtimonia ſigillatim examinavimus: quibus ſingulis cum ſemper hanc annectat conſequentiam Sadeel: *Ergo Corpus Chriſti non eſt Vbique*: promiſſionis noſtræ memores duos erroris Calviniſtici circa hanc conſequentiam, fontes, Generalis quaſi Reſponſionis loco, aperiemus.

Ac initiò quidem conſideratio corporis Chriſti, iſtis hominibus nulla eſt alia, quàm qualem partim ex proprietate naturæ ſuæ: partim cum corporibus clarificatis beatorum cælitum, commumem illud obtinet: neglectà interim, imò prorſus negatà conſideratione illius dignitatis & majeſtatis divinæ, quam non ex Naturæ proprietate, non ex communi illà Reſurrectionis gloriâ: ſed ex gratiâ & dono Vnionis perſonalis, & quæ hanc individuo nexu concomitata eſt, Exaltationis ad dexteram DEI accepit: cuius reſpectu nihil cum naturali hominum conditione, nihil cum ſanctis quibuſvis, aut beatis cœlitibus, nihil cum Angelicis Spiritibus commune habet. Nullus enim vel ſanctorum hominum, vel Angelico-

ram humanam competere, evincunt dilucidiſſima Scripturarum teſtimonia Coloſſ. 2, 3 & 9. Eph. 1, 20. & 21. & cap. 4, 10. Hebr. 1, 13. Pſal. 72, 8. Matth. 20, 18 & 20. &c. Unde peculiaris, ἐξαίρετος καὶ μονότροπος emergit corporis Chriſti reſpectus, qui eſt Gloriæ & Majeſtatis divinæ proprius. Quem dùm impiè & blaſphemè negant Calviniani, quid mirum, ſi corpori *CHRISTI* nihil ultra & ſupra communem reliquorum hominum ſortem ac conditionem, largiri velint?

Alter erroris Calvinianorum fons eſt, quòd, ſive ignoratione excæcati, ſive improbitate indurati, actus, modos & gradus præſentiæ Chriſti Hominis, diſtinguere vel non poſſunt, vel certè nolunt. Alia quippè eſt præſentia corporis C*HRISTI*, quæ dependet ex Actu primo Naturali: alia, quæ oritur ex Actu itidem primo, ſed Perſonali. In Perſona enim Chriſti ratione aſſumtæ humanitatis, concurrunt duo actus primi; Naturalis Unus, qui ad Naturæ humanæ proprietates pertinet:

Personalis alter, qui ex Unione eidem Humanitati obtigit, quatenus nimirùm λόγος assumsit eam non in locum aliquem, sive terrenum, sive cœlestem: Sed admirandæ huius assumtionis terminum suam ὑπόστασιν esse voluit, in quâ subsisteret caro, aliàs propria personalitate carens: unita verò τῷ λόγῳ inabsenter & indistanter, ut ubi tandem sit λόγος, non habeat sibi creaturam aliam præsentiorem hac Humanitate: utpote quam intra intimum & profundissimum complexum totius ὑποστάσεως suæ (est enim ea ἀμερὴς, partem extra partem nullam habens) plus quàm angelica mens cogitare possit, arctissimè sibi præstentissimeque copulatam habet: ubi nulla cogitari potest aut debet διάστασις, cujus vi usquã existat λόγος extra carnem suam; quandoquidem ὑπόστασις ejus ὁλικῶς incarnata, ipsius quoque carnis facta est ὑπόστασις: uti supra immotis argumentis fuit demonstratum. Duobus istis præsentiæ actubus rectè observatis, in parato est verissimum & sufficientissimum compendium respondendi ad singulas & universas illas consequentias, quas Sadeel ex scriptu-

ſcripturarum Teſtimoniis ad hanc ſecundam claſſem pertinentibus, nectit. Nam Actu primo Naturali, ſive Locali, cui Chriſtus exinanitionis tempore ſeſe ſubjicere voluit, corpore ſuo verè in loco fuit: de loco in locum progreſſus; loca verè mutans, nunc in Galilæa verſatus, nunc in Iudæa, nunc per mediam Samariam locali progreſſione iter faciens.

Quin jam quoque in ſtatu gloriæ & Majeſtatis, vi ejuſdem actus primi Naturalis, in certo quopiam loco apparere poteſt: & in aliquo πȣ cœleſti verſari. Manet enim corpus Chriſti, etiam ad dexteram DEI conſidens, Naturæ ſuæ terminis finitum. Cæterùm actu primo perſonali, quo ab omnibus hominibus & Angelis incomparabiliter diſtinguitur, Chriſtus in ipſa hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ, ſupra & ultra omnem locum, corpus ſuum evexit, ut ubi ubi eſt ipſa τȣ̃ λόγȣ ὑπόςασις, quæ certè Ubique eſt præſentiſſima: ibi adſit etiam veriſſimè præſens ipſum corpus: niſi fortè Incarnationem τȣ̃ λόγȣ unius loci anguſtijs circumſcribere: in reliquis verò locis, ubi λόγος in carne ea (quippè abſente) non habitat, profiteri velimus λόγον non incarnatum. Sunt verò

 duo

duo hi actus primi; non ἀντιφατικῶς contradictoriè ſibi invicem oppoſiti, ut alter alterum excludat: ſed ὑπαλλήλως duntaxat ſubordinati: neuter alterum impediens: uti itidem ſuprà fuit confirmatum.

Proindè quoties ſic argumentatur Sadeel: *Chriſtus legitur ſuo Corpore, vel hic, vel ibi non fuiſſe: Ergo Corpore ſuo non eſt ubique*: toties fallit & fallitur confuſione diſparatorum; contradictoria à ſubalternis ſive ſubordinatis, non, uti par eſſet, diſtinguens. Negatur quidem in illis localis, ſive Naturalis aut viſibilis præſentia: non verò itidem perſonalis negatur præſentia; niſi ipſam Unionem negari à ſcripturis, ſomniare vellemus. Et ut futilitas collectionis Sadeeliticæ magis conſpiciatur; ſic lubet ex ipſius hypotheſi arguere, ipſumq; ad abſurdum redigere. *Scriptura negans aliquem adeſſe, ſimpliciter omnem ejus negat præſentiam.* Hæc propoſitio eſt Sadeelis.

Atqui verò Scriptura negat DEUM fuiſſe in vento, in terræmotu, in igni, cum ait, 3. Reg. 19, 11, & 12 Ecce Dominus tranſit, & ventus grandis ac fortis, ſubvertens montes, & conterens

terens petras ante Dominum; NON in vento Dominus; & post ventum, Commotio; NON in Commotione Dominus; & post Commotionem Ignis, NON in Igni Dominus.

Ergo DEVS nulla planè ratione fuit in vento, terraemotu & igni.

Hæc conclusio Calviniana si stare debeat, falsum erit, quod sacræ affirmant literæ, DEVM ambulare super pennas ventorum, esse Omnipræsentem, implere Cœlum & terram, omnia esse ex illo, per illum, & in illo.

Sed isthæc de Testimoniis Classis secundæ, & indè extructis argutatiunculis Calvinianis dixisse, sufficiat.

CLASSIS TERTIA

Testimoniorum Scripturæ à Sadeele productorum: Confirmantium CHRISTVM rediturum ad judicium.

I. Argumentum Sadeelis.

I. Act. *1, 11. Iesus qui sursum receptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum proficiscentem in Cœlum.*

II. Matth. *24, 30. Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli.*

III. I. Thess. *1, 10. Expectate è cœlis Iesum filium ipsius, quem excitavit à mortuis.*

IV. *1.* Cor. *11, 26. Annunciabitis mortem Domini usque quò venerit.*

V. *2.* Cor. *5, 6, 7. & 8. Habitantes in Corpore, peregrinamur à DOMINO: per fidem enim incedimus, & non per speciem. Malumus peregrinari à Corpore, & ire habitatum ad Dominum.*

VI. Phil. *1, 23. Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Qua-

Quare corpus Christi gloriosum, verum est & visibile Corpus, cuius vera & realis præsentia in terris, ante novissimum diem expectanda non est.

RESPONSIO.

PEtitum est hoc argumentum à reditu Christi ad judicium: in hunc modum. Christus secundum scripturam redibit ad judicium: Ergo non adest. Quod si integer formetur Syllogismus, Maior Hypothetica talis emerget. *Si Christus aliquando redibit ad judicium, in his terris exercendum: utique non jam antè erit in terris. Ratio Consequentiæ. Nam si iam adesset, reditu certè opus haud foret.* Verùm argumenti huius solidam refutationem commonstrat primus locus, ex cap. 1. Actorum, à Sadeele inscitè productus: ubi Angelus non tam de Reditu ipso, quàm de Modo illius reditus clarè concionatur, *SIC* inquiens *veniet QVEMADMODVM VIDISTIS eum euntem in Cœlum.* Qualis ergo fuit ascensus, talis etiam erit reditus, Visibilis nimirum, Quo ipso etiam visibili præsentiæ modo Christus cum nobis non adsit, ultrò largimur, visibili reditu opus esse, ut omnis homo Iudicem, hoc est, Filium Hominis conspiciat. Cæterum hic

N 5 ipse

Digitized by Google

ipſe viſibilis Chriſti reditus ad judicium nihil facit quicquam ad intervertendum inviſibilem eius præſentiam, quâ in dexterâ Maieſtatis omnia implet, & ambulat in medio candelabrorum aureorum ſive ſeptem Eccleſiarum Aſiæ; etiam quatenus Filius Hominis eſt, ut Apocalypſis cap. 1, 13. teſtatur. Cuius inviſibilis præſentiæ Chriſti reſpectu, Reditus ad judicium non per localem quendam deſcenſum definitur: ſed per ἀποκάλυψιν hoc eſt, revelationem, 1. Cor. 1, 7. 2. Theſ. 1, 7. 1. Pet. 1, 13. item per ἐπιφάνειαν apparitionem. Tit. 2, 13 1. Timoth. 6, 13. 2. Tim. 4, 1. & 8. quin etiam, (quod notatu cumprimis dignum) per ἐπιφάνειαν τῆς παρουσίας αὐτοῦ *per apparitionem præſentiæ ſuæ.* 2. Theſ. 2, 8. Agnovit diſtinctionem hanc inviſibilis præſentiæ Filij Hominis in medio Eccleſiæ ſuæ, & viſibilis reditus ad judicium. Divus etiam Ambroſius, in caput 10. Lucæ ſic ſcribens: *Spondet ergo Dominus ſe rediturum. Quando reverteris Domine niſi in die judicij? NAM LICET VBIQVE SIS SEMPER, ET STANS IN MEDIO NOSTRVM, NON CERNARIS A NOBIS: erit tamen tempus, quo vniverſa Caro, te aſpiciet revertentem.*

Quâ

Quâ eadem ratione facilè infringitur, quod Sadeel de visibilitate Corporis Christi quippe Corporis veri, minus profectò eruditè disputat. Negat enim Corpus Christi esse, nisi ubi videtur. Si de δυνάμει ageret disputator, non reluctaremur. Nam Corpus Christi ex proprietate veri Corporis hanc habere δυνάμιν, ut POSSIT videri, quis unquàm nostrûm negavit. At verò si Actum ipsum intelligit, & statuit Corpus Christi ex proprietate & naturâ Corporis Clarificati semper necessariò ipso actu debere esse expositum visui eorum, quibus adest: id verò nos simpliciter pernegamus. In Physicis Aer Corpus est, τῇ δυνάμει semper visibile; non verò itidem ipso actu. Etsi enim nos ambit: non tamen cernitur, nisi ubi incrassatus fuerit, ut visum non ita transmittat. Sed relictis physicis exemplis ad Corpus Christi clarificatū redeamus, quod Luc. 24, 31, legimus ἄφαντον γινόμενον invisibile esse factum. Et profectò cum discipuli tanto tenerentur desiderio Christum post resurrectionem non modò visendi, verùm etiam si fieri potuisset, perpetua eius Conversatione fruendi: nullum prorsus est dubium, quin si Christus

Christus semper Corpore suo mansisset visibilis, ipsum insecuti fuissent. Porrò quod malum est, Calvinianos corpori Christi clarificato largiri nolle, quod possit præsens adesse, vbi non videatur: cum de corporibus in genere omnibus clarificatis scriptura testetur, quod non oculis nostris hac in vita cerni possint, nisi per revelationé sive ἀποκάλυψιν quandã. Sic certè legimus Matth. 27, 53. *Monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egreßi è monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Civitatem, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς, hoc est, manifestata sunt multis*: non autem ut Erasmus & Beza vulgatam secuti transtulerunt, apparuerunt multis. Cur enim dicit ἐνεφανίσθησαν? nempè quia non ab omnibus conspiciebantur illa corpora, quippe clarificata, Sed ab ijs solummodò quibus manifestabantur. Cui ergo nunc fidem adhibebimus? Sacramentarijsné, qui negant verum Corpus esse non posse, nisi quod ex justo intervallo videri semper, & quidem ipso actu queat: an verò Spiritui Sancto, qui Christo verum certè corpus non adimit: Sed illud tamen ἄφαντον potuisse fieri, asseverat.

Et

Et hæc quidem ad quatuor primos ſcripturarum locos à Sadeele productos ſufficiant.

In poſtremis duobus, Error committitur ignorationis Elenchi. Peregrinari enim à Chriſto dicuntur pij, non quòd Chriſtus ipſis verè & realiter non adſit: ſed quòd ipſo conſpectu & converſatione Chriſti Servatoris ſui frui nequeant: Quo ut tandem verè & plenè fruantur, cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto, hoc eſt, frui cum Chriſto æterna beatitate. Peregrinatio ergò iſthæc à Domino, potiùs ad conditionis diverſitatem, quã Loci abſentiam eſt referenda· & quidem interprete ipſo Paulo, qui in priore dicto confeſtim hanc rationem ſubijcit: *per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, ſive aſpectum: hoc eſt*, hac in vita non videmus Chriſtum facie ad faciem: ſed ambulamus per fidem, habentem obiecti loco inviſibilem DEVM & Chriſtum: atque HOC MODO nobis abſentem: hoc eſt, non apparentem. Quid? quòd hoc modo non ſolum à Chriſto ſecundum Carnem: ſed ab eodem juxta Divinitatem, adeoque à tota Trinitate peregrinamur. Núm verò abſentiam vel divinitatis Chriſti, vel totius Trinitatis indè quis colligere

gere audebit? Haud opinor. Sic quoad posterius dictum: Omnes pij & fideles cupiunt dissolvi, & esse cum Christo, non modo secundum humanitatem, sed etiam secundum divinitatem: imò cupiunt esse cum tota sacrosanctâ & adorandâ Trinitate, eiusdemq; beatissimâ conversatione frui. Anné verò inde vel Christum secundum divinitatem: vel totam Trinitatem à pijs & fidelibus abesse, quis collegerit? Patet nimirùm hinc stupenda futilitas argumentationum Sadeeliticarum, quæ vix virum doctum decet.

Rectius locos istos intellexisse videtur Calvinus, qui priorem illum sic explicat: *Tota scriptura clamat DEVM nobis præsentem adesse: hic Paulus docet nos ab eo peregrinari: Quod in speciem contrarium est. Sed diversus absentiæ vel præsentiæ modus, nodum hunc facilè solvit. Adest igitur universis hominibus, quia virtute ipsos sua sustinet: in illis habitat, quia per eum vivunt, moventur & sunt: adest suis fidelibus maiore Spiritus sui energia, vivit in ipsis, residet in medio eorum, adeóque intra ipsos. Sed interim absens est nobis: QVIA NON EXHIBET SE CORAM VIDENDVM, quia adhuc exulamus ab eius regno, & beata immortalitate, quâ fruuntur Angeli, qui cum eo sunt, adhuc caremus.*

Sic

Sic ad locum Phil. 1. idem annotat Calvinus: *Sumus etiam cum Christo in hac vita, quatenus regnum DEI intra nos est, & Christus in nobis habitat per fidem, séque nobis adfuturum pollicitus est vsque ad finem mundi: Sed præsentiam illam Spe tantùm percipimus. Ideo quoad sensum nostrum, dicimur nunc ab ipso peregrinari.*

Argumentum II.

1. Thes. 4, 16. & 17. *Dominus cum voce Archangeli descendet de Cœlo. Rapiemur in nubes obviam Domino.*

Corpus igitur Christi gloriosum, est verum ac visibile Corpus, ac proindè circumscriptum: quandoquidem ascendere, abesse, adesse, & cætera eiusmodi, de illo ipso Corpore dicuntur. Quare Corpus Christi non est ubique.

RESPONSIO.

Idem error qui in præcedentibus: eadem igitur etiam responsio: Descendet Dominus visibiliter: qui iam antè adest Invisibiliter: Et Nos rapiemur in nubes obviam Domino invisibiliter præsenti, sed tùm visibiliter revelaturo τὴν παρουσίαν αὐτοῦ præsentiam suam. 2. Thes. 2, 8.

Cæte-

Cæterùm quod de circumſcriptione Corporis Chriſti movet Sadeel: id infra in Refutatione argumenti decimi, Capitis tertij plenè explicabitur, & quam plane nihil indè præſidij ad Sadeelem & cohortem Sacramentariam vniverſam in hac diſputatione redundet, oſtendetur.

Et hactenus quidem ex ſcripturis pugnantem audivimus Sadeelem: ſed adverſo planè Marte: Reſtat ut ἀπόδειξιν eius negatam, quam ex productis ſcripturarum teſtimonijs ædificat, expendamus: Ea verò ſic habet.

Ἀπόδειξις negata Sadeelis.

Nullum corpus, quod eſt verè, & eſſentialiter humanum Corpus, & quod in ſcriptura dicitur vere accedere ad locum, eſſe in loco, diſcedere à loco, eſſe palpabile & viſibile, Carne & oßibus præditum, cui poſt mortuorum reſurrectionem, Corpora noſtra futura ſunt conformia: Nullum inquam Corpus, quod eſt eiuſmodi, poteſt ſecundum veritatem Scripturæ eſſe omnipræſens, ſive ubique.

At verò Corpus Chriſti tale eſt. Ergo ſecundum veritatem Scripturæ non poteſt eſſe omnipræſens, ſive vbique.

RESPON-

RESPONSIO.

Rectè monet Philosophus, in omni verâ Demonstratione considerandum esse non modò τὸ ὑποκείμενον γένος sive Rem propositã: sed & τὸ πάθος sive τὸ κατ᾽ αὐτὸ συμβεβηκὸς, propriam rei propositæ affectionem sive per se accidens. Et profectò si præceptum hoc Logicum secuti, in præsente disputatione, τὸ ὑποκείμενον γένος, Humanam videlicet Naturam, sive corpus Christi, secundum proprium πάθος & κατ᾽ αὐτὸ συμβεβηκὸς, hoc est, secundum propriam sui affectionem, vel quod idem est, secundum proprietates essentiales consideremus: quemadmodum sanè Sadeel illud considerat, scribens, se Affirmativam, quæ Negatæ Demonstrationi insit, EX *NATVRA SVBIECTI* petere: tùm profectò Sadeel non modò verè probavit, quod probandum sibi sumsit: Verùm nos ipsi quoque huic Demonstrationi Negatæ per omnia subscribimus. Nemo enim nostrûm unquàm vel dixit, vel scripsit, vel cogitavit etiam, corpus Christi secundum proprium πάθος sive τὸ κατ᾽ αὐτὸ συμβεβηκὸς esse Omnipræsens & Ubique: quin docuimus semper, & docemus hodièque constantissimè,

O

ſimè, corpus Chriſti ſecundum πάθος proprium ſive ſecundum Naturales proprietates, in his quidem terris de loco in locum verè progreſſum, neque ubique unquàm fuiſſe: poſt Reſurrectionem verò imò in ſtatu etiam gloriæ ac Maieſtatis divinæ, in certo quodam πῦ Cœleſti verſari, naturæ ſuæ terminis finiri atque circumſcribi; imò in certo etiam quodam loco apparere poſſe.

Cæterùm autor eſt idem philoſophus Ariſtoteles, Medium ἀποδεικτικὸν inveniri & peti non modò ex illis attributis, quæ ſũt ἀναγκαῖα neceſſaria, quæque per ſe rei inſunt, eiusque naturã & affectiones proprias explicant; qualia ſunt τὰ πάθη καὶ κατ' αὐτὰ συμβεβηκότα: Verùm etiam ex iis, quæ ſunt ἐνδεχόμενα contingentia & ὑποκειμένῳ γένει non κατ' αὐτὸ insũt: ſed aliundè obveniũt & inſunt. Docet etiam ex hoc poſteriore attributionis genere, haud minus ac ex priore concluſionem fieri poſſe ἀποδεικτικὴν, dũmodo ſuas cauſas proprias & abſolutas habeat; quib⁹ inventis, ipſa etiã ἀπόδειξις inventa ſit. Hoc præceptum Logicum dùm non attendit

vendit vel certè attendere noluit Sadeel, disserit de propositâ quæstione, tanquàm cæcus de coloribus. Nos proindè ipsius etiam Artis apodicticæ secuti præcepta, præstabimus & supplebimus id, quod à Sadeele sophisticè est prætermissum. Constat verò & irrefragabiliter constat, ex ijs, quæ pro nostrâ sententiâ produximus, fundamentis, τὸ ὑποκείμενον γένος, sive Humanam Christi Naturam, in ὑποστάσει τοῦ λόγου geminum obtinere respectum; Naturalem Unum: personalem Alterum. Pro diversitate jam utriusque huius respectus, diversa etiam de ea prædicantur.

Nam de priore, Naturali nimirùm, prædicantur τὰ πάθη ἴδια καὶ κατ' ἀυτὰ συμβεβηκότα, qualia sũt posse esse in certo loco, esse naturæ suæ terminis finitum & circumscriptum. De posteriore verò respectu, Personali nimirùm, prædicantur τὰ ἐνδεχόμενα, quæ eidem humanæ Naturæ, ex Unione cum λόγῳ obtigerũt, ac ei insunt, non quidem κατ' ἀυτὸ, per se, in se, aut habitualiter vel subjectivè; Sed tamen verè & realiter: Qualia sunt, in ὑποστάσει τοῦ λόγου esse evectum

Digitized by Google

ſupra & ultra omnem locum, eſſe cum eodem λόγῳ ubique, & uique dominari &c. Cujus attributionis cauſſa propria & abſoluta eſt, ipſa Unio Hypoſtatica, & quæ hanc, ceu Effectus ſubſecuta eſt, communicatio Idiomatum vera ac realis. Quâ causâ ſtante propriâ & abſolutâ, emergit vera & abſoluta Demonſtratio Affirmata, quam Demonſtrationi imperfectæ & Sophiſticæ Sadeeliticæ meritò opponimus. Ea verò ſic habet.

Quodcunque corpus aſſumtum eſt non in locum aliquem: ſed in ipſam uſque illocalem Filij DEI hypoſtaſin, ubi omnis cogitatio locorum expirat: illud ea aſſumtione evectum eſt extra & ſupra locum omnem.

Corpus Chriſti aſſumtum eſt per Unionem hypoſtaticam non in locum aliquem: Sed in perſonam ſive hypoſtaſin Filij DEI, omnia loca modis omnibus tranſcendentem: & in hac ipſa perſona Filij DEI, verè realiterq; ſubſiſtit.

Ergo corpus Chriſti per Unionem hanc hypoſtaticam, evectum eſt extra & ſupra locum omnem; imò loca univerſa tranſcendit.

De-

Digitized by Google

Demonstratio isthæc non tantùm affirmat τὸ ὅτι ἐστι: sed & confirmat τὸ διότι causam nimirùm propriam & absolutam, ἐνδεχομένου illius attributi sive prædicati, nempe Omnipræsentiæ humanæ Christi naturæ continens: quæ est, ipsa Unio Hypostatica duarum naturarum in Christo. Unde Demonstrationi etiam huic absolutissima sua constat perfectio: quâ efficimus: corpus Christi in ὑποστάσει τοῦ λόγου esse ubique & omnipræsens: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

CAPUT III.

DISPUTATIO SADEELIS ἐλεγκτικὴ adversus dogma de Omnipræsentiâ Corporis Christi.

INgreditur Sadeel disputationem ἐλεγκτικὴν, & doctrinam Orthodoxam, de Majestate Humanæ Naturæ Christi, incommodis, (uti ipse loquitur) obruere conatur. Sed quo Marte, & quo eventu, mox patebit. Nos ipsum argumentantem κατὰ πόδα insequemur.

Argumentum I.

Quicquid est Omnipræsens, sive Ubique, est infinitum, increatum, æternum, incomprehensibile: hoc est, uno verbo, est DEUS.

Corpus Christi non est infinitum, increatum, æternum, incomprehensibile: hoc est, uno verbo, non est DEUS.

Quare Corpus Christi non est Omnipræsens, sive Ubique.

Majo-

Majorē confirmat: *Quicquid enim est Omnipræsens & ubique, id Cœlum & terram ita implet, ut Cœlum & terram contineat. At verò DEVS hoc sibi tanquàm proprium vendicat. Ierem. 23, 23 & 24. An non Cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINVS?*

RESPONSIO.

I. Error παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Major enim propositio vera est, secundum quid, de eo nimirùm, quod per Essentiæ suæ proprietatem est omnipræsens. Quicquid enim hoc modo est ubique, illud est infinitum, increatum, æternum, incomprehensibile: hoc est, uno verbo, est DEVS. Et de tali Essentiali Omnipræsentia, agit testimonium propheticum: *Nonnè Cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINVS?* Quæ etiam Essentialis Omnipræsentia Christo secundum assumtam humanitatem minimè competit. Nam, (quoad Minorem) corpus Christi, non vi proprietateque suæ naturæ; Sed beneficio Unionis est Omnipræsens, quatenus videlicet Omnipræsens, λόγος, nullis locorum διαστήμασι sive intervallis à sua carne vel tantillum abest, aut extra eam versatur,

 (totus

(totus quippè incarnatus, non sine indistante perfectissimaq; præsentia, inhabitatione, & immanentia omnis plenitudinis DEItatis suæ) hinc adeò fit; ut nè cogitare quidem liceat ullibi existentem λόγον, ubi ullam habeat in tota rerum universitate creaturam sibi propiorem sua humanitate, quam in ὑποστάσεως κοινωνίαν, hoc est; personæ suæ participationem evexit. Labascit ergò ipsa argumenti Sadeelitici Conclusio. Quod ut evidentiùs pateat, sic argumentor.

Quicquid non est per Essentiæ suæ proprietatem Omnipræsens: sed tantùm personali κοινωνίᾳ Omnipræsentiam τοῦ λόγου participat: id non est per Essentiam infinitum, increatum, æternum, incomprehensibile: hoc est uno verbo, non est DEUS.

Corpus Christi non est per Essentiæ suæ proprietatem Omnipræsens: Sed tantùm ex Unione sive personali κοινωνίᾳ, Omnipræsentiam τοῦ λόγου participiat.

Quare Corpus Christi, non est per Essentiam infinitum, increatum, æternũ, incomprehensibile: hoc est: uno verbo non est DEUS: id, quod nostræ Ecclesiæ firmiter credunt, constanterq; docent ac propugnant.

Majo-

Maioris connexum indè patet: Quia DEVS non κοινωνίᾳ sive participatione Omnipræsentiæ est omnipræsens: neque respectu alterius naturæ est Omnipræsens: sed per sese, adeoque propria sua & naturali vi atque essentia.

2. Deinde, si ideò Corpori Christi negāda esset Omnipræsentiæ Maiestas, quia illud DEVS non est: ex eodem profectò fundamento, eidem Carni sive humanitati Christi neganda forent ea ἀξιώματα sive attributa divina, quæ tamen scriptura διαρρήδην, & quidem in abstracto, Humanitati Christi assignat. Sic enim liceret argumentari ex Logicâ Sadeelis: Quicquid est vivificum, DEVS est: Quicquid adorari debet, DEVS est: Quicquid ad totius mundi reconciliationem efficax est, DEVS est: Quicquid virtutem habet purgandi conscientias ab operibus mortuis, DEVS est: Quicquid sedet in throno infinitæ maiestatis & virtutis divinæ, DEVS est: Quicquid sibi subiecta habet omnia, adeò ut nihil prætermissum, quod non ei sit subiectum, DEVS est. &c.

Jam verò Caro Christi est vivifica. Ioh. 6, 55. debet adorari: DONATVM enim illi est nomen adorabile. Phil. 2, 9.

& 10 est efficax ad totius mundi reconciliationem. Col. 1, 22. Sanguis Christi valet ad purgandas conscientias. Hebr. 9, 14. Caro Christi exaltata sedet in DEI maiestate: & habet subiecta omnia &c. Eph. 1,. 20. & 21. Hebr. 2, 8.

Ergo Caro Christi DEVS est.

Quemadmodum verò nemo tàm est stupidus, quin in maiore propositione talem limitationem adhibendam esse videat, ut id demùm, quod ex se, suàque naturali vi est vivificum, adorabile, ad reconciliationem Mundi & Conscientiarum purgationem efficax, & in Maiestate DEI sedet: sit DEVS: Ita vix quisquam tàm ab omni ratione erit alienus, qui non intelligat, eandem sive limitationem sive restrictionem, in maiore propositione argumenti Sadeelitici esse concedendam. Quâ concessa, statim tota eius structura dissoluta & destructa in fumum abit.

Pergit & instat Sadeel:

Omnipræsentia sive Vbiquitas τȢ λόγȢ non potest separari ab æternitate ipsius λόγȢ. Nam quia divina natura est simplicissima: iccirco proprietates divinæ essentiæ, quæ sunt ipsa Essen-

Essentia, sunt indivisibiles. Rectè enim Iohannes æternitatem cum Omnipotentia coniunxit: Qui est, qui erat, & qui venturus est, ille omnipotens, Apocal. 1, 8. Ex quo fit, ut si Omnipræsentiam & Vbiquitatem ὁ λόγος communicavit Corpori, necessariò communicaverit etiam æternitatem, & æternam potentiam atque divinam.

Consequens illi ipsi (Vbiquitarij) agnoscunt falsum esse: Idem ergo de Antecedente fateantur necesse est.

RESPONSIO.

Imò verò Ubiquitarij nō agnoscunt hoc falsum esse: sed vno ore & corde fatentur & credunt, imò ceu firmissimam fidei anchoram tenent; non quasdam duntaxat proprietates divinas τοῦ λόγου, assumtæ humanæ naturæ esse communicatas, quasdam verò non: sed universas & singulas. Quatenus enim humana natura per Unionem pervenit in *κοινωνίαν* ὑποστάσεως τοῦ λόγου, eatenus etiam pervenit in *κοινωνίαν* singulorum & vniversorū divinorum Idiomatum τοῦ λόγου. Id quod confirmat Apostolus, Colos. 2, 9. *In Christo*, inquiens *inhabitat OMNIS PLENITVDO DIVINITATIS CORPORALITER*: hoc est, interprete Athanasio, *in assumtâ Carne, tanquā in proprio Tēplo*. Et Col. 2, 3.

In

In Christo sunt absconditi OMNES THESAVRI sapientiæ & scientiæ divinæ: Vbi verbum (Absconditi) ad humanam naturam digitum manifestè intendit. In divina enim nihil absconditum esse, dici potest. Quicquid enim ea est, per Essentiam est.

Verùm iam ea surgit Quæstio? *Si singula & Vniversa divina Idiomata λόγου communicata sint assumtæ humanitati: Vtrum pari modo Humanitas æterna dici debeat aut possit: atque dicitur Omnipræsens?* Sadeel affirmatè respondet: hac usus ratione: *Quia divina natura sit simplicißima: ac proinde proprietates divinæ essentiæ, quæ sunt ipsa essentia, sunt indivisibiles.*

Nos verò negatè respondemus: & rationem Sadeelis sic infringimus. Etsi enim Idiomata divina INTRA simplicissimam Deitatis οὐσίαν absque ulla sive distinctione sive distractione, sunt vnum quid simplicissimè: interim tamen, quando consideratione alterius Naturæ, videlicet assumtæ Humanitatis, in Communicatione, vel aliarum creaturarum respectu, in operatione AD EXTRA, pensitantur: tùm profectò illa ipsa divina Idiomata quantúvis Essentiâ vnum quid

sint,

ſint, diſtinctionem quandam admittere, neque de ſe invicem & promiſcuè prædicari poſſe, ſi negaverit Sadeel, Cœlũ quod aiunt terræ, imò ſupera omnia inferis & infera omnia ſuperis miſcebit. Indè enim conſequetur, damnationem impiorum eſſe opus miſericordiæ & φιλανθρωπίας DEI: ſalvationem piorum eſſe opus Iuſtitiæ & iræ divinæ: Ratio: Quia ex hypotheſi Sadeelis, Idiomata divina ita ſunt indiviſibilia, ut ſi unum eorum prædicetur de aliquo: mox alterum, imo reliqua omnia itidem de eodem prædicentur. Quodſi verò diſtinctio aliqua divinorum Idiomatum, ratione & operationis & prædicationis ad extra, neceſſario eſt admittenda, deſinant vel tandem Adverſarij nos obiectione iſta moleſtare, quaſi omninò pari attributionis & prædicationis modo promiſcuè omnia Idiomata λόγȣ Humanitati aſſũtæ ſint adaptanda, ſi dicamus eam perſonali κοινωνίᾳ eſſe omnipræſentem. Qui error nimis craſſus ſic corrigitur. Cùm Maieſtas Chriſti ſecundum aſſumtam humanitatem definiatur non ſolâ ac nudâ κοινωνίᾳ Idiomatum ſive proprietatem, velut actu primo: ſed etiam ἐνεργείᾳ, tanquam actu ſecundo, quate-

quatenus λόγος in, cum, & per assumtam humanitatem operatur in Creaturis ad extra: iccircò in hoc considerationis modo, distinctio hæc occurrit, ut Idiomata divina, intra ipsam ὀσίαν simplicissimè unum & ἀδιαιρέτως permanentia: distincte tamen agant in operibus ad extra: & sic distincte manentia, distinctas etiam sortiantur prædicationes. Quæ causa est, ut DEVS non immaterialitate sive æternitate: sed potentiâ suâ dicatur creasse hoc vniversum: ut non sua spiritualitate, aut justitia, sed misericordiâ & charitate salvare statuatur credentes: contrà verò, non misericordiâ aut charitate: sed justitiâ suâ damnationi adjudicare incredulos. Sic in præsente quæstione de Communicatione Maiestatis divinæ, quæ Humanæ Naturæ Christi obtigit, piè credendum. & firmiter statuendum: quod omnia quidem Idiomata λόγου, sive OMNIS PLENITUDO DEITATIS communicata sit assumtæ Carni: verùm cum hoc discrimine: ut Spiritualitas, immensitas, æternitas, non immediatè sic sint communicata humanæ naturæ, ut de ea pari modo, quo proprietates cæteræ, prædicari possint, ac ideò affirmari

mari queat, quòd Christi humanitas sit spiritualis, sit immensa, sit increata, sit æterna: sed MEDIATE hæc dicimus communicata, mediantibus videlicet ijs Idiomatis, per quæ solet λόγος in, cum & per assumtam humanitatem efficaciter operari: quatenus nimirùm communicata illa Omnipotentia, Omniscientia &c, est spiritualis, est ab æterno, est increata, est immensa, infinita, quippè λόγου propria: ita quidem, ut quamvis non liceat dicere: Christus secundum humanitatem assumtam est Spiritualis, est infinitus, increatus, æternus: dicere tamen verè possim: Christus secundum eandem assumtam humanitatem est infinitè potens, est infinitè sapiens: est æternâ τοῦ λόγου sapientiâ, omnipotentiâ, præditus & donatus: quemadmodum sanè Daniel, potestatem, quæ Filio HOMINIS est data, potestatem nominat æternam. cap. 7, 14.

Instantia II.

Aut actu duplex est Omnipræsentia Christi, (quod absit ut dicamus, ne sint duo Omnipræsentes) Aut si Corpus Christi est Omnipræsens

unâ

unâ eademq; præsentiâ, quâ ὁ λόγος est omnipræsens: sequitur hoc absurdißimum: Corpus Christi esse DEVM.

RESPONSIO.

Error παρὰ τὸ μὴ ἑπόμενον. Neque enim ex Communicatione Omnipræsentiæ, quæ Humanitati Christi facta est, gemina fit Omnipræsentia: sed numero manet vna: Propria quidem τοῦ λόγου Essentialiter: hoc est, per proprietatem Essentiæ, Communicata verò Naturæ humanæ Personaliter. Quæ determinatio (*Personaliter*) non affingit humanæ Naturæ peculiarem quandam, & specie diversam omnipræsentiam: sed ostendit tantum, hanc Omnipræsentiæ Maiestatem competere Humanitati Christi non ex proprietate Naturæ, sed ex personali Unione cum λόγῳ. Quo pacto neque duo Omnipræsentes introducuntur; sed una Numero Omnipræsens persona est & manet: quæ tamen alio modo & respectu Omnipræsens est, ratione divinæ: alio verò respectu, ratione Humanitatis. Virtus enim isthæc Omnipræsentiæ, quæ Deitatis τοῦ λόγου est propria, non diffunditur in alienum subiectum: Sed λόγος huma-

humanitatem intra ſe aſſumens, & ſuæ ὑποστάσεως reali κοινωνίᾳ participem reddens, ſimul ſuæ Omnipræſentiæ (quæ cum ὑποστάσει eſt unum quid citra diviſionem) reali Communicatione participem effecit: Ubi infinitum nihilominus manet diſcrimen, quòd videlicet modo & ratione toto genere ſublimiore Omnipræſentia Deitati tribuitur, quàm humanitati: Siquidem Deitas Eſſentialiter eſt Omnipræſens, quod humanæ naturæ in æternum non obtingit, quæ tantùm ad Perſonale Conſortium huius Omnipræſentiæ per gratiam Unionis conſcendit.

Quæ ipſa diſtinctio probè obſervata refellit alterum membrum inſtantiæ Sadeelianæ, quæ talis eſt: *Aut ſi Corpus Chriſti eſt Omnipræſens unâ eademque Omnipræſentiâ, quâ ὁ λόγος eſt Omnipræſens, ſequitur hoc abſurdiſſimum, Corpus Chriſti eſſe* DEUM. Diverſi enim illi reſpectus, de quibus abundè ſatis iam dictum, futilitatem conſequentiæ manifeſtè arguunt: uti ſuprà mox à limine Refutationis argumenti huius primi fuit oſtenſum: & fuſius in inſequentibus oſtendetur.

Digitized by Google

Instantia III.

Dices Corpus Christi esse Omnipræsens, non Essentialiter, sed communicativè: At ego sic urgeo: Corpus igitur DEUS est Communicativè: Quòd si Communicativè non est DEUS: Non est igitur Communicativè Omnipræsens: idque propter simplicissimam Deitatis essentiam. Nam ὁ λόγος est Omnipræsens, quia est ὁμοούσιος Patri: hoc est: quia est DEUS. Quod si Communicativè est DEUS: est igitur secundarius DEUS. Blasphemum & ἀδύνατον.

RESPONSIO.

HAEresin novam ac satis pestilentem resipit hæc obiectio, ut quæ haud obscurè innuit, posse aliquid DEI nomine indigitari, quod per Essentiam non est DEUS. Nos contrà non ex nostro cerebro, sed ex solo verbo DEI revelato definiri posse statuimus, quid pro DEO sit agnoscendum: illud nimirùm, quod PER ESSENTIAM DEUS est. Ac proindè ingenuè pronunciamus, Naturam humanam pro DEO PER ESSENTIAM haberi non posse, cùm non sit proprietate Essentiæ Omnipræsens, & proindè nec DEUS. Per Communicationem autem

tem Omnipræſentiæ talem, qualem nos ſacris edocti literis credimus & confitemur, uſque adeo nihil in DEVM mutari poteſt, ut potius, qui hoc affirmare auſit, is oppoſitum in adiecto turpiſſimè ſtatuat, & manifeſtæ contradictionis laqueo ſemetipſum irretiat. Nam extra controverſiam immotum ſtat hoc axioma Theologicum: Quicquid per Eſſentiam eſt Omnipræſens, eſt DEVS: Jam ſi quis cum Sadeele fingat, vi Communicationis PERSONALIS, quæ nullam naturarum exæquationem infert, vel quod idem eſt, aliquid Communicativè DEVM eſſe & dici poſſe: is ipſum fundamentum religionis Chriſtianæ evertit, & turpiſſimè ſibi ipſi contradicit: Quicquid enim per gratioſam Communicationem eſt Omnipræſens: illud per Eſſentiam Omnipræſens eſſe nequit: ac proinde neque DEVS eſſe poteſt: & contra. Duo enim iſta, nempè DEVM eſſe, & Communicativè DEVM eſſe, ſeſe mutuò excludunt. Faceſſat proindè Sadeel cum abſurdo Capitis ſui liripipio, & Communicativo DEO: Qualis haud magis eſſe poteſt, ac σιδηρόξυλον (uti proverbio fertur) dari poteſt. Cæterùm ut noſtræ ſententiæ

Instantia III.

Dices Corpus Christi esse Omnipræsens, non Essentialiter, sed communicativè: At ego sic urgeo: Corpus igitur DEVS est Communicativè: Quòd si Communicativè non est DEVS: Non est igitur Communicativè Omnipræsens: idque propter simplicissimam Deitatis essentiam. Nam ὁ λόγος est Omnipræsens, quia est ὁμοούσιος Patri: hoc est: quia est DEVS. Quod si Communicativè est DEVS: est igitur secundarius DEVS. Blasphemum & ἀδύνατον.

RESPONSIO.

HAEresin novam ac satis pestilentem resipit hæc obiectio, ut quæ haud obscurè innuit, posse aliquid DEI nomine indigitari, quod per Essentiam non est DEVS. Nos contrà non ex nostro cerebro, sed ex solo verbo DEI revelato definiri posse statuimus, quid pro DEO sit agnoscendum: illud nimirùm, quod PER ESSENTIAM DEUS est. Ac proindè ingenuè pronunciamus, Naturam humanam pro DEO PER ESSENTIAM haberi non posse, cùm non sit proprietate Essentiæ Omnipræsens, & proindè nec DEVS. Per Communicationem autem

tem Omnipræſentiæ talem, qualem nos ſacris edocti literis credimus & confitemur, uſque adeo nihil in DEVM mutari poteſt, ut potius, qui hoc affirmare auſit, is oppoſitum in adiecto turpiſſimè ſtatuat, & manifeſtæ contradictionis laqueo ſemetipſum irretiat. Nam extra controverſiam immotum ſtat hoc axioma Theologicum: Quicquid per Eſſentiam eſt Omnipræſens, eſt DEVS: Jam ſi quis cum Sadeele fingat, vi Communicationis PERSONALIS, quæ nullam naturarum exæquationem infert, vel quod idem eſt, aliquid Communicativè DEVM eſſe & dici poſſe: is ipſum fundamentum religionis Chriſtianæ evertit, & turpiſſimè ſibi ipſi contradicit: Quicquid enim per gratioſam Communicationem eſt Omnipræſens: illud per Eſſentiam Omnipræſens eſſe nequit: ac proinde neque DEVS eſſe poteſt: & contra. Duo enim iſta, nempè DEVM eſſe, & Communicativè DEVM eſſe, ſeſe mutuò excludunt. Faceſſat proindè Sadeel cum abſurdo Capitis ſui liripipio, & Communicativo DEO: Qualis haud magis eſſe poteſt, ac σιδηρόξυλον (uti proverbio fertur) dari poteſt. Cæterùm ut noſtræ ſententiæ

fundamenta reliqua pertexamus, ideò Naturam Humanam DEUM esse negamus: quia constat, vocabulum DEI Personæ nomen esse: Humanam verò Christi naturam, non personam, sed Naturam esse propriâ personalitate carentem: ac proindè in Christi personâ non ἄλλον καὶ ἄλλον alium atque alium esse. Quâ de causâ neque alienus sive alius sit DEUS Caro assumta, si vel maximè in divinorum Idiomatum κοινωνίαν ea pervenisse, credatur: & vice versâ, licet eadem Caro assumta in Deitatis naturam non sit conversa, ac proindè neque DEUS simpliciter appellari vel possit, vel debeat: nihilominus tamen ex Unione PERSONALITER particeps est facta DEITATIS τοῦ λόγου, & per sessionem ad dexteram infinitæ virtutis ac Maiestatis DEI evecta in plenissimũ divinæ gloriæ usum, ut sit altissimo DEO σύνθρονος, & omni etiam Angelicæ Creaturæ adorabilis, uti Patres piè loqui consueverunt.

Quanquam verò ob causas iam allegatas, & ad evitandam suspicionem hæresis Eutychianæ & Schwenckfeldianæ hac phrasi minimè utimur, Humanitas est DEUS: interim tamen nihil sive erroris

Digitized by Google

roris, ſive periculi ſubeſſe ſtatuimus, quando ſubiecti loco ponitur Chriſtus, cum addita determinatione (ſecundum Humanitatem) ac dicitur, quod Chriſtus ſit Filius DEI, juxta Deitatem quidem *Eſſentialiter*: Iuxta Humanitatem verò *Perſonaliter*, ob Unionem Hypoſtaticam, & κοινωνίαν tùm perſonæ Filij, tùm eiuſdem Maieſtatis. Quèadmodum enim λόγος ab æterno fuit Filius DEI, quâ DEVS: quippè ex eſſentiâ Patris ante ſecula genitus: Ita Humanam Naturam aſſumens, novâ quadam ratione illud ipſum nomen Filij DEI juxta Carnem κεκληρονόμηκε SORTITVS eſt. Teſtis omni exceptione maior eſſe poteſt Epiſtola ad Hebræos, ſic ſcribens cap. 1, 4 & 5. *Conſedit ad dextram maieſtatis in excelſis: tantò præſtantior Angelis FACTVS, quantò excellentius præ illis SORTITVS eſt nomen: Cui enim Angelorum dixit vnquam, FILIVS MEVS ES TV ego hodiè genui te, Ac rurſum: Ego ERO ei pater, & ipſe ERIT mihi FILIVS*

Tandem ſi vſque adeò abſurdum Sadeeli & ſocijs videtur, affirmare Chriſtum ſecundum aſſumtam etiam Carnem eſſe Filium DEI, ſed perſonaliter, modo

jam explicato: peramanter ipsos rogatos volumus, ut ad insequentem quæstionem categoricè respondere haud graventur: *Num statuant Christum juxta Humanitatem vel prorsus non appellandum esse Filium* DEI: *vel appellandum esse tantùm Filium adoptivum, quemadmodum credentes per υἱοθεσίαν Filii* DEI *in scripturis appellantur.* Prius illud vix concesserint, nisi nimiùm rigidi censores in sacrosanctam Humanitatem Christi esse ac videri: & illud elogium negare ei impiè velint, quod tamen Hominibus aliis scriptura sacra non invidet. Sin hoc affirmaverint: nihil jam discriminis relinquent inter Humanitatem Christi, & reliquos homines, per fidem Christo insertos simulq; teterrimam illam hæresin Fœlicis cujusdam, ab orco revocabunt, qui Christum secundum humanam Naturam, non esse verum DEI Filium, sed Adoptivum blasphemè contendit.

Quod si vero neutrum istorum pro suo agnoscere voluerint, tertium illud relinquitur, ut admittant Christum juxta assumtam Humanitatem ratione quadam incomparabiliter sublimiore, quàm nos, Filium DEI esse: & eâ quidem ratione, quam secundum mysterium Unionis personalis paulò ante explicavimus.

Deli-

Digitized by Google

Deliberent quid respondere velint: Nos interim ad reliqua pergimus.

Instantia IIII.

Quicquid est extra locum, est etiam extra Tempus: quanquam enim res creatæ non uno modo dicuntur esse in loco: tamen nihil est creatum, quod non habeat suum Vbi: & quod increatum est, est extra Tempus. Itaque si corpus Christi est ubique, loca omnia continens: Est igitur æternum, & omnia tempora continet. Ἀδύνατον.

RESPONSIO.

De Localitate infra in Refutatione Argumenti Quarti ex professo agemus. Nunc obiectionem de Tempore examinabimus: Cujus vanitas ut in apricum solem producatur, distinguendum esse docemus, inter statum exinanitionis & exaltationis: Item inter existentiam corporis Christi Naturalem, & inter existentiam Personalem. Initio enim nisi corpus Christi, vel quod idem est, Humana ejus natura, per Unionem assumta & evecta est, uti non in locum aliquẽ, sic neque in conditionẽ physicam Temporis, sed in ipsã ὑπόστασιν τῦ λόγυ, ab omni & loco et

Tempore modis omnibus liberam ac absolutã: atque ſic ipſa quoque huius eminẽtiæ & dignitatis Perſonaliter facta eſt particeps, Interim tamẽ aſſũptio ipſa: incarnatio ipſa, Unio ipſa, Cõceptio & nativitas ipſa nõ ab æterno, ſed in tẽpore cõtigit: & λόγος, durante ſtatu Exinanitionis Carnem ſuam, ut reliquis mundanis conditionibus: ſic etiam Tempori ſubiectam voluit: ſalvâ nihilominus permanente ei Maieſtate, quâ in λόγῳ ſupra locum & Tempus eminebat. Deinde ſi Humanam naturam ex ſe & ſuis proprietatibus penſites, & quidem ante Reſurrectionem ex mortuis: certè indè non habuit, ut eſſet extra vel locum vel Tempus: ſin verò eandem poſt Reſurrectionem ſecundum proprietates clarificatorum Corporum conſideres: intrepidè affirmare audeo illam neque loco neque Tempori eſſe ſubiectam. Siquidem neque Clarificatorum hominum Corpora in vita æterna futura ſunt in Tempore: vt quod rebus Phyſicis ſive naturalibus tantùm propter motum accidit; & ad hoc ſeculum præſens tantùm ſpectat, nequaquàm verò in vita æterna dominabitur: quippè cuius vitæ conditio ſic comparata eſt, ut oculus non vide-

Digitized by Google

viderit, auris non audierit, & in Cor hominis non descenderit. 1. Cor. 2, 9. Quod ipsum ipse quoque agnovit Aristoteles, hac in parte à Calvinianorum Schola omninò dissentiens: scribens ἅμα δῆλον, ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ: *Manifestum simul est, quod extra hoc Cœlum neque locus est, neque vacuum, neque Tempus.* Extra hoc Cœlum inquit, Elementare nimirùm & aspectabile, nullum est Tempus. Jam verò haud opinor sedem beatorum sive vitam æternam collocabunt Calviniani in æthereo sive Elementari Cœlo: sed extra illud: siquidem Cœlum istud & Terra transibunt: Manente interim & durante in æternum sede beatorum. Proindè cum de hominum beatorum Corporibus certum & indubitatum sit, illa uti extra locum, sic etiam extra Tempus futurâ in Cœlo beatorum: Quæ hæc profligata erit temeritas, & stupenda blasphemia, Corpori Christi assumto intra ipsam ὑπόστασιν τοῦ λόγου, imò exaltato & constituto ad infinitam usque dexteram infinitæ virtutis ac Maiestatis divinæ, nolle hoc privilegium concedere, quòd sit extra omne Tempus. Sic nimirùm iusto DEI fit iudi-

lib. 1. de Cœlo cap. 9.

cio, ut Sacramentarij per induratam quandam malitiam usque adeò sint hostes Majestatis Christi Hominis, ut nolint illam quicquam prærogativæ, ultra & supra leges & Conditiones physicas obtinere. Ipse exaltatus Mariæ Filius videt hoc & judicabit. Quæ porrò de Finitate & infinitate ex cerebro suo blaterat *Sadeel*, ea ex professo discutiemus in Refutatione Argumenti tertij.

Tandem quòd infert, *si Corpus Christi est extra Locum & Tempus: erit etiam æternum* nos minimè ferit. Concedimus enim Corpus Christi esse æternum non quidem ratione principij: sed ratione Finis. Cur verò ratione principij æternum dici nequeat, iam supra explicatum dedimus.

Instantia V. directa adversus Responsionem nostram, datam ad Instantiam primam Sadeelis.

Quærit enim iam Sadeel. *1. Cur æternitas non exerat suas ἐνεργείας, si reliqua attributa Deitatis suas ἐνεργείας exerunt.*

RESPONSIO.

IMò verò exerit: Facit enim ut omnipotentia, quâ λόγος per assumtam humanita-

nitatē exerit, sit æterna Omnipotentia: ut Omniscientia, quam λόγος per assumtam Carnem exerit, sit æterna Omniscientia: ut vis vivificandi, quam habet ex Vnionis gratiâ Caro Christi, sit æterna vis vivificandi. Nihil huiusmodi alioqui futurum, nisi λόγος esset æternus: & æternitas ipsa suam hoc modo exereret ἐνέργειαν, ratione communicatæ Maiestatis.

Instantia VI.

Itaque sequerentur gravißima hæc incommoda: Deitatem esse divisibilem: itemque Vnionem Hypostaticam non ex æquo factam fuisse, respectu attributorum Deitatis, ac proindè non esse perfectam Vnionem: quæ omnia absit, ut dicamus.

RESPONSIO.

VBi verò, quando & Vnde hæc consequuntur incommoda? Gravem quidem accusationem audio: probationem verò nullam audio. Sed fortassis illud αὐτὸς ἔφα hic locum obtinebit. Neutrum certè incommodum ex nostra doctrina sequi, hoc est, neque Deitatem divisibilem: neque Unionē Hypostaticā imper-

imperfectam constitui: tàm clarè ac perspicuè jam modò in Refutatione primæ instantiæ demonstravimus, ut vix quicquam dilucidius dici queat. Experiantur vires ingenij si lubet, Sacramentarij, & vel ex scripturis, vel firmis & immotis rationibus infringant ea, si possunt.

Instantia VII.

Quia DEVS est actus purissimus, certè ἐνέργεια æternitatis est, æternum esse: ἐνέργεια immensitatis est, immensum esse: ἐνέργεια Omnipræsentiæ est Omnipræsentem esse: non autem aliquid aliud à seipso, vel æternum, vel immensum, vel Omnipræsens facere. Sic enim nec æternus, nec Omnipræsens esset. Est autem Omnipræsens, quia est immensus & æternus.

RESPONSIO.

CONfundit satis turpiter Sadeel actū primum & actum secundum. DEVM esse Actum purissimum quis negavit unquam? Quis item negavit. Aeternitatis, Immensitatis & Omnipræsentiæ Idiomata in DEO esse Essentialia, & cum ipsa Essentia simplicissimè converti? Cæterùm illud novum & insolens imo hæreticum

ticum planè est, quòd Sadeel scribit, Aeternitatis ἐνέργειαν in DEO esse, æternum esse: Immensitatis ἐνέργειαν in DEO esse, immensum esse: Omnipræsentiæ ἐνέργειαν in DEO esse, Omnipræsens esse. ἐνέργεια profectò rationem obtinet Actus secundi, attestantibus omnibus Theologis & Philosophis. Siccine ergo DEVS intra suam Essentiam admittit Actum etiam secundum? Creditum hactenus fuit, DEVM, uti actus est purissimus & simplicissimus: ita etiam esse ipsam æternitatem, ipsam immensitatem, ipsam Omnipræsentiam: non verò per ἐνέργειαν quandam æternitatis esse æternum, per ἐνέργειαν immensitatis esse immensum: per ἐνέργειαν Omnipræsentiæ, esse Omnipræsentem. Sic enim Aeternitas & æternum esse differerunt in DEO ut actus primus & secundus: quemadmodum in homine differt Ratio & ἐνέργεια sive usus Rationis. Proindè magis sobriè erit philosophandum & statuendum divinis Idiomatis tribui ἐνέργειαν non ratione ipsius Essentiæ divinæ: sed ratione Creaturarum sive respectu ad extra. Quâ stante hypothesi: Quæritur iam, An Aeternitas potuerit communicari assumtæ humanitati, licet

ti, licet ipſa non poſſit dici æterna ratione principij? Reſponſum iam ſuprà fuit Affirmatè: Potuiſſe hoc fieri, imò vere factum eſſe, dùm omné plenitudiné Deitatis in aſſumta carne corporaliter habitare affirmat Apoſtolus. Sed iam porrò quæritur: Cur humana Chriſti natura non appelletur æterna, quemadmodum appellatur Omnipotens, omniſcia, omnipræſens, vivifica? Reſpondeo: Quia λόγος Omnipotentiæ, Omniſcientiæ, Omnipræſentiæ ἐνέργειαν exerit IMMEDIATE per aſſumtam Humanitatem: Aeternitatis verò non item. Cùr hoc verò & Unde affirmare poſſumus? Ex ſcripturis, quæ carnem Chriſti vivificam, Omnipotentem, Omniſcientem, Omnipræſentem, adorabilem: non verò æternam aut increatam prædicant. Scripturis ergo, non nobis litem de hac quæſtione deinceps moveant *Sacramentarij*. Verùm ſi ne ſic quidem acquieſcant Sacramentarij, ſed vrgeant, cur λόγος per æternitatem nullam ἐνέργειαν immediatè exerat? Reſpondemus, quia hoc nullius eſt neceſſitatis. Nam quòd λόγος eſt Omnipotens, imò veriùs Omnipotentia ipſa, illud eſt abſolutæ neceſſitatis: Siquidem Eſſentia λόγου

abſque

absque Omnipotentia haud posset subsistere: Quod verò eandem Omnipotentiam per assumtam humanitatem exerit: illud liberrimæ est ipsius voluntatis. Undè patet Idiomata divina & eorundem ἐνεργείας ita distinguendas: ut Idiomata ipsa intra Deitatis ὀσίαν considerata sint actus quidam purissimus simplicissimusq́;, sint maneantq́; invariata: Idiomatum verò ἐνέργειαι, quæ respectum habent ad extra, tanquam actus secundi liberrimè possint & exerceri & retrahi.

Instantia VIII.

Quæ de Reali Communicatione Omnipræsentiæ immiscet hoc loco Sadeel: ea propriè ad hoc argumentum, & eius diexodon non pertinent: De ijs autem ex professo agendum erit infra, in doctrinâ de Communicatione Idiomatum.

Instantia IX.

Si in Vnione Hypostatica proprietates Deitatis dici ad extra existimas: Cur igitur in ipsa Vnione Hypostaticâ describenda nomi-

nominatim additur: Vtrique naturæ ſervari ſuas proprietates. *Quamobrem ſi Communicatio Realis Idiomatum ſit ſervatis vtriuſque naturæ proprietatibus: certè Idiomata illa non ſunt.*

RESPONSIO.

VEtus hæc eſt crambe, quã etiã infra in doctrina de Cõmunicatione Idiomatum ad nauſeam uſque Sadeel recoquit: Cuius hæc eſt ſumma: *Idiomata divina non poſſunt communicari aſſumtæ humanitati, ſervatis utriuſque naturæ proprietatibus.* Quare verò non poſſunt? Reſpondet Sadeel: *Quia iam non eſſent proprietates Eſſentiales.* Quæ reſponſio prodit genium & ingenium Sadeelis, quod Sophiſticè per particulas (*ad Extra*) intelligat phyſicam quandam effuſionem & quaſi evacuationem Idiomatum divinorum in Humanitatem: ut ea iam huic inſint habitualiter & ſubiectivè. Quod dogma à noſtris Eccleſijs eſſe alieniſſimum, & ex noſtra doctrina minimè conſequi: tàm probè novit Sadeel, quàm probè ſuos novit digitos. Verùm de hac etiam quæſtione infrà ſuo loco.

Inſtan-

Inſtantia X.

Bonitas, ſanctitas, Iuſtitia. & quæ ſunt ejusmodi, dicuntur de rebus creatis. utpote de piis ac fidelibus hominibus, non tanquàm proprietates divinæ cum ipſis fidelibus communicatæ. ſed tanquam ipſarum proprietatum effecta.

RESPONSIO.

Extra oleas vagatur Sadeel. Neque enim noſtri, quando à rebus creatis in præſente quæſtione argumentari conſueverunt, illud voluerunt, eâdem ratione communicare DEVM ſuam bonitatem, ſanctitatem, Iuſtitiam rebus creatis; quâ Omnipræſentia communicata aſſeritur à λόγῳ Humanitati aſſumtæ. Id quod noſtris nunquam in mentem venit. Verùm hunc voluerunt eſſe ſcopum exempli petiti à rebus creatis, ut videlicet demonſtrent, Idiomata divina, quantumvis intra DEI οὐσίαν ἀδιαιρέτως unum quid Eſſentiale permaneant: tamen reſpectu creaturarum ad extra diviſionem aliquam admittere: & talem quidem diviſionē, ut eorum ἐνέργειαι ſive Effectus non indiſcriminatim aut confusè cuilibet Idiomati ſive proprietati divinæ adſcribi & aſſi-

Digitized by Google

gnari debeant. Id quod exemplo à rebus creatis petito evidentiſſimè demonſtrari poteſt. Bonæ enim ſi dicuntur, certè bonitas iſthæc non eſt ἐνέργεια ſive Effectus æternitatis: ſed Bonitatis & φιλανθρωπίας divinæ: ſic Iuſtæ & ſanctæ ſi ſunt: certè Iuſtitia & Sanctitas iſthæc, non eſt effectus Immenſitatis, Spiritualitatis, aut Aeternitatis DEI; ſed ipſius Eſſentialis Iuſtitiæ & Sanctitatis DEI.

Unde liquidò oſtenditur, falſiſſimum eſſe axioma Sadeelis & ſociorum, quando ſubindè ogganniunt: ſi Omnipræſens ſit corpus Chriſti: neceſſariò debere etiam eſſe æternum: popterea quòd Omnipræſentia & Aeternitas intra DEI ὀυσίαν ſint quiddam ταυτὸ & diviſionem ſive diſtractionem nullam admittant. Iam enim probatũ & invictè demonſtratum: Illa ipſa Idiomata intra DEI ὀυσίαν invariata & ἀδιαίρετα permanentia; reſpectu aſſumtæ humanitatis, & reliquarum creaturarum, quando nimirùm DEUS quaſi foràs progreditur, diſtinctionem ac diviſionem admittere: ut non quidvis de quovis prædicari: ſed cuilibet Idiomati; uti ſua certa ἐνέργεια: ita etiam certum ſuum prædicatum aſſignari & concedi debeat.

Quemad-

Quemadmodum ergo Sadeel nolens volens concedere cogitur, Res creatas suâ naturâ esse bonas, quia à DEO bono proficiscuntur: non tamen esse æternas, quia idem DEVS ἀδιαιρέτως intra ȣ̓σίαν est & Bonitas & æternitas ipsa: Ratio, Quia ἐνέργεια Bonitatis non ab ipsâ Essentiâ divinâ; sed à liberrimâ ipsius voluntate dependet: Sic concedat necesse est: λόγον cum tota plenitudine divinitatis suæ habitantem in assumtâ carne, intra divinam suam ȣ̓σίαν esse ἀδιαιρέτως ipsam & æternitatem & Omnipræsentiam: at tamen nihilominus Omnipræsentiæ actum per eandem carnem exerere: Aeternitatis verò non item: Quia hæ ἐνέργειαι tanquam actus secundi possunt exeri & retrahi, quippè dependentes à liberrima voluntate λόγȣ. Quibus ita constitutis, manifestissimum evadit, ipsas quoque proprietates divinas ad extra esse divisas: & proindè unam proprietatem liberè posse exerere suam ἐνέργειαν: alteram verò non item.

Instantia XI.

Res Creatæ non dicuntur æternæ: quippè quòd non sint à se & per se; nec dicuntur à se & per se bonæ, quia neque sunt, neque dicuntur ipsa bonitas: dicuntur autem esse, & esse bonæ; &c.

RESPON-

RESPONSIO.

QVid pugnet Sadeel, vix ipse, credo, satis intelligit. Nam omnia ista ultrò largimur: Res creatas nequeper se esse, neq; per se bonas esse. Sed quid hoc ad rhombum? Illud confirmandum erat Sadeeli, Idiomata divina, quando ad extra considerantur, nullam divisionem admittere. Id quo sua dissertatione satis & intricatâ & prolixâ, ne quidem ex minimâ parte confirmat. Nos tamen, ut hoc ipsum exemplum urgeamus, sic argumentamur: DEVS est bonitas ipsa: Ergo res creatæ bonæ sunt: id quod concedit Sadeel: Porrò; DEVS est æternitas ipsa: Ergo res creatæ sunt æternæ: Hoc negat Sadeel. Reddat verò simul ipse rationem huius Negativæ suæ: qualem non habebit aut inveniet aliam, licet omnes angulos & meatus suæ rationis & sophistices perreptet, quàm hanc: Quòd nimirùm DEVS non æternitatis, sed bonitatis suæ ἐνέργειαν in rebus creatis exerat. Quo concesso, ipsa etiam idiomata æternitatis & bonitatis, respectu ad ceaturas instituto, esse distincta & divisa, qui non videt, is nihil videt.

Instan-

Instantia XII.

Hoc est de ratione divinæ proprietatis, ut sit, A se, ex se, & per se: alioqui iam non erit divina proprietas. Itaque qui dicit Omnipræsentiam, quæ non sit à se, ex se, & per se, ille constituit Omnipræsentiam, quæ non est proprietas divinæ naturæ: atque ἀντιφαλικῶς dicit communicatam proprietatem, quæ proprietas non est. Quia si Communicata est, non jam est ex se: si ex se non est: Non est igitur divina proprietas.

RESPONSIO.

SCopæ dissolutæ; nuspiam cohærentes. Anne enim Omnipræsentia, si Humanitati assumtæ communicata dicatur, non amplius est & manet proprietas, neque amplius est à se, ex se, & per se: Vel, An, si Ompræsens esse statuatur Humana Natura non ex se, non à se, non per se; ideo Omnipræsentia illa non erit divinæ naturæ proprietas. Sic quidem arguit Sadeel, & ἀντιφαλικῶς hæc sibi esse opposita, arguit. Verùm nuspiam, uti dixi ista cohœrent. Quodsi enim

utrũque iſtud de Omnipræſentia non ὡσαύτως prædicetur, hoc eſt, non uno modo, atque reſpectu: Sed Omnipræſentia affirmetur manere ex ſe, & per ſe, & à ſe Idioma divinæ naturæ: at interim eadem Omnipræſentia ita habitare in aſſumta humana natura, ut Omnipræſentiæ actum ex gratiâ Unionis ei communicet; unâ interim numero manente Omnipræſentiâ: licet aliter reſpectu divinæ, aliter reſpectu humanæ naturæ conſideretur; tùm omnis expirat ἀντίφασις. Quando enim affirmatur Humana Natura non ex ſe, per ſe, aut à ſe eſſe omnipræſens; illud tantùm innuitur, quòd Humana Natura non ex Naturæ ſuæ proprietate ſit omnipræſens: ac proindè illæ particulæ, (A ſe, ex ſe, per ſe,) hoc modo non de Omnipræſentia ipſa: ſed tantùm de Humana Natura prædicantur: & ſic evidenter aſtruunt & confirmant, quòd Omnipræſentia ex ſe, per ſe & à ſe, ſit maneatque proprietas divinæ Naturæ: per Communicationem autem Idiomatum, quæ non transfundit proprietates in aliud ſubiectum, prædicetur etiam de Natura humana; haud ſecus ac urere & lucere prædicantur de ferro candente: & tamen nihilominùs, à ſe, ex ſe, & per ſe, ſunt manent-

Digitized by Google

nentq; propria Ignis. Verùm hac de quæstione infrà copiosius.

Instantia XIII.

Hoc loquendi genus, ita ut proponitur: nempè, Caro Christi est vivifica, non extat in sacris literis: sed usurpatum fuit ab Ephesina Synodo.

RESPONSIO.

IMò verò extat, Ioh. 6, 55. quando Christus inquit, *Caro mea VERE est cibus: & sanguis meus VERE est potus: Qui Manducat meam Carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo.* Neque enim literarum & vocabulorum magis apices, quàm integræ orationis sententiam Sadeelem spectare arbitror. Iam verò disertè dicit Servator: CARO MEA VERE est cibus? Cur verò ea VERE est cibus? Quia vivificat: Nam v. 53. hanc qui manducat habet vitam in se. Esto igitur Ephesina Synodus initiò hac phrasi fuerit usa, *Caro Christi est vivifica:* non tamen contra aut præter; sed secundum scripturarum mentem ac sententiam eâ usa est.

Sed insurgit Sadeel: *Ne inquiens piorum majorum phrasisin alienũ sensum detorqueatur, affirmo, istos (Ubiquitarios) non satis accuratè expendere proprias vocabulorum & phrasewn significationes. Nam VIVIFICUM esse non dicitur de illâ vitâ, quae ita est DEI proprietas, ut sit ipse DEUS*

RESPONSIO.

De quâ igitur vitâ? Unam ego, non geminam in DEO vitam agnosco, credo ac confiteor, nempè Essentialem illam: de alia quapiam vitâ in DEO nihil quicquam novit scriptura. Et sola illa Essentialis in DEO vita, exerit suam ἐνέργειαν, in vivificandis creaturis: ita quidem, ut vita illa DEI, causae Efficientis: Vita verò creaturarum, Effectus respectũ habeat. Porrò licet hoc loquẽdi genus, *Vivificum esse*, ex natura Relationis simul inferat id quod vivificat, & id quod vivificatur; res tamen eòdem recidit, & quaeritur, Unde nã id quod vivificatur, vitã habeat & accipiat. Ubi Sadeel ipse respõdere cogitur: à DEO. Iam si rogãdo progrediaris: ex quâ vi sive virtute DEUS vivificet: Respondetur, ex eâ, quâ ipse vita est. Neque diversum ex scripturis in omnem aeternitatem probabit Sadeel, quomodocunque etiam sese torqueat. Sed ut ad propositã quaestionem, de carne Christi vivifica redeamus:

mentem

mentem ſuam ſic explicat Sadeel: *Cum Spiritualis & æterna vita nobis ſolo Chriſti Redemtoris beneficio conferatur, eamque nobis Chriſtus ipſe θεάνθρωπος ſua morte & Reſurrectione comparârit: iccirco Synodus Epheſina non dubitavit dicere. Carnem Chriſti eſſe vivificam: tùm quòd ſit Caro verbi Omnia vivificantis: tùm quòd Chriſtus in aſſumtâ Carne præſtiterit ea omnia, quæ nobis erant ad vitam æternam neceſſaria: & quorum tùm ſimus participes, cùm vera fide, efficacitate Spiritus ſancti arctiſſimè cum ipſo Chriſto vero DEO & vero Homine coniungimur.*

RESPONSIO.

FAllit argumentum διὰ τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως, per inſufficientem enumerationẽ cauſarũ, propter quas Caro Chriſti in ſcripturis dicitur eſſe vivifica. Neque enim ea vivifica eſt ac dicitur tantum ideò. 1. Quia Chriſtus θεάνθρωπος ſua morte & Reſurrectione Spiritualem & æternam vitam nobis comparavit: 2. quia etiam Caro Chriſti eſt Caro Verbi omnia vivificantis: 3. quia denique Chriſtus in aſſumta Carne præſtitit ea omnia, quæ nobis ad vitam æternam erant neceſſaria: (quanquam ne iſthæc quidem

iam enumerata citra Sophisticationem credit aut concedit Sadeel) verùm etiam ideò vivifica dicitur, quia hæc ipsa Caro Christi, per Unionem Hypostaticam ad Omnipotentem vivificationis potestatem, λόγου propriam, verè ac realiter conscendit: & nunc ad dextram virtutis & omnipotentiæ DEI exaltata, vitam in nobis præsens operatur. Neque enim Filius DEI sive λόγος, per assumtam carnem, initium tantùm salutis ac vitæ: sed plenam perfectamq; salutem nostram perficit & absolvit: dùm λόγος per illam, atque sic Christus totus, DEUS & homo, universa gratiæ suæ opera in nobis excitat, confirmat ac perficit, atque in Sacræ Cœnæ mysterio hanc ipsam Carnem suam, tanquàm CIBUM VITÆ & immortalitatis alimoniam realiter confert & dispensat. Et ut pleniùs ac planiùs ista intelligantur, distinguendum est, inter duplicem Existentiæ modum Carnis Christi; quorum unum suprà aliquoties nominavimus Naturalem, quatenus nimirùm per se ratione suæ Essentiæ consideratur: quo respectu ea nostræ Carni est ὁμοούσιος. Hebr. 2, 16 & 17: Alterum verò diximus esse Personalem

quate-

quatenus nimirùm hæc Caro, eſt DEI Caro, quippè perſonaliter, cum DEO in perſona Filij unita. Hoc reſpectu poſteriore, de ſua Carne affirmat Servator, CARO MEA VERE EST CIBUS. Adepta eſt enim hanc vivificationis ἐνέργειαν. à λόγῳ per Unionis gratiam, ut quemadmodum univerſam plenitudinem Deitatis: ſic ipſam quoque vivificandi virtutem in ſe quaſi aggregatam, & perſonaliter inhabitantem habeat: & λόγος, non quidem ex quadam indigentia, ſed liberrimâ voluntate, vivificationis opus nunquam & nuſquàm exerat aut perficiat, niſi per hanc propriam ſuam Carnem: non quidem ſenſu Calviniſtico, ac ſi divina Chriſti natura, divinas: Humana autem tantûm humanas ἐνεργείας exerat: ſed quòd ipſa Caro hæc Filij DEI, in perficiendis ἀποτελέσμασι illis θεανδρικοῖς, divinam planè virtutem, tùm ratione meriti, tùm ratione applicationis, obtinet & exerit. Quod ipſum ducentos illos Epheſini Concilij patres ſanctè crediſiſſe, adverſus Sadeelis ſomnium, Sole meridiano clariùs evincit, Anathematiſmus undecimus, qui ſic habet:

Digitized by Google

Si quis non confitetur CARNEM DOMINI *VIVIFICATRICEM esse, & propriam ipsius verbi DEI patris, sed velut alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse. QVIA FACTA EST PROPRIA VERBI vivificantis, anathema sit.*

Et quanquam Patres isti, ad evitandam confusionem & exæquationem Naturarum, Carnem Christi hanc vivificandi *δύναμιν* non à se, vel ex se habere, satis manifestè innuunt: Quod ipsum nos quoque ultrò largimur: non tamen statim est consequens, Carnem Christi ab Ephesinâ synodo nuncupari vivificam, tantùm ratione meriti, quatenus Christus θεάνθρωπος, sua morte & Resurrectione spiritualem & æternam vitam nobis comparavit: quemadmodum Sadeel hoc loco fucum facere studet. Nam hos ipsos Patres, unanimiter credidisse ac docuisse, ipsum essentiale τȣ̃ λόγȣ ἰδίωμα, hoc est, potentiæ vivificæ attributum Carni Christi per Unionem verè collatum & realiter communicatum esse, vel solus Cyrillus Alexandrinus, qui in illo ipso Concilio primas tenuit, fidem nobis face-

facere poteſt. Is verò tùm ſuam, tùm ſuorum Collegarum mentem ac ſententiam ſic declarat: lib .3. in Iohannem: cap.37. *CORPVS CHRISTI VIVIFICAT, & ad incorruptionem participatione ſua reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius vitæ Corpus eſt, VIRTVTEM incarnati verbi RETINENS, & PLENVM POTESTATE illius, quo vniverſa & vivunt & ſunt.*

Edit. pariſ. Anni 1573. Tom. 1. pag. 727. & 728.

Et lib. præcedente. 1. cap. 15. *Indecens omninò eſſet, ſi ignis quidem qualitatem ſuam coniunctæ ſibi materiæ poſſet immittere, ac eo modo in ſe materiam tranſmutare: λόγος autem DEI PROPRIVM ſibi NATVRALEQVE BONVM, hoc eſt, VITAM, conconiunctæ ſibi CARNI non poſſet infundere.*

pag. 632.

Et lib. 4. cap. 23. *Quoniam cum vivificante verbo Caro coniuncta eſt, TOTA EFFECTA EST VIVIFICA. Non enim ad corruptibilem ſuam Naturam iunctum DEI verbum detraxit: ſed ad MELIORIS VIRTVTEM elevata eſt. Quamvis igitur Natura Carnis, ut Caro eſt, vivificare nequeat: facit tamen hoc, QVIA TOTAM VERBI OPERATIONEM SVSCEPIT. Corpus enim eſt, non cuiuſvis hominis, cuius caro prodeſſe non poteſt Sed ipſius vitæ Corpus, in quo Deitatis plenitudo Corporaliter inhabitat, facere hoc poteſt.*

pag. 747.

Nam

Nam si mel, cùm naturaliter dulce scit, ea dulcia facit, quibus immiscetur: nonne stultũ erit, vivificam verbi Naturam non dedisse HOMINI, in quo habitat, VIVIFICANDI VIRTUTEM? Et cap. sequente 24. TOTUM CORPUS suum vivificâ Spiritus virtute PLENUM esse ostendit. Spiritum enim hîc (Ioh. 6, 63.) ipsam Carnem nuncupavit: non quia naturam Carnis amiserit, & in Spiritum mutata sit: sed quia summè cum eo coniuncta, TOTAM VIVIFICANDI VIM HAUSIT. Et lib. 9. cap. 30. *CARO illa naturalis vitæ CARO & est, & fuit, TOTAM PROPRIETATEM ILLIUS, QUI HABITAVIT IN ILLA, POSSIDENS: hoc est TOTAM VIVIFICANDI ACTIONEM.* pag. 909.

Et sanè Exemplum huius rei admodum illustre videre est in muliere hæmorrhousâ, quam tactu fimbriæ Christi à sanguinis profluvio liberatam esse, Matthæus refert, cap. 9, 20. Quod quomodo intelligendum sit, iterum ex Cyrillo cognoscere lubet. Sic autem ille lib. 4. in Levit. *Quia intellexit mulier, quæ esset Caro sancta Sanctorũ icc irco accessit & ipsa: Ipsa quidem Carnem sanctam attingere non audet: nondum enim mundata erat: neque quæ perfecta sunt, apprehenderat: sed fimbriam tetigit*

Tom. 1, pag. 86.

tigit vestimenti, quo sancta Caro tegebatur, & fideli tactu VIRTUTEM elicuit ex CARNE, qua se ab immunditia sanctificaret. & plagam, quam patiebatur, sanaret.

Conferat iam gens Sacramentaria Cyrilli doctrinam de præsente quæstione, cum glossulis illis suis Calvinisticis, quibus Carnem Christi, etiam in hypostasi τȢ λόγȢ consideratam, & infinita Spiritus sancti plenitudine inunctam, vivificandi virtute nefariè spoliare: & scripturarum testimonia, eam directè confirmantia, de merito tantùm Christi, sive de acquisitione salutis, interpretari solent. Quanquam (uti supra admonui) ne hoc quidem verè credere deprehenduntur. Indubitatum enim est, quod MERERI vitam æternam universo mundo, non sit Humana aliqua actio, sed verè & solùm divina. Iam verò divinam actionem omnem διαῤῥήδην derogant assumtæ Carni: Quin ergo omnem prorsus vivificandi virtutem eidem Carni Christi, & sic MERITUM quoque & ACQUISITIONEM salutis simul impiè negent; satis manifestè liquet. Quo sanè pacto Caro Christi in perficiendo Redemtionis opere, nihil quicquam sibi vindicabit aliud, quàm meros cruciatus passionis & mortis: ac proindè nullo prorsus respectu dici

pote-

poterit vivifica. Quod ipsum de applicatione acquisitæ salutis per omnia etiam ex doctrina Sacramentariorum sequitur. Etenim quia hæc applicatio fit excitando in hominibus fidem, quâ apprehendant Christi meritum, fit illuminando regenerando, renovando, sanctificando, & in bono conservando illos. Iam verò hæc omnia meræ sunt actiones divinæ: quæ, (ex hypothesi Calviana) in Carnem Christi minimè cadunt: Consequens est, eidem Carni Christi cum hoc applicationis Opere nihil esse commercij.

Unde palàm evadit, Sacramentarios ne quidem ratione meriti, Christi Carni virtutem vivificandi adscribere: sed per detestandam defectionem ad castra Nestorianorum transire: & Christo ipsi in faciem occlamare, affirmanti de sua Carne (in abstracto) quod sit VERE cibus: & de suo sanguine, quod sit VERE potus: cibus nimirum & potus vitæ, nutriens & conservans ad sempiternam vitam ac perpetuam immortalitatem.

Sed isthæc pro refutanda Sadeelis Sophisticatione, hoc loco dicta sufficiant. Reliqua, quæ addi possent, infra cap. 4. Loco decimo quinto pertractabimus.

Argu

Argumentum II.

Nullum compositum constans ex partibus inter se distinctis & diversis, infinitum esse potest:(alioqui totum erit aliquid maius suis partibus simul collectis.)

Natura humana Christi, etiam ipsa in Vnione personali considerata, constat anima & corpore, partibus inter se distinctis & diversis.

Quare Natura humana Christi, etiam in ipsa Vnione Personali considerata, infinita esse non potest, ac propterea non est ubique nec Omnipræsens.

RESPONSIO.

MUltiplex in argumento sophisticatio. Primùm quidé *ἄγνοια ἐλέγχȣ*. Fallitur enim Sadeel turpissimè, somnians Omnipræsentiæ Majestatem non nisi ex Essentiæ infinitate resultare: vel Christum secundum assumtam humanitatem ubique esse haud posse, nisi per Essentiæ suæ infinitatem. Causa erroris est, quòd in mysterio hoc verè ineffabili, sequitur philosophiæ & Rationis humanæ ductum: & sic deceptus, palpat ceu cæcus in meridie. Nos con-

R tra

tra Mysterium hoc non Rationis, sed fidei oculo contemplantes & metientes. Corrigimus errorem, sic statuentes: Illud demum oportere esse infinitum, quod per Essentiæ proprietatem est Omnipræsens. Quo ipso respectu sequeretur etiam absurdum illud, nempè Totum fore majus partibus suis simul collectis. At verò secus est censendum de eo, quod non per Essentiæ proprietatem; sed per Gratiam Unionis cũ λόγῳ, est omnipræsens, quatenus infinitus per Essentiã λόγος à finita, & ratione Essentiæ in æternũ finitâ accrinũscriptâ manente Humanitate, nullibi vel abest, vel distat, vel extra eam esse post incarnationem creditur. Assumta enim est hæc Humanitas extra omnem locum, in illocalem verbi hypostasin: ad quam Loca nulla pertingere possunt. Proindè quòd Finita est assumta Humanitas, hoc habet ex proprietate naturæ: Quod autem hæc ipsa, ratione Essentiæ, finita manens natura, infinito λόγῳ, illocalitur & indistanter adest, illud habet ex Unione hypostaticâ cum λόγῳ, cum quo ἀδιαστάτως & supra omnem loci considerationem est Unitã.

Causa ergò, propter quam Natura hu-

humana finita permanet, neque per Communicatam hanc Omnipræsentiæ suæ Majestatem, ratione Essentiæ infinita redditur; nulla est alia, quàm quòd modus, quo contigit illi hæc Majestas, non est Essentialis modus, qualis inter Deitatis personas existit: Sed Personalis est modus, qui & Naturas relinquit inconfusas, & nihilominus insegregabili atque indistante Unione illas devincit. Ita Omnipræsentia Christi Hominis, non ex infinitate Naturæ vel oritur vel describitur: sed ex inseparabili Naturarum Unione, & illocali sessione assumtæ humanitatis in infinitæ Meiestatis divinæ solio.

Et quemadmodum id, quod ex proprietate Essentiæ, & vi naturali est vivificum, necessariò etiam per Essentiam est infinitum: secus autem, quod non nisi personali consortio in κοινωνίαν vivificæ potentiæ per Unionem conscendit: Sic idem de Omnipræsentiæ Idiomate; hac in quæstione est statuendum.

Deinde occurrit fallacia Aequivocationis in vocabulo Infiniti, quod non semper, uti Sadeel delirat, localem aliquam expansionem, sive immensam aliquam per omnia loca sese miscentem

magnitudinem significat: Sed uti saniores etiam philosophi observarunt, aliam significationem admittit, ab hoc mysterio minimè abhorrentem. Nam uti finitum, sic & infinitum aliquid dicitur vel numero vel magnitudine: l. 3. Phys. cap. 5: vel potentiâ & viribus: lib. 8. Phys. cap. 10. Sic DEVS infinitus esse creditur non magnitudine: quam, cùm Spiritus & incorporeũ quid sit, Ioh. 4, 24. 2. Cor. 3, 17. nullam habet: Sed Essentiæ spiritualitate, potentia & virtute. Sic Christus finitus quidem est & manet magnitudine, sive respectu dimensionum naturalium, quatenus homo: tamen nihilominus etiam, secundum eandem humanitatem, infinitam habet virtutem & potentiam: quoniam ei data est omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 28, 18. Quemadmodum ergò DEVS ubique est, propter dexteram suam; Psal. 139, 10. non propter infinitam molem; Ita quoque CHRISTVS secundum humanam naturam, magnitudine finitus ad infinitam illam dexteram DEI sedens. Ephes. 1, 20. & virtute sua ac potentiâ omnia præsentissimè implens. Ephes. 4, 10. UBIQVE est: Hoc tamen discrimine; quòd DEVS ex se, & ex sua natura, ac primò

habet

habet illam Maiestatem; Christus verò secundum humanam naturam κατ' ἄλλο, & secundum aliud, propter Unionem nimirùm cum λόγῳ ex gratia.

Argumentum III.

Nihil quod continetur, infinitum est.

Humana Natura Christi continetur à Deitate & sustentatur. Item; *Anima Christi in ipsius Christi corpore continetur* (quod utrumque omnes Orthodoxi agnoscunt)

Quare humana natura Christi non est infinita.

Item: *Anima Christi non est infinita, & vi Consequentia, nec Corpus etiam infinitum est.*

Alioquin Humana Christi natura esset ex parte finita, & ex parte infinita. ἀδύνατον.

RESPONSIO.

IDem error, qui in præcedente argumẽto, de Infinitate Corporis Christi initiò recoquitur. Eadem ergo tenenda etiam Responsio. Major enim vera est, de eo,

quod per Essentiam statuitur esse infinitum. Siquidem quod hoc modo est infinitum, illud eodem modo finitum esse nequit. At verò Humana Christi natura ratione Essentiæ est finita. Ergo, secundum eandem suam essentiam infinita sive Ubique esse nequit. Sic enim Contradictoria de uno eodemque subiecto statuerentur: id quod nos ipsi quoque ultrò largimur & concedimus. Quare frustra nos hac argutatione ferire conatur Sadeel: Illud ipsi potiùs probandum est, Humanam naturam, quæ ratione Essentiæ finita est, & manet, non posse alio respectu, nempè ratione Unionis cum λόγῳ esse Ubique. Quod dum non attendit Sadeel, disserit ipse de hoc mysterio, tanquam cæcus de coloribus.

Cæterùm in hac ipsa argumentatione Sadeelis observanda venit phrasis illa: *Humana Christi natura continetur à Deitate & sustentatur.* Aut enim talem fingit sustentationem, qualis Communis est omnibus omninò hominibus: Siquidem in ipso omnes sumus, movemur & vivimus: Aut peculiarem, & singularem planè sustentationem, cujus virtute Omnis plenitudo Divinitatis in assumta Humani-

Humanitate inhabitet Corporaliter; Tertium enim dari nequit. Si prius illud tenuerit, Nestorianam certè impietatem de orco revocat: ut quæ iam olim finxit, λόγον tantùm per assistentiam adesse assumtæ humanitati. quemadmodum reliquis etiam creaturis. Et profectò hanc hæresin fovere Sacramentarios, supra in diexodo capitis primi ad oculum invictè demonstratum fuit. Sin verò posterius hoc concesserit, proprio certè gladio jugulum sibi ipsi petet. Edisserat enim, Quâ in re consistat peculiaris hæc & toto genere, ab universali illa sustentatione differens sustentatio humanæ Naturæ in persona τȣ̃ λόγȣ? sive, quæ nam sit singularis hujus sustentationis differentia specifica? Explicet hoc gens Sacramentaria vel tandem aliquando. Nos scripturarum oraculis edocti hanc statuimus esse differentiam specificam, quòd λόγος assumtæ naturæ humanæ non tantùm adest per assistentiam: neque tantùm actu secundo eam sustentat, ne redigatur in nihilum: Sed verè æternam atque infinitam suam ὑπόστασιν communicat Carni, ita, ut quæ persona ante Incarnationem tantùm unius erat naturæ: post

post eam facta sit ὑπόστασις σύνθετος in naturis duabus subsistens, uti loquitur Damascenus lib. 3. orth. fid. cap. 3. Ex qua ὑποστάσεως τοῦ λόγου Communicatione cum carne assumta, oritur Naturarum, Idiomatũ & Operationum κοινωνία, intimaq; Naturarum περιχώρησις, non verbalis, Grammatica, aut Logica: Sed vera Realis, Hypostatica, Unioni per omnia respondens: cujus virtute fit, ut λόγος non jam secundum solam divinitatem, sed secundum eam etiam naturam, quam in Tempore intra arctissimum gremium suæ ὑποστάσεως assumsit, & sic totus Christus secundum utramque naturam sit ubique, & impleat omnia in cœlo ac in terra. Ephes. 4, 10. Deliberet jam Sadeel, quomodo hanc sustentationem humanæ naturæ in persona λόγου ad suum institutum, nempè ad negandam omnipræsentiam Christi Hominis accommodare vel possit vel debeat: siquidem, uti jã ostensum hoc Argumentũ Sadeelis seipsum evertit: modò sustentatio hæc non Nestoriano more definiatur, per nudam sustentationem, sive gestationem: id quod hæreticissimè statui, Lutherus noster quondam affirmavit, Tom. 2. witeb. pag. 265.

Quo-

Quoad verbum *Contineri*, quo utitur Sadeel, etsi illud minus propriè ad explicandum hoc mysterium pertinere videtur: placet tamen ex illo ipso sic constringere Adversarium. Aut tota ὑπόστασις λόγου continet Humanam naturam: aut aliqua duntaxat eius pars. At verò posterius hoc falsum, impium, hæreticum: Siquidem ὑπόστασις τοῦ λόγου partem extra partem prorsus nullam habet. Verum igitur erit prius illud, nempè, quod tota ὑπόστασις λόγου contineat assumtam humanam naturam. Si hoc: Consequens erit, quia Unio facta est ἀδιαστάτως, καὶ ἀχωρίστως: & Humana natura nunquam sive ratione loci, sive ullo alio respectu dimoveri potest, ex eo termino, in quem semel est assumta: Consequens inquam erit, quòd humana hæc natura, tanquam contentum (si modò sic loqui liceat de tanto mysterio) cum continente tota ὑποστάσει τοῦ λόγου semper sit præsentissimè, ubi est ipsa ὑπόστασις λόγου, nempè ubique. Quod nisi concedatur, consequens erit, ὑπόστασιν τοῦ λόγου & quidem totam, vno aliquo in loco continere humanam naturam; in reliquis verò locis omnibus eandem ὑ-

πόστασιν τȢ λόγȢ, itidem totam, non secum continere assumtam humanitatem: id quod absurdum & blasphemum. Sic enim simplicissima λόγȢ ὑποστάσεως blaspheme in partes dirimitur: imò vniversũ Unionis mysteriũ enervatur & tollitur.

Quod ipsum agnoscens etiam Orthodoxa Antiquitas, sic stylum inflectere voluit, ut assereret, λόγον citra sui coarctationem, aut amissionem infinitatis suæ, totum haberi & possideri à Christo homine, nõ quasi divinitas cõcludatur, ut in vase: sed per περιχώρησιν, & inseparabilem perpetuamq; τȢ λόγȢ, & quidem totius in assumta natura humana immanẽtiam. Hinc Irenæus affirmat lib. 3. contra hæreses, cap. 18. Hominem χωρῆσαι Capere sive comprehendere τὸν λόγον. Et Origenes l. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. Animam Christi totum λόγον RECIPERE. Epiphanius in Ancorato non dubitat Christum appellare τὸ δοχεῖον Receptaculum τῆς σοφίας καὶ θεότητος sapientiæ & Deitatis. Iam verò si Humana natura per Unionem facta est receptaculum, δοχεῖον, vel ut Athanasius loquitur, περιβολὴ amiculum Divinitatis: ita ut totam ὑπόστασιν

τȢ

τῦ λόγυ capiat. Quæritur, quomodo post factam hanc arctissimam Unionem ὑπο-στάσεως τῦ λόγυ sine dissolutione huius Unionis ullibi esse queat, ubi non simul sit assumta Humanitas?

Argumentum IIII.

Si Corpus Christi est Vbique: Ergo non est verè humanum Corpus: ac propterea Christus nō est verus homo, atque ita nobis perijt summa illa Cōsolatio, qua salutis nostræ sūma continetur: nos esse ex Carne eius, & ex ossibus eius.

RESPONSIO.

CRocodili hæ sunt lachrimæ. Nam utrum per nostram, an verò Adversarij doctrinam, omnis Consolatio, quæ ex Maiestate Christi secundum Carnem nostram ad dexteram DEI exaltatam, peti & potest & debet, in amarissimum absynthium commutetur, mox patebit. Illud iam evolvendum: Num ideò Corpus Christi non sit verè humanum Corpus: si Ubique esse statuatur. Vel: Num ideò Christus secundum Humanam Naturam non amplius sit de Carne nostra, & os ex ossibus nostris

si ubi-

ſi ubique, eſſe credatur. Neutrum verò ſequitur: & occultat Sadeel geminam fallaciam. Prior eſt Principij petitio, reſultans ex ignoratione veri Elenchi. Statuit ipſe quidem, & fortiter præſumit in ſuo capite, Corpus Chriſti non poſſe eſſe Ubique, niſi per Eſſentiæ infinitatem, quæ neceſſariò infert abolitionem veri & naturalis Corporis: circa quod etiam Cerebri ſui figmentum, perpetuò aberrat: non attendens quid divinæ Maieſtatis Chriſto ſecundum humanam naturam ex Unione Perſonali obtigerit: quæ ipſa tamen Maieſtas divina, veritatem Corporis minimè tollit, ſed extollit: minimè interficit ſed perficit: uti Patres loquuntur: & nos hactenus aliquoties oſtendimus. Undè mox poſterior fallacia emergit, quæ eſt ſecundum plures interrogationes. Alia enim quæſtio eſt, aliud quoque iudicium de humana natura, in ſe, & ex naturæ ſuæ proprietatibus conſiderata: Ubi finitatem & Circumſcriptionem Corporis Chriſti intra proprios ſuæ naturæ fines, ſcimus & largimur eſſe συςατικὸν ἰδίωμα, & ſic de ipſa Eſſentia veri Corporis humani. Alia verò quæſtio, aliud etiam iudicium, quando idem Corpus conſideratur, quatenus in ipſam

ipſam illocalem atque infinitam ὑπόστασιν τοῦ λόγου aſſumtum & evectum in ſolium omnipræſentis dexteræ DEI, præſentiſſimè dominatur in medio inimicorum, à mari uſque ad mare, & ad fines uſque orbis: Pſal. 72, 8. & 110, 2. Quas duas quæſtiones dùm nō diſtinctè conſiderat Sadeel, imò poſteriorē hanc miris potius modis exagitat, & impiè negat: mirum nemini videri debet, ſi eiuſmodi puerilibus Sophiſticationibus ludat, & tanquam ebrius cæſpitet in meridie.

Inſtantia Sadeelis.

Itemque ſequitur, Chriſtum non eſſe Mediatorem inter DEVM & homines: quippè cùm Mediatorem verum DEVM & verum Hominem eſſe oporteat.

RESPONSIO.

EX præconcepto cerebri Sadeeliani Idolo, non ex noſtra doctrina hoc ſequitur. Quo enim pacto & veritas humanæ naturæ in Chriſto, & ſimul eiuſdem naturæ divina Maieſtas, ſive Omnipræſentia ſimul ſtare queant: ſupra in diexodo illuſtris illius loci Apoſtolici, 1. Tim. 2, 5. *Vnus eſt DEVS, vnus Mediator*

DEI

DEI & hominum, Homo Iesus Christus; sufficienter fuit demonstratum. Vide Locum III. Classis primæ: pag. 133.

Sed lubet paulò altius cognoscere, quidnam Consolationis, ex doctrina Sacramentariorum nobis sit relictum. Exclamat hoc loco Sadeel, & nescio quos montes suspiriorum fingit, conquerens perire nobis summam Consolationem, ex eo, quod statuamus Christum secundum humanam naturam esse Omnipræsentem: siquidem sic Christus non sit amplius Mediator quà Homo. Summā profectò consolationem miseris nobis in eo esse relictam, quòd credimus Christū esse Mediatorem, etiam secundum assumtam humanitatem: nos ipsi agnoscimus, credimus, & docemus. Sed quid si gens Sacramentaria hoc ipsum, quantumvis etiam de eo splendidè disserat, omninò neget & suis disputationibus funditus evertat & destruat? Certè Christum esse Mediatoré nostrum secundum assumtam humanam naturam, nullus Sacramentariorum in Corde suo credere potest, quamdiu doctrinā de Maiestate Filij Hominis hostiliter impugnat. Mediationis officij propria sunt requisita; Redimere genus humanū, conterere caput serpentis, expiare peccata totius

eius mundi, comparare iustitiam æter-„ nam, vivificare, regere universam Eccle-„ siam, pascere illam, protegere adversus „ portas inferorum, & in æternum salvare. „ Quæ sanè opera omnia, non humanæ, sed verè divinæ ἐνεργείας esse, & proindè infinitam ac DEI propriam virtutem & potentiam necessariò præsupponere, quis tàm bardus, qui negare ausit? Iam verò Sacramentarij ad unũ omnes, uno ore, stylo, studio in id strenuè incumbunt, ut humanam Christi naturam hac ipsa divina Maiestate, virtute & potẽtia spoliẽt & evacuẽt & nulla maiora dona ipsi relinquãt quã quæ (Sadeelis utor verbis) Essentia ipsius ferre queat. Ergo Mediationis illa officia, quippe verè divinã ac infinitã virtutẽ & potentiam præsupponentia, Humanitati Christi non possunt (ex sententia Sacramentariorũ) tribui: ac per consequens neque Mediationis officium eidem assignari: En tibi ergo egregiam Consolationem ex doctrina Sacramentariorum resultantem, ut quæ Christum Immanuelem tuum, secundum eam naturam, secũdum quam frater tuus est, Mediatorem esse modis omnibus negat. Contra verò nostra doctrina, quæ vere credit Christũ secundũ utramque naturam, ratione tum meriti tùm efficaciæ, Mediationis officium

expe-

expedijsse: & quotidiè tùm in verbo tùm in sacramentis CARNEM Christi esse vivificam: SANGUINEM Christi nos purgare ab omni peccato, & ab operibus mortuis; CORPVS CARNIS eius nos recóciliare DEO patri, & quæ huius generis alia divina sunt ἀποτελέσματα; efficaciter operari: verum ac vivum parit solatium in animis nostris, ut possis iam cum fiducia accedere ad fratrem tuum Immanuelem, & tutò acquiescere in sanctissimo ipsius merito, non secundum solam divinam, sed & secundum assumtam humanam naturam, & quidem respectu divinarum illarum Mediationis ἐνεργειῶν, plenissimè & efficacissimè præstito ac expedito.

Porrò summa Consolatio in eo est posita, quòd fratrem meum, imò Carnem meam sedentem ad dextram infinitæ virtutis ac Maiestatis divinæ, in omnibus necessitatibus invocare & possum & debeo: certissimè statuens, ipsum & scire omnes afflictiones meas, & mihi adesse præsentissimũ, & tandem posse etiã ex iisdem me potenter eripere. At verò hæc Cósolatio apud Sacramétarios planè friget. Christum enim secundum assum-

tam

tam carnem invocare non debes: 1. quia, (uti Daneus blaſphemè ſatis ſcriptitare auſus fuit) eſt etiamnum Conſervus noſter: ac proindè ex ore DEI es maledictus, ſi fiduciã poſueris in homine. 2. quia neſcit, quid tecum agatur: Neque enim eſt Omniſcius: At verò Omniſcium eſſe oportet, quem invocare poſſis ac debeas. 3. Quia juvare non poteſt. Non enim eſt Omnipotens ſecundum carnem. Iam verò eum, qui ex omnibus malis, & ſic etiam ex poteſtate Satanæ eripere nos queat, Omnipotentem eſſe oportet. 4. Quia non tecum eſt in tribulatione. Continetur enim ſecundum carnem certo quopiam Cœli loco. At verò Omnipræſentem eſſe convenit, quem cum fiducia invocare poſſis, & qui juvare te valeat: ſecundum illud pſalmi, 91, 15. Clamavit ad me, & exaudiam eum: Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. En tibi rurſus egregios conſolationum fontes, quos doctrina Calviniſtica de perſona Chriſti tibi aperit. Deſperationis profectò, non verò conſolationis materiam rectiùs & promtiùs inde peti poſſe, quis pius non videat?

Unum adhuc ad retundendam malitioſam hanc Sacramentariæ

gentis Hypocrisin, adjicere placet. Quando inter nos & illos disputatur de hac phrasi, *Filius DEI est passus*: ibi nos quidem totam personam, & sic ipsum Filium DEI in carne sua passum esse credimus. At verò Gens Sacramentaria planè veteratoriè phrasin hanc sic explicat: Filius DEI est passus pro nobis, hoc est, Natura humana, quæ Filio DEI personaliter est unita, passa est pro nobis; & ea quidem sic sola, ut cum passione illa & morte humanæ suæ naturæ, Filius DEI nihil prorsus habuerit commercij, Unde Zuinglius etiam eò impietatis progressus fuit, ut omnium fœdissimam esse hæresin assereret, si quis Filium DEI pro nobis esse mortuum credat. Unde quid consolationis, Desperationis veriùs, emergat, scitè admodum notavit B. Lutherus noster, in confessione maiore, sic scribens: *Ἀλλοίωσις isthæc Zuinglij talem tandem Christum efficit, à quo ego Christianus appellari nolim, nempè: ut Christus deinceps non aliud sit aut agat sua paßione vitaq; omni, quàm quivis ex sanctorum grege, Enimverò si Christi humanam tantùm naturam pro me paßam fuisse credo, leviculus Salvator Christus mihi fuerit, sed ipse potiùs salvatore opus habeat. Imò dici non*

potest,

potest, quid mali Diabolus sub istâ larvâ quærat. Stante enim ἀλλοιώσει Cinglianâ, persona Christi solvatur, & in duas personas redigatur necesse est. Enimverò si passiones atque opera Christi segregentur, ut naturis seorsim tribuantur, mox Vnitas personæ tollitur. Operationes enim & passiones non sunt naturarum, sed personæ tantùm propriæ.

Isto igitur Zuinglij dogmate omnis omnium Christianorum fides & salus è medio tollitur. Qui enim à sola humanitate redemtus est, nondum sanè redemtus est, neque unquàm redemetur.

Sed hæc sufficiant, quæ paulò uberius pertractare visum fuit, ut sic insidiosa gentis Sacramentariæ hypocrisis clariùs pateret.

Instantia II.

Argumenti quarti.

NEQVE *ad rem facit, quòd nonnulli Vbiqnitatis patroni ex fontibus Pontificijs hauserunt, Localitatem & præsentiam non esse de Corporis*

essentia. Loquimur enim de Corpore, quod est τόδέτι actu existens & materia constans: ac propterea sine quantitate, sine dimensionibus, sine localitate & sine præsentia esse non potest, nisi omnia NATVRAE fundamenta convellantur.

RESPONSIO.

INitiò obtestor Lectorem Veritatis & pietatis studiosum, ut probè attendat, ex quo scientiarum genere argumentum istud sit petitum: nempè ex doctrinâ physicâ: fatente ipso Sadeele, *Omnia NATVRAE fundamenta per doctrinam de Majestate Filij Hominis convelli.* O verò stolidũ caput (ne quid gravius dicam) Siccinè ergò Mysterium de Unione personali duarum naturarum in Christo, quod Apostolus *ὁμολογουμένως μέγα* appellavit: quod patres *μονότροπον, ἐξαίρετον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν*, indigitarunt &c: ad NATVRÆ Regulas & fundamenta exigendum examinandumque erit. O miseram Theologiam, imò ô miseros & veré excæcatos homines, quibus in re tàm sacra tamque ardua, ita Sophisticè ludere, volupe est. Proindè unico axiomate uni-

universa hæc machina de Localitate everti potest: ὀ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος.

Sed libet etiam paulisper cum Sadeele de loco, & dimensionibus Corporis naturalis, philosophari; Verùm magis tùm sobriè, quoad ipsam doctrinam physicam; tùm piè, quoad Theologiam nostram.

Sic ergò initiò arguit Sadeel. *Omne Corpus, quod est τὸ δέ τι actu existens, est in loco.*

Respondeo: Initiò Terminus iste τὸ δέ τι sensu Aristotelico acceptus minus ad præsentem quæstionem de Corpore Christi pertinet. Nam etsi Aristoteles triplex constituit τὸ δέ τι, quorum Unum est φαινόμενον, ut Materia: Alterum εἰς ὅ, sive ἕξις Materiæ, nempè μορφή: Tertium denique est compositum ex utriusque respectu accidentium absolutè τὸ δέ τι lib. λ. μεταφυς: nullus tamen istorum respectuum ad corpus Christi exactè accommodari potest. Etsi enim verum & naturale est corpus non tamen peculiare constituit ὑφιστάμενον, sive propriam ὑπόστασιν, pro ut corpora τόδετι

actu exiſtentia conſtituere ſolent. Et profectò ſuſpecta videri debet hæc propoſitio, corpus Chriſti τόδε τι actu exiſtit: quæ nihil aliud videtur ſonare, quàm quod corpus Chriſti in ſuis Idiomatis ſubſiſtat. Quæ ſanè phraſis Neſtorianiſmum ſapit, ac ſi Humana natura ſeipſa ſubſiſtat propriamque perſonalitatem habeat.

Verùm iſthæc non urgeamus, ſed largiamur, Sadeelem per corpus τόδε τι actu exiſtens nihil hoc loco intelligere aliud, quàm verum corpus humanum. Status ergò Controverſiæ jam emergit iſte, Utrum de Eſſentia veri humani corporis ſit in loco eſſe, ſive Locale eſſe. Sadeel affirmat fundamentis nixus phyſicis: Nos negamus iiſdem freti principiis phyſicis.

Ariſtoteles enim lib. 1. de Cœlo, cap. 1. Corporis Eſſentiam & definitionem conſtituit, Magnitudinem eſſe longam, latam & profundam. Ac verò in loco eſſe, corporis abſolutè eſſentiam ac proprietatem eſſe, nemo ſaniorum philoſophorum unquàm ſtatuit. Nam ſecundum doctrinam phyſicam, in loco eſſe

esse, proprium est Corporis αἰσθητοῦ sensilis, & κινητοῦ mobilis: lib. 4. phys. cap. 1, & 5. hoc est, ut lib. β. Metaphys. cap. 4. philosophus explicat, corporis φθαρτοῦ caduci: quod D. Apostolus 1. Cor. 15. 44. vocat ψυχικὸν animale: Quale cùm Glorificatum Christi corpus non sit (phy- cum enim esse sive φθαρτὸν corpus, & Glorificatum esse corpus opponuntur) relinquitur corpus quidem illud secundum essentiam manere verum & perfectum, licet certo loco non includatur; ac proindè in loco esse, sive certo quopiam loco forinsecùs ambiente circumscribi, non esse, de proprietate Essentiæ corporis humani.

Cæterùm si περὶ τῆς δυνάμεως sit quæstio: Utrum nimirùm corpus Christi glorificatum possit esse & apparere in certo quopiam loco: ibi affirmatè respondemus. Verùm indè ad actum ipsum Sophistica instituitur collectio, quâ inferunt, Omne Corpus necessariò esse in loco actu, neque posse actu esse extra locum, sive illocale. Quod ipsum nonnulli ex Sacramentariis etiam agnoverunt: ut Pezelius, scribens, propositionem, *Omne Corpus est in loco, si de spacio*

ambiente Corpus intelligatur, veram esse, SERVATA DISTINCTIONE POTENTIAE ET ACTVS.

Noverunt enim, etiam ſecundum philoſophorum doctrinam, Corpora dari poſſe vera & naturalia, quæ tamen actu non ſunt in loco: quemadmodum ſanè Ariſtoteles, τὸ πᾶν ſive Univerſum, quod certè corpus eſt, in loco eſſe, diſertè negat.

Cæterùm quod corpora noſtra hac in vita in certo ſemper loco conſpici & verſari neceſſum habent, illud non ad Eſſentiales proprietates, ſed ad accidentales, ſive παρεπόμενα τῇ φύσει ἰδιώματα referri debet. Nam ipſo rurſus philoſopho atteſtante, lib. 2. de cœlo cap. 1. θνητὴ δυσχέρεια mortalis imbecillitas noſtra corpora Locali huic indigentiæ & infirmitati ſubjicit. Quæ corruptibilitas ſive mortalis imbecillitas, cùm aliquando in Corporibus noſtris ſit abolenda: abolebitur utique illa ipſa etiam indigentia, ob quam corpora noſtra iam in loco actu ſemper eſſe coguntur. 1. cor. 15, 42 & ſeqq.

Ex his quæ jam dicta ſunt, patet rectiſſimè diſtingui à noſtris proprietates corporum naturaliũ: Quòd nimirùm aliæ ſimpliciter ad τὸ εἶναι ad ipſam Eſſentiam

ſubiecti pertineant: quales ſunt: Conſtare Carne & ſanguine, oſſibus, animâ intelligente: item naturæ ſuæ terminis circumſcribi ſive finitum eſſe: Quas proprietates Homini qui adimit, eiuſdem mox naturam & Eſſentiam penitùs evertit. Aliæ verò ſint Accidentales, ſive ἰδιώματα παρεπόμενα τῇ Φύσει: qualia ſunt: Grave eſſe, deorſum naturâ ferri, certo loco ſemper actu circumſcribi, eſſe in tempore, ex certo intervallo poſſe conſpici, eſurire, ſitire, moveri loco, angi animo, mortalem denique eſſe, &c. Quémadmodum igitur nemo negat, Chriſtum verum retinere Corpus, licet neque eſuriat, neque ſitiat: ſic pari ratione verum retinebit Corpus, licet loco forinſecùs ambiente minimè claudatur aut contineatur.

Neque verò diſtinctio iſthæc proprietatum Eſſentialium & Accidentalium ex fontibus Pontificijs eſt hauſta, uti Sadeel nugatur: ſed ex ſanctiſſimis monumentis D. Pauli petita, qui, cùm Unum idemq; numero & Eſſentiâ Corpus in noviſſimo die reſuſcitandum eſſe affirmet: non tamen dubitat Corpus ψυχικὸν ſive Naturale à πνευματικῷ Spirituali di-

Digitized by Google

li distinguere: quod illud quidem Corruptioni obnoxium seminetur in corruptione, in ignominia, in infirmitate: hoc autem resurrecturum sit in honore, gloria & potentia. Ubi profectò Accidentales illas proprietates, ad mortalem imbecillitatem Corporis ψυχικοῦ: non verò ad ipsam Essentiam eiusdemq; proprietates οὐσιώδεις referri, manifestum est: Siquidem tollentur & abolebuntur illæ: salvà interim & sarta manente ipsa Corporis Essentiâ, eiusdemq; proprietatibus Essentialibus: si modò spes Resurrectionis Corporum nostrorum firma esse debeat.

Sed porrò instat Sadeel. *Corpus Christi* τὸ δὲ τι *existens, materiâ Constat. Ergo sine Quantitate & sine dimensionibus esse non potest.*

RESPONSIO.

QUis verò unquàm ex nostris negavit, Corpus Christi constare certâ quantitate, & certis suis dimensionibus. Iam modò enim concessum est, Corporis veri Essentiam & definitionem in eo consistere, quòd sit magnitudo longa, lata, profunda. Cæterùm quòd

quòd statim inferunt Sacramentarij: Si Corpus Christi certis suis constat dimensionibus, certaq; sua quantitate: Ergo loco contineatur necessum est: illud iam modò refutatum est. Siquidem dimensionum & Localitatis non similis est ratio. Dimensionum enim proportio ipsam Essentiam Corporis constituit: Localitas verò ad Accidentalem duntaxat infirmitatem Corporum hac in vita adhuc degentium, referri debet, uti iam modò invictis rationibus fuit demonstratum. Proindè à dimensionibus Corporis: ad Localitatem Corporis, quæ quidem ipso actu definiatur, nimis ἀπαιδεύτως καὶ ἀλόγως argumentantur Sacramentarij.

Deinde Dimensiones Corporis non definiunt ipsam præsentiam, vtrum videlicet Corpus vel adesse, vel non adesse posit: sed tantùm definiunt Essentiam: Quid nimirùm sit Corpus verum: Præsentia verò ipsa, ut & modus præsentiæ aliundè est petendus. Et insignis est ἀῤῥωστία τῆς διανοίας: ex veritate dimensionū, velle extruere ipsam quoque Localitatē, actu definitam: haud secus ac si dimēsiones & Locus talē ad se mutuò haberent respectum, qualis est inter Relatū & Corre-

Correlatum. Abſurdum hoc eſt in Phyſicis. Nam dimenſionum reſpectu nullum Corpus dicitur Locatum, ſive Locale: ſed qnantum. Locatum verò ſive Locale denominatur à Loco. Iam ſi Corpus aliquod, ratione dimenſionum vèrè quantum exiſtens, non in loco aliquo ſubſiſtat, ſed extra locum omnem ſuum τὸ εἶναι habeat: manifeſtum eſt, manere illud ipſum Corpus ratione Eſſentiæ Quantum; licet non ſit Locatum, ſive Loco actu contineatur. Si Corpus Chriſti in ipſa etiam Unione ſuas retinet naturales dimenſiones, reſpectu quarum illud Quantum eſt ac dicitur: At verò quia hoc ipſum Corpus Chriſti non in loco aliquo, ſed in illocali λόγῳ ſubſiſtit; (neque enim in locum, ſed in ὑπόστασιν τοῦ λόγου illocalem eſt aſſumtum) fit, ut quãtumvis ſuâ naturâ ſit Quantum; non tamen ſit Locatum, ſive Loco aliquo contineatur.

Hinc iam cõſtat, ſi quæratur An Chriſtus corpore ſuo cum quantitate, ſive ſine quantitate ſit Omnipræſens, rectiſſimè reſponderi poſſe: Quemadmodũ Humanitas ſive Corpus Chriſti non ſine quantitate ſua ſubſiſtit in ὑποστάσει τοῦ λόγου: etiam

etiamsi secundum istum naturalem quantitatis modum non sit in illa ὑπόστασει τȢ λόγȢ: Ita idem Corpus Christi non sine quantitate sua est Ubique: licet non secundum naturalem hunc quantitatis modum sit Omnipræsens: sed alio transnaturali & transcœlesti modo, qui ex Unione personali oritur: quem omnia Physicorum principia & pronunciata transcendere, & esse mysterium à seculis in DEO absconditum ex divinis literis novimus, & piè credimus.

Et peramanter rogatum volo pium lectorem, ut probè consideret, quonam tandem sint eruptura Calvinianorum argumenta: nempè, ut ipsam Unionem personalem duarum naturarum in Christo penitùs enervent, evacuent, tollant. Si enim ideò Corpus Christi non potest esse Omnipræsens, quia est certa quantitate, certisq; dimensionibus præditum: certè eandem etiam ob causam idem Corpus non erit Unitum Filio DEI: siquidem illud certâ quantitate præditum, non potest esse capax illius, quod omnis quantitatis est expers.

Tandem quid opus est, hac in disputatione de Omnipræsentia Corporis Christi recurrere ad considerationem natu-

naturalem Corporis Christi, & in physicis illis speculationibus de dimensionibus deq; localitate, præsidium quærere. Si enim argumentis, ex Articulis Unionis & sessionis ad dextram DEI obtineamus; uti certè suprà cap. primo, adversus portas inferorum obtinuimus, Corpus Christi RESPECTU PERSONALI esse extra omnem locum forinsecùs ambientem: tùm dicta & victa causa est, & obtenta victoria, quicquid vel Sadeel vel asseclæ de dimensionibus (quas *RATIONE HUMANAE NATURAE* Christum etiam in statu gloriæ, sartas tectas retinere credimus) deq; Localitate garriant. Hinc enim invictè patet. Omnia Loca quocunque veniant nomine, sive in hoc, sive in futuro seculo, ita esse Christo, in hypostasi τοῦ λόγου subsistenti, & ad dexteram DEI patris evecto, subiecta, ut illius Omnipræsentiam nullo penitùs modo interturbare aut intervertere queant.

Argumentum V.

Si propter Unionem Hypostaticam Corpus Christi est ubique: Ergo ipsum Corpus in utero virginis concipi non potuit. Quod est falsissi-

ſiſſimum. Conſequentia patet ex rei naturâ & ex ſignificatione ipſius Vocabuli. Sic enim apud Lucam Angelus, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, inquit Mariæ, &c.

RESPONSIO.

ERror oritur ex confuſione Perſonalis ſubſiſtentiæ Corporis Chriſti, cum naturali eiuſdem conditione: ac proindè committitur Sophiſma ſecundum plures interrogationes. Connexum enim totius argumenti agit de præſentiâ Corporis Chriſti Naturali: Unde poſtmodum vitioſiſſima infertur Concluſio ad ſubſiſtentiam ſive præſentiam eiuſdem Corporis Chriſti perſonalem. Prior illa, Naturalis nempè Conditio, Localem Corporis Chriſti infert præſentiam: Poſterior verò hæc, perſonalis ſubſiſtentia, infert illocalem immanentiam ſive ſubſiſtentiam in λόγῳ, Qui duo tamen reſpectus ſeſe mutuò non tollunt. Neque enim Localis præſentia tollit illocalem ὕπαρξιν Carnis in λόγῳ. Neque illocalis hæc ſubſiſtentia obſtat, quô minùs Chriſtus Corpus ſuum, uti cæteris huius mundi conditionibus, ſic Localitati etiam ſubmittere in

ſtatu

actu existentia constituere solent. Et profectò suspecta videri debet hæc propositio, corpus Christi τόδε τι actu existit: quæ nihil aliud videtur sonare, quàm quod corpus Christi in suis Idiomatis subsistat. Quæ sanè phrasis Nestorianismum sapit, ac si Humana natura seipsa subsistat propriamque personalitatem habeat.

Verùm isthæc non urgeamus, sed largiamur, Sadeelem per corpus τόδε τι actu existens nihil hoc loco intelligere aliud, quàm verum corpus humanum. Status ergò controversiæ jam emergit iste, Utrum de Essentia veri humani corporis sit in loco esse, sive Locale esse. Sadeel affirmat fundamentis nixus physicis: Nos negamus iisdem freti principiis physicis.

Aristoteles enim lib. 1. de Cœlo, cap. 1, Corporis Essentiam & definitionem constituit, Magnitudinem esse longam, latam & profundam. Ac verò in loco esse, corporis absolutè essentiam ac proprietatem esse, nemo saniorum philosophorum unquàm statuit. Nam secundum doctrinam physicam, in loco esse

esse, proprium est corporis αἰσθητοῦ sensilis, & κινητοῦ mobilis: lib. 4. phys. cap. 1, & 5. hoc est, ut lib. β. Metaphys. cap. 4. philosophus explicat, corporis φθαρτοῦ caduci: quod D. Apostolus 1. Cor. 15. 44. vocat ψυχικὸν animale: Quale cùm Glorificatum Christi corpus non sit (phycum enim esse sive φθαρτὸν corpus, & Glorificatum esse corpus opponuntur) relinquitur corpus quidem illud secundum essentiam manere verum & perfectum, licet certo loco non includatur; ac proindè in loco esse, sive certo quopiam loco forinsecùs ambiente circumscribi, non esse, de proprietate Essentiæ corporis humani.

Cæterùm si περὶ τῆς δυνάμεως sit quæstio: Utrum nimirùm corpus Christi glorificatum possit esse & apparere in certo quopiam loco: ibi affirmatè respondemus. Verùm indè ad actum ipsum Sophistica instituitur collectio, quâ inferunt, Omne Corpus necessariò esse in loco actu, neque posse actu esse extra locum, sive illocale. Quod ipsum nonnulli ex Sacramentariis etiam agnoverunt: ut Pezelius, scribens, propositionem, *Omne Corpus est in loco, si de spacio*

ambiente Corpus intelligatur, veram esse, SERVATA DISTINCTIONE POTENTIAE ET ACTUS.

Noverunt enim, etiam secundum philosophorum doctrinam, Corpora dari posse vera & naturalia, quæ tamen actu non sunt in loco: quemadmodum sanè Aristoteles, *τὸ πᾶν* sive Universum, quod certè corpus est, in loco esse, disertè negat.

Cæterùm quod corpora nostra hac in vita in certo semper loco conspici & versari necessum habent, illud non ad Essentiales proprietates, sed ad accidentales, sive *παρεπόμενα τῇ φύσει ἰδιώματα* referri debet. Nam ipso rursus philosopho attestante, lib. 2. de cœlo cap. 1. *θνητὴ δυσχέρεια* mortalis imbecillitas nostra corpora Locali huic indigentiæ & infirmitati subjicit Quæ corruptibilitas sive mortalis imbecillitas, cùm aliquando in Corporibus nostris sit abolenda: abolebitur utique illa ipsa etiam indigentia, ob quam corpora nostra iam in loco actu semper esse coguntur. 1. cor. 15, 42 & seqq.

Ex his quæ jam dicta sunt, patet rectissimè distingui à nostris proprietates corporum naturaliū: Quòd nimirùm aliæ simpliciter ad *τὸ εἶναι* ad ipsam Essentiam

subie-

ſubiecti pertineant: quales ſunt: Conſtare Carne & ſanguine, oſſibus, animâ intelligente: item naturæ ſuæ terminis circumſcribi ſive finitum eſſe: Quas proprietates Homini qui adimit, eiuſdem mox naturam & Eſſentiam penitùs evertit. Aliæ verò ſint Accidentales, ſive *ἰδιώματα παρεπόμενα τῇ φύσει*: qualia ſunt: Grave eſſe, deorſum naturâ ferri, certo loco ſemper actu circumſcribi, eſſe in tempore, ex certo intervallo poſſe conſpici, eſurire, ſitire, moveri loco, angi animo, mortalem denique eſſe, &c. Quéadmodum igitur nemo negat, Chriſtum verum retinere Corpus, licet neque eſuriat, neque ſitiat: ſic pari ratione verum retinebit Corpus, licet loco forinſecùs ambiente minimè claudatur aut contineatur.

Neque verò diſtinctio iſthæc proprietatum Eſſentialium & Accidentalium ex fontibus Pontificijs eſt hauſta, uti Sadeel nugatur: ſed ex ſanctiſſimis monumentis D. Pauli petita, qui, cùm Unum idemq; numero & Eſſentiâ Corpus in noviſſimo die reſuſcitandum eſſe affirmet: non tamen dubitat Corpus *ψυχικὸν* ſive Naturale à *πνευματικῷ* Spiritua-

 li di-

li distinguere: quod illud quidem Corruptioni obnoxium seminetur in corruptione, in ignominia, in infirmitate: hoc autem resurrecturum sit in honore, gloria & potentia. Ubi profectò Accidentales illas proprietates, ad mortalem imbecillitatem Corporis ψυχικȣ̃: non verò ad ipsam Essentiam eiusdemq; proprietates συςατικὰς referri, manifestum est: Siquidem tollentur & abolebuntur illæ: salvâ interim & sarta manente ipsa Corporis Essentiâ, eiusdemq; proprietatibus Essentialibus: si modò spes Resurrectionis Corporum nostrorum firma esse debeat.

Sed porrò instat Sadeel. *Corpus Christi τόδε τι existens, materiâ Constat. Ergo sine Quantitate & sine dimensionibus esse non potest.*

RESPONSIO.

QUis verò unquàm ex nostris negavit, Corpus Christi constare certâ quantitate, & certis suis dimensionibus. Iam modò enim concessum est, Corporis veri Essentiam & definitionem in eo consistere, quòd sit magnitudo longa, lata, profunda. Cæterùm quòd

quòd statim inferunt Sacramentarij: Si Corpus Christi certis suis constat dimensionibus, certaq; sua quantitate: Ergo loco contineatur necessum est: illud iam modò refutatum est. Siquidem dimensionum & Localitatis non similis est ratio. Dimensionum enim proportio ipsam Essentiam Corporis constituit: Localitas verò ad Accidentalem duntaxat infirmitatem Corporum hac in vita adhuc degentium, referri debet, uti iam modò inuictis rationibus fuit demonstratum. Proindè à dimensionibus Corporis: ad Localitatem Corporis, quæ quidem ipso actu definiatur, nimis ἀπαιδεύτως καὶ ἀλόγως argumentantur Sacramentarij.

Deinde Dimensiones Corporis non definiunt ipsam præsentiam, vtrum videlicet Corpus vel adesse, vel non adesse posſit: sed tantùm definiunt Essentiam: Quid nimirùm sit Corpus verum: Præsentia verò ipsa, ut & modus præsentiæ aliundè est petendus. Et insignis est ἀῤῥωστία τῆς διανοίας: ex veritate dimensionũ, velle extruere ipsam quoque Localitatẽ, actu definitam: haud secus ac si dimẽsiones & Locus talẽ ad se mutuò haberent respectum, qualis est inter Relatũ & Corre-

Correlatum. Abſurdum hoc eſt in Phyſicis. Nam dimenſionum reſpectu nullum Corpus dicitur Locatum, ſive Locale: ſed qnantum. Locatum verò ſive Locale denominatur à Loco. Iam ſi Corpus aliquod, ratione dimenſionum vèrè quantum exiſtens, non in loco aliquo ſubſiſtat, ſed extra locum omnem ſuum τὸ εἶναι habeat: manifeſtum eſt, manere illud ipſum Corpus ratione Eſſentiæ Quantum; licet non ſit Locatum, ſive Loco actu contineatur. Si Corpus Chriſti in ipſa etiam Unione ſuas retinet naturales dimenſiones, reſpectu quarum illud Quantum eſt ac dicitur: At verò quia hoc ipſum Corpus Chriſti non in loco aliquo, ſed in illocali λόγῳ ſubſiſtit: (neque enim in locum, ſed in ὑπόστασιν τοῦ λόγου illocalem eſt aſſumtum) fit, ut quãtumvis ſuâ naturâ ſit Quantum; non tamen ſit Locatum, ſive Loco aliquo contineatur.

Hinc iam cõſtat, ſi quæratur An Chriſtus corpore ſuo cum quantitate, ſive ſine quantitate ſit Omnipræſens, rectiſſimè reſponderi poſſe: Quemadmodũ Humanitas ſive Corpus Chriſti non ſine quantitate ſua ſubſiſtit in ὑποστάσει τοῦ λόγου: etiam

etiamsi secundum istum naturalem quantitatis modum non sit in illa ὑποστάσει τοῦ λόγου: Ita idem Corpus Christi non sine quantitate sua est Ubique: licet non secundum naturalem hunc quantitatis modum sit Omnipræsens: sed alio transnaturali & transcœlesti modo, qui ex Unione personali oritur: quem omnia Physicorum principia & pronunciata transcendere, & esse mysterium à seculis in DEO absconditum ex divinis literis novimus, & piè credimus.

Et peramanter rogatum volo pium lectorem, ut probè consideret, quonâm tandem sint eruptura Calvinianorum argumenta: nempè, ut ipsam Unionem personalem duarum naturarum in Christo penitùs enervent, evacuent, tollant. Si enim ideò Corpus Christi non potest esse Omnipræsens, quia est certa quantitate, certisq; dimensionibus præditum: certè eandem etiam ob causam idem Corpus non erit Unitum Filio DEI: siquidem illud certâ quantitate præditum, non potest esse capax illius, quod omnis quantitatis est expers.

Tandem quid opus est, hac in disputatione de Omnipræsentia Corporis Christi recurrere ad considerationem natu-

ſiſſimum. Conſequentia patet ex rei naturâ & ex ſignificatione ipſius Vocabuli. Sic enim apud Lucam Angelus, συλλήψη ἐν γαστρὶ, inquit Mariæ, &c.

RESPONSIO.

ERror oritur ex confuſione Perſonalis ſubſiſtentiæ Corporis Chriſti, cum naturali eiuſdem conditione: ac proindè committitur Sophiſma ſecundum plures interrogationes. Connexum enim totius argumenti agit de præſentiâ Corporis Chriſti Naturali: Unde poſtmodum vitioſiſſima infertur Concluſio ad ſubſiſtentiam ſive præſentiam eiuſdem Corporis Chriſti perſonalem. Prior illa, Naturalis nempè Conditio, Localem Corporis Chriſti infert præſentiam: Poſterior verò hæc, perſonalis ſubſiſtentia, infert illocalem immanentiam ſive ſubſiſtentiam in λόγῳ. Qui duo tamen reſpectus ſeſe mutuò non tollunt. Neque enim Localis præſentia tollit illocalem ὕπαρξιν Carnis in λόγῳ. Neque illocalis hæc ſubſiſtentia obſtat, quô minùs Chriſtus Corpus ſuum, uti cæteris huius mundi conditionibus, ſic Localitati etiam ſubmittere in

ſtatu

ſtatu exinanitionis potuerit, ac etiamnū hodie in certo quodam πῶ viſibiliter apparere poſſit. Unde nulla planè Ratio conſequentiæ militat, quando ſic arguitur: Chriſtus ſecundum Naturalem Conditionem, tempore exinanitionis, Uno in loco natus, paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus: Ergo ſecundum alterum ſubſiſtentiæ modum, Perſonalem nimirùm, non fuit tùm Ubique præſens aſſumenti λόγῳ. Ratio: Quia Localis præſentia in loco: & illocalis immanentia ſive ſubſiſtentia in λόγῳ non ſunt ſibi invicem contradictoriè oppoſitæ: ſed ſunt ſubalternæ ſive ſubordinatæ: quemadmodum ex cauſis etiam oriuntur non contrariè ſibi invicem oppoſitis, ſed ſubalternis: Localis videlicet, ex Conditione naturali, & cum cæteris hominibus communi: Illocalis verò, non ex Conditione phyſica ſed ex hypoſtatica Unione cum λόγῳ: quemadmodum ſupra capite primo fuit oſtenſum.

Quibus ita præmiſſis ſolidiſſimè ad argumentum Sadeelis reſponderi poteſt: NATURALITER quidem humanam naturam tempore conceptionis, ad Nativitatem usque, utero Mariæ matris fuiſſe

isse inclusam: & hoc tempore, non alibi extra uterum virginis, NATURALITER fuisse: Quo etiam sensu & respectu argumentum Sadeelis per omnia à nobis conceditur: Verùm simul inferimus, SUPERNATURALITER illam ipsam humanam naturam non in utero, sed in ipsa ὑποστάσει τοῦ λόγου PERSONALEM suam subsistentiam indè à primo puncto Incarnationis obtinuisse: ita videlicet, ut in utero quidem Christus secundum illam humanam naturam fuerit conceptus: in ipso autem primo conceptionis momento translatus per assumtionem in illocalem λόγου ὑπόστασιν: in qua etiam multò arctiùs, propiùs, profundiùs totoque genere præsentiùs (Personaliter quippè) extitit, quàm in utero sive alvo materna. Terminus enim Assumtionis humanæ hujus naturæ, & Terminus quidem IN QUEM sive INTRA QUEM non fuit Mariæ Virginis uterus: sed ὑπόστασις τοῦ λόγου, in qua sola suam subsistentiam obtinet: & cum qua solâ etiam unam personam constituit. Quando ergò corpus Christi iacet in alvo maternâ, NATURALITER est in ea inclusa caro, ut non in aliis virginibus aut mulieribus, vel concepta sit, vel jacuerit. Interim respe-

ctu Supernaturalis Unionis est illo ipso quoque Tempore hæc caro Christi extra & supra omnem Loci conditionem, quo Maria mater in æternum pervenire nequit; translata quippè intra ὑπόστασιν τȣ̃ λόγȣ, quô nulla unquàm creatura pertingere potest.

Et profectò nisi hoc concedere velit gens Calviniana, mox universum mysterium Unionis Hypostaticæ penitissimè subruitur & evertitur: ac Nestoriana planè Naturarum in Christo convulsio & disjunctio introducitur.

Primùm enim si, ex Hypothesi Sacramentaria, tempore conceptionis, Humana Christi Natura non fuit, nisi in utero materno; & extra illum, in ὑποστάσει τȣ̃ λόγȣ non fuit alibi: Consequens est, Utramque naturam tùm mansisse in suo statu Naturali, sine omni Unione, sive κοινωνίᾳ aut conventu ad se invicem: ita quidem ut λόγος tùm fuerit in illocali suo statu extra locum, (uti certè semper manet) caro autem assumta itidem in suo duntaxat statu locali, inclusa quippè utero materno, neque extra illum ullibi subsistens. Quod si ita est, uti certè, sic esse à Sacramentariis pugnatur, edisserant obsecro nobis, qualis Unio

cùm

tùm inter Naturas fuerit? Nulla profectò, nulla inquàm prorsus dari potest, sed talis potiùs concedenda διάστασις, quâ λόγος extra uterum Mariæ, nullibi sibi præsentem habuerit carnem assumtam: id quòd absurdum & blasphemum esse vel ipsi fatebuntur Adversarij, nisi plenis buccis vel tandem Nestorianismum dudùm animo conceptum evomere velint.

Deindè si talem διάστασιν Naturarum concedere noluerint, sed vel inviti mutuam aliquam earum ad se invicem Unionem ac κοινωνίαν, & quidem ἀδιάστατον, admittere necessum habuerint: At verò nihilominus post conceptionem, Humanitatem non nisi in utero Mariæ ad Nativitatem usque fuisse ac mansisse, contenderint: consequens est, ut λόγος assumens è suo statu illocali per quandam sui ipsius mutationem immigraverit in carnem, tantùm in loco, & quidem intra angustos uteri materni cancellos, existentem: atque sic qui Naturâ illocalis fuerat, semetipsum demerserit in statum Locationis physicæ: id quod non modò absurdum: sed vel cogitatu impium.

Relinquitur proindè ut in definienda hac Unione Hypostaticâ duarum Naturarum in Christo, observentur duo isti respectus, de quibus paulò antè verba feci:

Digitized by Google

nempè, quòd λόγος Naturâ in æterno illo suo illocali statu permanens, assumserit humanitatem intra arctissimum, ὑποστάσεως suæ gremium, eamque, hoc modo intra sese assumendo, evexerit ex localitate mundi eò, ubi nulla regnat localitas, nulla vel cogitari possunt aut debent loca locorumque differentiæ: atque sic personalem suam existentiam, præsentiam atque immanentiam perpetuam Caro non habuerit in hoc vel illo loco (quemadmodum etiam neque hic vel ille locus est assumtionis hujus terminus) Sed in ipsissima illocali τοῦ λόγου ὑποστάσει: ita quidem ut nihilominus potuerit, Exinanitionis tempore, ratione quadam locali, ut & temporali conversatione circumire in Iudæa: quin etiam localiter esse & apparere quando & ubi voluit: sic tamen, ut ineffabiliter arctiùs profundiusque substiterit & immanserit in persona Filij DEI, quâm ullo in loco, quantumvis beato aut eximio: & id quidem propter Terminum Unionis hujus IN QVEM: Assumta enim est caro Christi à λόγῳ in Utero quidem Mariæ: Sed non IN VTERVM: assumta in Loco: Sed non IN LOCVM;

quicun-

quicunque ille tandem fingatur: aliâs enim perpetuô ei maneret affixa: ſed in diviniſſimam & Loca omnia tranſcendentem τῦ λόγυ perſonam ſive ὑπόςασιν: uti hactenus aliquoties oſtenſum.

Argumentum VI.

Si propter unionem Hypoſtaticam Corpus Chriſti eſt ubique: ſtare igitur non poteſt, quod ait Lucas, Ieſum profeciſſe ſapientiâ, & ætate ſive ſtaturâ. Vt apud eundem Lucam cap. 12, 25. Quis enim neget, Chriſtum ipſo Corpore adoleviſſe? Conſequentia eſt in promtu. Nam ei quod infinitum eſt, accedere nihil poteſt.

RESPONSIO.

VEtus hæc eſt crambe: vetus delirium, de Infinitate Eſſentiæ corporis Chriſti, qualem nemo noſtrûm, ne per febrim quidem unquàm ſomniavit. Proindè cum lemuribus pugnat Sadeel, & cum cerebri ſui figmento. Concludit enim argumentum duntaxat adverſus ejuſmodi Omnipræſentiam, quæ Eſſentiæ corporis Chriſti infinitatê præſupponit, Hoc enim modo quicquid eſt infinitum: illi accedere nihil poteſt. At

T 3 verò

verò quomodo Humana Christi natura ratione Essentiæ finita manens, simul in persona τῦ λόγυ personaliter sit ubique: supra in Refutatione argumenti secundi prolixè fuit demonstratum.

Porrò quomodo Christus salvâ nihilominus Communicatione divinorum Idiomatum crescere potuerit, imò verè creverit: supra capite secundo, in diexodo Loci septimi Classis primæ itidem abundè satis est explicatum. Indè quæ huc pertinent, peti possunt & debent.

Argumentum VII.

Si propter Vnionem Hypostaticam Corpus Christi est ubique: Ergo Christus non est mortuus, quod est falsissimum, Nam si corpus tùm fuit Ubique: certè etiam Anima fuit Ubique: & sic utique mansit in suo corpore: si hoc: Ergo dissolutio animæ & corporis non facta; ac proindè Christus non est mortuus.

RESPON-

RESPONSIO.

EX naturali rurſus conditione, quam tempore Exinanitionis Chriſtus ſecundum aſſumtam humanitatem ſpontè ſubijt, quæque eandem humanitatem non niſi uno in loco conſtituit; *Sophiſticè* colligit ad infringendam Perſonalem Omnipræſentiam; quæ tamen nullo pacto indè labefactari, aut everti poteſt. Si enim ipſius ὑποστάσεως τοῦ λόγου realis communicatio, quâ, Cyrillo teſte, carni aſſumtæ communicavit ſeipſum is, qui eſt ipſiſſima vita, non obſtitit, quo minus carne mori potuerit Chriſtus: ſi omnis plenitudo Deitatis habitans in Chriſto σωματικῶς, idipſum non impedivit: ſi denique Realis communicatio vivificæ potentiæ non mortem carnis ſuſtulit: Utique nec Omnipræſentia eam impedire voluit. Intervenit enim tùm temporis profundiſſimus Exinanitionis ſtatus, qui præſtitit, ut non quidem deſineret realis communicatio vel hypoſtaſεως λόγου, vel inhabitantis omnis plenitudinis Divinitatis, vel κοινωνία Omnipotentiæ, Omnipræſentiæ aut virtutis vivificæ: ſed tantùm ut λόγος hanc carni communicatam divinam virtutem, per eandem carnem non exereret. Quo

Quo in ipso tamen profundissimo Exinanitionis statu Omnipræsentia corporis Christi in illocali hypostasi τῦ λόγυ, prorsus mansit inconvulsa, & indissoluta. Etsi enim corpus & Anima Christi à se invicem naturaliter in morte Christi fuerunt separata locis: Unde & Morti sua definitio hoc etiam loco constat integra: Et Christus secundum assumtam Humanitatem verè mortuus est: Quia tamen personalis utriusque (Animæ & corporis) existentia non fertur ad locum vel sepulchri (Ubi corpus naturaliter jacebat) vel paradisi, ubi Anima definitivè erat: sed ad ὑπόστασιν τῦ λόγυ, quæ est Unicus uti assumtionis, ita & subsistentiæ illorum terminus: hinc adeò fit, ut Utrumque (Anima & corpus Christi) quantumvis locis per mortem naturaliter ab invicem separata, nihilominùs intra personam λόγυ ἀχωρίστως καὶ ἀδιαστάτως permanserint: & vicissim λόγος, sua impartibili ὑποστάσει σωματικῶς in utroque immanserit, per inhabitationem illocalem, extra omnia omnium locorum spacia & διαστήματα.

Quod ipsum Damascenus etiam olim docuit, sic scribens lib. 3, Orth. fid. cap. 27.

Quanquàm

Quanquàm Christus mortuus est, ut Homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata Corpore: non tamen Divinitas ab utroque separata remansit, ab animâ inquam & Corpore: & neque sic una hypostasis in duas dissecta est ὑποστάσεις. Nam & tunc Corpus & anima secundum idem à principio in verbi ὑποστάσει habebant existentiam, & ipsis in morte ab invicem separatis, unumquodque eorum mansit, unam verbi habens hypostasin. Quare una verbi hypostasis, & verbi & Animæ & Corporis fuit hypostasis. Nunquam enim neque Anima, neque Corpus propriam habuere hypostasin, præter eam, quæ verbi est hypostasis. Vna enim semper Verbi hypostasis, & nunquàm duæ: Quare una semper Christi est hypostasis. Quo fit, ut etsi localiter Anima à Corpore separabatur, hypostaticè tamen per verbum uniebatur.

Cæterùm circa dissolutionem huius argumenti juvat ex Adversarijs percontari: Utrum statuant, λόγον, tempore mortis, ubique locorum sibi habuisse personaliter unitam assumtam Humanitatem: sive Corpus & Animam, iam per mortem naturaliter Locis disjuncta? Affirmatè si responderint, corruit ac evanescit Argumentum hoc præsens, quod tamen sibi fortissimum imaginantur.

T 5 Nam

Nam si ubique locorum, Humanitas, etiam tempore mortis, vi Unionis personalis, λόγῳ ubique locorum præsentissimè adfuit: neque non angustis sepulchri cancellis ita Corpus Christi fuit Conclusum : vt f simul personaliter nuspiam à λόγῳ ab uerit. Sin negatè responderint, iam ad Nestorianismum patet via longè latissima. Si, enim λόγος extra Corpus & Animam erit statuendus illis in locis omnibus, quotquot sunt vel cogitari possunt extra sepulchrum, & extra paradisum. Quo pacto nùm Nestoriana Naturarum divulsio & διάστασις sequatur, iudicent ipsi, dummodo non ita stolidæ Rationis fascino sint excæcati, ut nihil amplius de hoc mysterio judicare valeant.

Argumentum VIII.

Si propter Vnionem hypostaticam Corpus Christi est ubique. Ergo historiæ Evangelicæ fides abrogatur: ut quæ commemorat Christum venisse, abiisse, rediisse, adfuisse, abfuisse.

RESPONSIO.

IAm modò supra ad singula ista testimonia tùm in specie tùm in genere fuit respon-

responsum: & futilitas istius obiectionis penitissime profligata. Consulat ergo Lector diexodon testimoniorum secundæ Classis: Capite primo huius Tractationis.

Sed porrò infert Sadeel: *Quosdam*(ex Ubiquitarijs)*comminisci λόγον in statu Exinanitionis habuisse Carnem sibi præsentem extra locum. arcano quodam modo, licet non habuerit eam præsentem Cæteris Creaturis: id quod tamen non modò sit commentum, sed & merum delirium: imò nunquã explicari aut intelligi possit: &c.*

Bona verba quæso: Nosti enim, quid supra inculcaveris, viros Theologos, nõ maledicos convitiatores, sed veridicos disputatores esse oportere. Qui sic ergò bilis ad convitia te disputatorem abstraxit? Mitesce, salva res est. Attende tantùm paulisper, & quibus respectibus Christus secundum assumtam humanitatem, in statu exinanitionis, à reb9 creatis abfuerit: cognosce. Ac initiò quidẽ & tibi & socijs ultròlargior, Humanitatẽ tùm quoad LOCALEM præsentiã, Rebus creatis, simul præsentem non adfuisse. Deinde verò abfuit à reb9 creatis, ratione ipsius Unionis, quatenus illa intra hypostasin τῦ λόγυ cõsideratur. Etsi enim λόγῳ, vi huius ipsi9

Unio-

Unionis personalis, Humana natura semper erat Omnipræsens: Unio siquidem facta est ἀδιαστάτως: hæc tamen omnipræsẽtia Humanitatis consideratur extra Creaturarum respectum, intra ipsum λόγον, qui non eo modo, quo in Creaturis est efficax: sed quo intra sese, vel intra suam hypostasin consideratur, Humanitatem sibi habuit iunctam in illa ipsa hypostasi sua, intra quam sola Humanitas subsistit: reliquis creaturis omnibus extra eam versantibus. Quo sanè respectu Humanitas à Creaturis abesse, facilè perspicitur,

Tandem absentia hæc Christi Hominis consideratur ratione actus secundi. Etsi enim Humanitas Christi in primo statim Conceptionis momento inuncta fuit infinitâ Maiestatis divinæ plenitudine, ita quidẽ, ut σωματικῶς in ea inhabitaret omnis plenitudo Divinitatis: Ratione tamẽ actus secũdi, vel quod idẽ, quoad plenariam acceptæ Maiestatis usurpationem, Dominio Creaturarum sese Tempore exinanitionis abdicavit: exceptis miraculosis illis actionibus, quibus radios suæ Maiestatis secundum Humanitatem elucere voluit. Unde etiam Crea-

Digitized by Google

Creaturis illis ſeſe adeſſe Chriſtus, quâ homo, nec ſenſit, nec animadvertit: exceptâ tamen ſemper particulari illa gloriæ declaratione. Et ſanè hoc reſpectu Chriſtum â Creaturis ſecundum carnem abfuiſſe, verè dici poſſe: vel ex eo conſtat, quòd Apoſtolus Epheſ. 4, *10.* ideo Chriſtum aſcendiſſe refert, ut impleret omnia, hoc eſt, interprete Apoſtolo. *1.* Cor. *15,* ut potenter iam regnaret & dominaretur in Cœlo & in terra: Ubi tamen Chriſto incipienti regnare à dextris DEI, non opus erat repentino quodam & inviſibili ad Creaturas acceſſu: ac ſi λόγῳ hactenus non adfuiſſet perſonaliter Omnipræſens: ſed hoc tantùm requirebatur, ut quam humanitatem (Ubique tamen) λόγος priùs tantùm intra ſuam habebat hypoſtaſin perſonaliter, & ſine illa res Creatas adminiſtrabat: nunc poſt exaltationem, IN, CUM, & PER illam, in dextera Maieſtatis præſentem omnia operetur: vel ut Paulus habet, omnia impleat.

Hanc doctrinam allatrat quidem Sadeel & Convitijs proſcindit: dum refutare eam non poteſt: id quod hæreticorum quorumvis proprijſſimum eſt προσκείμενον.

Sed

Sed pergit Sadeel & ulterius ſic inſurgit: *Non agitur inter nos de Omnipræſentia Verbi: nec de præſentia Carnis reſpectu Verbi: ſed quæritur: An Caro Chriſti ſit realiter Vbique & Omnipræſens.*

Reſpondeo Malitioſiſſimam hanc eſſe ſtatus controverſiæ permutationem, viro bono minimè dignam. Supra enim Capite primo ſtatū controverſiæ ipſe ſic informaverat: quæritur *AN VI VNIONIS HYPOSTATICAE Natura Humana acceperit à λόγῳ realiter* (verè) *vti reliquas divinæ Naturæ proprietates: ita Omnipræſentiam quoque.* De ea ergò Omnipræſentia Sadeel ſeſe diſputaturum promiſit, quæ oriatur ex Unione Hypoſtatica, tanquàm ex cauſa & fonte. Jam verò Unio hypoſtatica non Creaturas: ſed Verbum unicè reſpicit, & conſiderat, quomodo Caro aſſumta in illocali hypoſtaſi τῦ λόγυ ſit Omnipræſens. Quæ ergò hæc vertigo, quis ſtupor eſt, affirmare iam audere non agi inter nos de præſentia Carnis. reſpectu Verbi.

Sed nimirùm rurſum Idolum aliquod ſibi fabricat Sadeel, adverſus quod tela ſua etiam dirigit: quod ſic informat: *An Caro Chriſti ſit realiter ubique & Omnipræſens.* Hoc eſt: ipſomet in ſequentibus expli-

explicante: *An Humana Natura per Essentiam sit facta infinita: & conversa in Deitatem, ut sit & ipsa DEUS, & Realiter, hoc est, Essentialiter sit ubique.* Verùm de hoc Idolo nihil noverunt nostræ Ecclesiæ, & sibi illud reservet gens Calviniana, & impugnet ac oppugnet, quamdiu libuerit. Nihil enim huiusmodi nostra doctrina de Maiestate sive Omnipræsentia Filij Hominis docet aut tradit; neque etiam tale quid ex ea elici potest, uti ex Refutatione argumenti primi & secundi huius capitis sole clariùs liquet.

Quod verò tandem subijcit Sadeel: *Quorsum inverso loquendi genere affirmant, verbum habere Carnem præsentem sibi? Quid? Num illa omnia quæ verbum sibi habet præsentia, sunt ubique vel extra locum. &c.* illud cum manifesta impietate est coniunctũ, & Nestorianam hæresin plenis velis in theatrum Ecclesiæ reducit. Siquidem nulla alia ratione λόγον assumtæ Humanitati adesse, quam quâ reliquis Creaturis adest, disertè asserit: Unde etiam Humanitatem haud magis, atque Creaturas, Omnipræsentem sive vbique esse posse, blasphemè colligit: siquidem *Omnia DEO Vbique sint præsentia.* Hoc nimirũ est illud, quod supra capite primo immotis rationib⁹ demonstratũ fuit, nẽpe Calvinianos

de my-

de mysterio Unionis personalis, quantumvis etiam splendidè de eo disserant, tamen in Corde suo contemtissimè & abjectissimè sentire: & non aliter, quàm per nudam παράστασιν sive assistentiam, aut sustentationem Humanæ naturæ à λόγῳ, definire. Proindè per animæ salutem obtestor lectorem, ut hanc confessionem Sadeelis probè notare: & cum nostris, supra cap. 1, positis argumentis conferre velit. Sic nostræ accusationis veritas: Doctrinæ autē Calvinisticæ horrenda vanitas & extrema impietas, uberiùs patebit.

Argumentum IX.

Si Corpus Christi accepit ab Vnione hypostatica, ut sit Omnipræsens. Ergo finitum capit infinitum. ἀδύνατον. Consequentia patet ex natura corporis, & ex verbo Accipiendi. Licet enim Humana natura dici possit particeps verbi, quatenus unita est verbo, Unione Personali: tamen non propterea accepit à verbo, ut sit finita: quia sanctissima hæc Unio facta est absque Cōfusione servatis utriusque naturæ proprietatibus.

RESPON-

RESPONSIO.

ARgumentum hoc, ex axiomate physico contextum, non unius est teruncij. Nam, uti à nostris hactenus aliquoties fuit ostensum, non tàm communicationem Omnipræsentiæ, quàm ipsam Unionem Hypostaticam penitus illud tollit & evertit. Si enim ideò Humana natura Christi non potuit accipere à λόγῳ Omnipræsentiam: quia ea finita est: & Finiti ad Infinitum nulla est proportio, ac proindè Finitum non est capax Infiniti: certè nihil obstat, quò minùs propter hanc ipsam causam Humana Natura Christi, personæ τȣ̃ λόγȣ itidem capax evadere haud potuerit. Est enim Humana natura finita: Contra verò ὑπόστασις τȣ̃ λόγȣ est infinita.

Excipit quidem Sadeel. *Humanam naturam posse dici participem Verbi, quatenùs unita est Verbo Vnione Personali*: ac proindè innuit, Axioma hoc physicum non Unioni ipsi, sed tantùm Communicationi Idiomatum rectè opponi. Qui sic verò mi Sadeel: Cur non æquè Unioni atque communicationi hoc axioma opponi potest; Siquidem par utrobique est ratio: Tàm enim ex parte Unionis, quàm ex parte communicationis militat Humanæ Na-

turæ finitas: quæ si facit, ut Omnipræsentiā per κοινωνίαν accipere non potuerit, facit utique etiam, ut ὑπόστασιν τοῦ λόγου accipere itidem nequiverit. Proindè sic argumentor. Aut axioma hoc physicum, *Finitum non est capax Infiniti*, καθ' ὅλου Universaliter verum est: Aut ex parte duntaxat. *Si* καθ' ὅλου verum est, militabit utique tàm ad evertendam Unionem hypostaticam, quàm ad negandam Communicationem Omnipræsentiæ. *Sin* ἀπὸ μέρους sive ex parte duntaxat verum est: tùm procedit argumentatio Sadeelis à particulari, ac proindè nihil concludit.

Deindè respondeo committi sophisma παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου. Axioma enim hoc physicum verum est καὶ ἄλλο: falsum autem καὶ ἄλλο. Verum est, quando Finitum consideratur, quatenùs naturaliter se habet, & ex naturæ suæ proprietate considerentur. Hoc certè respectu, Finiti ad infinitum nulla est proportio. Quemadmodum sanè Humana quoque Christi natura sic considerata, nunquam potest esse capax infinitæ Omnipræsentiæ: vel ipsius etiam infinitæ ὑποστάσεως τοῦ λόγου. Falsum contra est, quando divinâ potentiâ fit, ut quòd naturâ

turâ suâ finitum est, per Unionem Hypostaticã evadat κοινωνὸν particeps tùm divinæ ac infinitæ ὑποστάσεως, tùm ipsorum etiam divinorum Idiomatum, quippè quæ cum ipsa ὑποστάσει simplicissimè convertuntur. Hìc enim non jam ampliùs attenditur, quid Finita Natura humana ex se vel possit, vel non possit: sed quid mediante omnipotenti voluntatè DEI, per Unionem Acceperit. Ubi jam non physica sunt audienda axiomata, quæ pro Diaboli scorto hac in materia haberi debent: sed scripturarũ consulenda sunt oracula, quæ testantur *OMNEM PLENITVDINEM DEITATIS* in Christo *HABITARE* σωματικῶς *CORPORALITER*.

Tertiò repetit veterem κοκκυσμὸν Sadeel, negans *Humanam naturam esse Infinitam*: infinitate nimirùm Essentiæ: Quod ipsum & nos negamus: stante nihilominus interim inconcussâ Omnipræsentiæ Christi Majestate, etiam secundum hanc ipsam humanam naturam: uti supra Refutatione Argumenti II. huius capitis, fuit satis superq; demonstratum.

Tandem & illud nullius est momenti, quod subjicit, *si Caro Christi esset, Omnipræsẽs,*

illam non ampliùs esse participem divinæ naturæ: Sed esse ipsissimam divinam naturam: id quod ἀδύνατον. Nam hoc ipsum telum supra in diexodo argumenti primi, ita excussum & protritum est, ut ferire ampliùs haud possit.

Argumentum X.

Nullum dogma quod continet Contradictionem est Theologicum: ac ne dignum quidem est nomine dogmatis.

Dogma de Omnipræsentia Corporis Christi continet contradictionem.

Quare non est Theologicum, ac ne dignum quidem nomine dogmatis.

RESPONSIO.

In hujus argumenti examinatione, quia Circes stabulum purgandum: & sylvula Contradictionum, quam in cerebro suo, Rationis humanæ glossulis consitam, circumfert Sadeel, succidenda erit, gradatim nobis procedendum est.

Con-

I. Contradictio

Si Corpus est: igitur finitum ex Natura Corporis: Si est Omnipræsens, est igitur infinitum, ex natura Omnipræsentiæ & Vbiquitatis: Sic ergo Corpus non est Corpus: ipsum, non ipsum: quæ ἀντίφασις est omnium crassissima.

RESPONDEO.

I. Objectum de contradictoriis commune est κρησφύγετον omnium hæreticorum: quo Diabolus homines in rebus fidei turbare, & prætextu evitandæ contradictionis in barathrum infidelitatis & erroris præcipites agere studet. Cur enim quæso Tritheitæ Unitatem Essentiæ divinæ: cur Ariani Trinitatem personarum in divinis negarunt? quia videlicet contradictionem implicari somniarunt, si Tres personæ, & quidem Realiter distinctæ, Unam tantùm Essentiam divinam constituere deberent? Cur Eutyches duas Naturas in Christo negavit? Quia contradictionem implicari somniavit, si divina Maiestas Humanitati, proprietates suas naturales sartas tectas retinenti, tribueretur? Cur Nestorius Filium DEI ex Maria virgine natum, sub Pilato passum,

crucifixum, mortuum esse negavit? Quia contradictionis fascino excæcatus, de Filio DEI hæc citra blasphemiam prædicari haud posse, opinabatur? Quid igitur mirum, si eodem contradictionis Spiritu fascinati nostri Sacramentarij, comprehendere haud queant, quomodo sine contradictione Humana Natura in se finita, simul possit cum infinito λόγῳ esse ubique?

2. Sed benè habet; Abrahamum patrem credentium secuti, φαινομένας, μὴ δὲ ὄσας ἀντιφάσεις, apparentes istas, non verò concludentes, contradictiones nihil morabimur, sed ad verbum DEI, infallibilem veritatis Cynosuram, & ad infinitam DEI potentiam & sapientiam unicè respicientes, inania isthæc Satanæ crepitacula facilè elidemus.

Quoad primam ergo contradictionem, monet philosophus, Tùm demùm veram implicari ἀντίφασιν, quando duo pronunciata ὡσάυτως uno eodemque modo ac respectu opponuntur. Iam verò quando corpus Christi dicitur esse finitum, imô verè est, & manet finitum, quippè naturæ suæ limitibus terminatum: tùm consideratur ex Naturali ipsius conditione

ditione, ſive ex proprietatibus naturalibus. Quando verò ſimul in ὑποστάσει τοῦ λόγου, intra quam hæc ipſa caro Chriſti eſt aſſumta, creditur & ſtatuitur eſſe ubique præſens adeſſe aſſumenti λόγῳ, & nunc in dextera DEI ubique præſentiſſimè dominari: tùm conſideratur ex perſonali ipſius ſubſiſtentia, ad quam per Unionem Hypoſtaticam pervenit.

Sophiſticum verò eſt, quòd Sadeel fingit, corpus Chriſti fieri infinitum, ſi ſit Omnipræſens: idque *EX NATVRA* Omnipræſentiæ & Ubiquitatis. Intelligit enim talem Omnipræſentiam & Ubiquitatem: talem etiam Infinitaté Humani Chriſti corporis, quæ inferat aliquam expanſionem ſive extenſionem corporis de loco in locum: id quod vaniſsimum & putidiſsimum eſt cavillum. Meminerint enim Adverſarii Extenſionem hujuſmodi ibi tantùm regnare, ubi dominantur locorum intervalla, ſecundum quæ talis extenſio fieri debet.

Cæterùm Omnipræſentia Chriſti non talem præſupponit corporis per omnia loca, immenſa quadam mole ſeſe miſcentis, diffuſionem: ſed definitur juxta modum dexteræ DEI, in qua, nulla

prorſus locorum διαστήματα cogitari vel poſſunt vel debent. Nam reſpectu hujus præſentiæ, reſultantis ex Unione cum λόγῳ, & ſeſſione ad infinitam dexteram Majeſtatis divinæ, omnia Loca, quantumvis hoc in mundo διαστήμασι ſive intervallis ſint disjuncta, coram exaltata Humanitate veluti locus unus ſunt, imò vix unius punctuli rationem habent. Quemadmodum igitur Localis Ubiquitas, propter finitam quantitatem corporis, & immenſa illa locorum intervalla; contradictionem verè implicaret: ſic Illocalis præſentia Chriſti Hominis, in dextra Majeſtatis divinæ, nullam prorſus contradictionem involuit. Hæc enim res creatas omnes & ſic loca omnia in tantas anguſtias reducit, ut aſſumtæ Humanitatis Finitas illæſa permaneat, & tamen divino quodam modo, qui eſt dexteræ huius DEI proprius, vaſtiſſimam hanc Cœli terræque machinam in ſuis manibus habeat: ſecundum illud: pater DEDIT (ratione humanitatis) Filio omnia in manus ejus. Ioh. 3, 35. ſi omnia: Ergo etiam loca, & locorum intervalla univerſa: neque

que quicquam in Cœlo & in terra omissum, quod non ipsi sit traditum in manus. Hebr. *2, 8.* Quo pacto Corpus finitum, suâ naturâ manet finitum: ipsum manet ipsum: neque ulla implicatur ἀντίφασις: siquidem, uti iam ostensum, Finitas Humanitatis, eiusdemq; Omnipræsentia non sunt contrariè sive contradictoriè opposita: licet sint diversa & ὑπαλλήλως subordinata.

Quæ porrò satis prolixè ex nostrarum Ecclesiarum Orthodoxa sententia de triplici Corporis Christi Consideratione repetit, ea sensu Ecclesiarum nostrarum propriò intellecta, adversus portas inferorum stabunt invicta in omnem æternitatem: quemadmodum etiam fundamenta doctrinæ huius tâm firma, tamque immota supra produximus, pag. *66.* usque ad pag. *73.* ut allatrare quidem, sed evertere illa nullo pacto Adversarij possint.

Illud verò insignis Calumniæ loco est habendum, quòd Sadeel in recitatione nostræ sententiæ, inter alia sic refert: *Ita etiam in Corpore Christi cum verbo, personaliter unito, Duplices sunt proprietates: quarum alteras cum beatis hominibus, habet*

communes, etsi gradibus & numero superiores: quasdam verò PROPRIAS & singulares habet: cuiusmodi est Omnipræsentia. Et paulò post: *Quæstio est an supra naturales proprietates Caro Christi per sessionem ad dextram DEI, acquisiverit ALIAS PROPRIETATES.* Affingit nimirum nobis tale absurdum ac impium dogma, quo statuamus, in Christo duplices esse proprietates: ac proindè Idiomata λόγου ita communicata esse Carni assumtæ, ut facta sint propria ipsius Carnis. Quod Eutychianum paradoxon à nostris Ecclesiis tàm est alienum, quàm quod potest esse alienissimum. Quomodo enim sine ulla vel Effusione, vel transfusione, vel infusione Idiomatum Deitatis, Communicatio Maiestatis divinæ ex Unione cum λόγῳ, assumtæ Carni obtigerit: mox ostendemus, ubi ex professo de Communicatione Idiomatum disputabimus. Manifesta duntaxat mentiendi libido, quæ Sacramentariorum animos totos occupavit, hoc loco notetur.

Contra-

Digitized by Google

Contradictio II.

Corpus Christi Actu Circumscriptum & simul incircumscriptum esse: est ἀδύνατον, quippe ἀντιφατικόν.

RESPONSIO.

QUis verò nostrum unquam vel dixit, vel scripsit, Corpus Christi esse Actu circumscriptum, & simul Actu incircum scriptum: uno nimirùm modo & respectu. Quare rursus cum capitis sui liripipio pugnat Sadeel. Verùm ut Lectori veritatis studioso hac in parte etiam satisfaciamus, placet disputationem hanc de circumscriptione Corporis Christi hoc loco accuratiùs ex nostrorum scriptis repetere. Initiò autem evolvenda æquivocatio Circumscriptionis, sub quâ sophisticè ludunt Sacramentarij: Duobus enim modis aliquid circumscribi dicitur, vel τόπῳ Loco: vel καταλήψει Comprehensione Naturæ, uti Damascenus loquitur: vel quod idem est, Naturæ suæ terminis, Prior illa Circumscriptio Localis est, quâ circumscribitur aliquid non proprio, sed alieno termino, Loco nimirùm forinsecus ambi-

ambiéte: Et eſt merè ACCIDENTALIS. Neq; enim de eſsétia vel de Eſſentialib⁹ proprietatib⁹ Corporis veri humani eſt, Eſſe Loco Actu circumſcriptum: quemadmodum ſuprà in Refutatione, Inſtantiæ ſecundæ, Argumenti quarti huius capitis, tùm ex ſcripturis, tùm ex doctrinâ phyſica demonſtratum fuit. Poſterior circumſcriptio nihil eſt aliud, quàm Eſſentiæ Humanæ finitio, circumſcribens Humanitatem non alieno termino, hoc eſt, Loco: ſed proprijs Naturæ terminis, hoc eſt, certis ſuis dimenſionibus: quatenus nimirùm Eſſentia Humana, quippe Quanta, non eſt infinita, ſed finita. Unde iam conſtat poſteriore hoc modo poſſe eſſe aliquid circumſcriptum, quod tamen nullo forinſecùs ambiente loco concludatur ſive comprehendatur. Quã diſtinctionem Damaſcenus etiam agnovit, ſic definiens Circumſcriptum: *περίγραπτόν ἐστι τὸ τόπῳ, ἢ χρόνῳ, ἢ καταλήψει περιλαμβανόμενον*: circumſcriptum eſt, quod loco, aut Tempore, aut comprehenſione comprehenditur: per particulam diſtinctivam (*ἢ*) bis repetitam haud obſcurè innuens, ad definitionem illius quod eſt Circumſcriptum, non ſemper omnes

omnes istos tres modos necessariò debere concurrere: quemadmodum Sacramentarij somniant: sed ad circumscriptionem alicuius rei satis esse, si καταλήψει sive finitate Naturæ terminetur.

Jam quoad Corpus Christi, non sanè negamus in statu Exinanitionis, priore etiam respectu Corpus Christi verè fuisse Circumscriptum, quando de loco in locum progressus, uno in loco natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus fuit. Siquidem uti reliquis Mundanis conditionibus: Ita Loco etiam & Tempori sese subijcere voluit. Jam verò post Resurrectionem, Corpus Christi, ex proprietate Essentiæ necessariò semper Loco aliquo forinsecùs ambiente circumscribi: id simplicissimè, iterum atque iterum negamus. Nam uti supra ostensum, etsi Corpus Christi ratione quantitatis sive dimensionum est Locale, δύναμιν si spectes: non verò ipsum actum sive ἐνέργειαν: hoc est, potest, quando vult, in aliquo certo loco, vel in aliquo πᾶ Cœlesti apparere: Tamen ut ipso actu Loco circumscribatur, id non modò cum scriptura: sed & cum saniore philosophia è diametro pugnat. Consulatur Locus paulò an-

lo antè citatus, Cæterùm quoad posteriorem Circumscriptionis respectum, Humana Natura Christi, in ipsa quoque Unione & sessione ad dexteram DEI Circumscipta semper est, & manet: quippè Essentiæ suæ finibus circumscripta.

Jam quando Sadeel sic arguit, *Corpus Christi actu Circumscriptum, & simul actu Incircumscriptum esse, prorsus ἀδύνατον*: Totum argumentum concedimus. Nam sive intelligat priorem Circumscriptionem *Localem*: nunquàm simul verum esse potuit, ut Corpus Christi *actu* certo quopiam Loco forinsecus ambiente circumscriptum fuerit: & simul *actu* nullo certo Loco ambiente comprehensum fuerit. Ἀντιφατικὰ enim esse isthæc quis sanus unquàm negavit: siquidem vtrumque prædicatur de Christi Corpore ex naturali sua Conditione considerato. Sic si intelligas posteriorem Circumscriptionem, nunquam in æternum fieri potest, ut Corpus Christi naturæ suæ terminis sit actu circumscriptum, hoc est finitum: & simul sit multis naturæ terminis circumscriptum, sed infinitum quoddam pondus, immensa quapiam mole per omnia loca sine fine & termino se-

no sese expandens & extendens. Hæc duo enim, quippè ὡσαύτως, uno eodemque respectu (Naturali nimirùm) de Corpore Christi prædicata, manifestam ἀντίφασιν Contradictionem implicant. Et hactenus quidem Sadeelis argumentatio facilè à nobis conceditur.

Verùm si iam quæratur, utrum naturalis isthæc Circumscriptio, quæ Corpori Christi ex propria naturæ Conditione obtingit, Contradictorie sit opposita Omnipræsentiæ Personali, quatenus Corpus Christi iam consideratur, non ut nudum aliquod Corpus, sed ut Corpus ipsius Filij Dei, in quo inhabitat tota hypostasis τοῦ λόγου cum universa plenitudine Deitatis suæ: & quod evectum est in solium infinitæ ac omnipræsentis dexteræ Dei? Hic Negativam, freti divinis scripturarum oraculis, simplicissimè tenemus. Nam una eademq; Humana Natura Christi τῷ λόγῳ personaliter unita existens, & unita ἀχωρίστως manens, circũscripta est per Essentiam, nõ quidẽ loco, sed proprijs Naturæ terminis: Et tamẽ simul quatenus

&

& in quantum PERSONALITER in λόγῳ est, nullo profectò Loco forinsecùs ambiente circumscripta est: sed potius ipsa circumscribit, mensurat, & per illocalem Maiestatis modum implet loca omnia. Nam hæc Humana natura non existit alicubi extra λόγον in Loco aliquo, uti Sacramentarij sibi satis impiè imaginantur: sed suum τὸ εἶναι sive subsistentiam suam unicè habet, IN hypostasi τοῦ λόγου: ad quam nulla locorum διαστήματα ullo respectu possunt pertingere: Ubi finita ipsa ratione Essentiæ manens, ab infinito λόγῳ nusquam abest, quin potiùs (dummodò Unionem ipsam non solvere ac dirimere velimus) ἀδιαστάτως extra locorum intervallum, inenarrabiliter præsentissima ei adest.

Et hoc est mysterium illud, quod neque Sadeelis, neque ullius hominis Ratio unquàm capere: sed sola fides comprehendere potest: extra quam qui vagatur & vanis rationis suæ speculationibus indulget: mirum non est, si varias sibi Contradictiones fingat: & DEUM plus præstare haud posse credat: quâm ad rationis iudicium & æquilibrium quadret.

Digitized by Google

dret. Cui petulantiæ & incredulitati retundendæ inservire debebat illud Apostolicum: DEVS potest ἐκ περισσοῦ CVMVLATE facere, *VLTRA OMNIA*, quæ petimus aut cogitamus: Ephes. 3, 20.

Et ut unicum adhuc addam, non possum non obtestari Sacramentarios, ut, dummodò verè credunt, duas naturas personaliter in Christo unitas: ipsius hujus Unionis mysterium penitiùs intueantur. Si enim corpus Christi Naturæ suæ terminis circumscriptum, sine contradictione potuit assumi *IN*, imò *INTRA* Infinitam & simpliciter incircumscriptã personam Filij DEI, adeò ut jam assumta humanitas templũ & receptaculũ sit inhabitãtis totius plenitudinis Deitatis: cur nõ Omnipræsentiæ Majestas, quæ Unioné hãc necessariò consequitur, sine ulla contradictione efficere posset, ut corpus Domini, intra Naturæ suæ terminos *NATVRALITER* circumscripta permanens: *PERSONALITER* autem sive vi Unionis nullibi à λόγῳ abesset: sed cum eodem Omnipræsentissime extra & ultra locum omnem, impleret: Ephes. 4, 10.

Quibus ita constitutis, & rectè observatis, paratissimum in promtu esse potest compendium respõdendi ad reliquas etiam contradictiones, in quibus quidem

percensendis satis prolixus est Sadeel, sed quæ tamen eôdem recidunt. Nam quo pacto refutata jam est contradictio de circumscripto & incircumscripto corpore Christi: eodem planè modo solidissimè refelli possunt ac debent reliquæ apparétes ἀντιφάσεις: ut quòd pluribus exaggerat, *Contradictoria esse: si corpus Christi statuatur esse finitum & infinitum Actu: Actu simul alicubi tantum præsens, & omnipræsens: Actu simul physicum, & non physicum: Actu simul gloriosum, & non gloriosum: & consimilia.* Quia enim non uno eodemque modo, & respectu, sed longè diversissimo utrumque prædicatur de corpore Christi; & multiplex occultatur æquivocatio, tùm in vocabulo (Actus) quod Adversarius semper de naturali proprietate corporis intelligit, & sic actum naturalem, cum actu personali sophisticè confundit: tùm sub terminis, circumscriptum esse, & Incircumscriptum esse: finitum & infinitum esse &c. certè vel cæcus videt, nullam implicari contradictionem.

De similitudine ipsa petitâ à naturali Unione corporis & Animæ, infrà suo loco ex professo nobis erit agendum: Illud duntaxat observetur, Adversarium planè improbè & malitiosè scopum similitudinis hujus, cujus gratia à nobis in

medi-

medium ea producitur, invertere & pervertere. Quis enim tàm bardus unquàm fuit, qui de proprietatibus corporis naturalis ita indistinctè & planè ἀλόγως philosophatus fuerit: quemadmodum Sadeel hîc nobis affingere haud dubitat: Aliam enim esse conditionem, quatenus per se & in se corpus consideratur: aliam rursus, quatenus cũ anima jam Unũ quid Naturale constituit: quis unquã negavit?

Calumnias quas subjicit non moramur: dum scribit: *corpus Christi variè consideratum, non est varium: sed manet actu idem corpus*. Pugnat enim rursus cum lemuribus. Nemo nostrûm unquam ex triplici consideratione corporis Christi, triplex propterea corpus confinxit: Et quomodo tres isti respectus salva manente Unitate corporis Christi, de Uno eodéq; corpore, sine ulla Essentiæ multiplicatione affirmari queant, iam modo plus centies ostensum & infrà porrò explicandum erit.

Sed contra varios istos respectus porrò instat Sadeel: *Varij respectus utiliter adhibentur, cũ agitur de persona Christi; hoc modo: Christus est Deus & Homo, Creator & creatura, finitus & infinitus: vario videlicet respectu, finitus quatenus homo, infinitus quatenus Deus.*

RESPONDEO. Varii isti respectus quos in persona Christi Sadeel considerat, non sunt personales: sed Naturales: qui

ostendunt secundum quam naturam Christus sit DEVS: secundum quam sit homo &c: Verũ hi respectus Naturales ad definiendũ mysteriũ Unionis personalis nondum sufficiunt: Sed respectus etiã alter, quem quælibet natura in Unione præter Naturalem sibique proprium induit & obtinet: quique personalis est & dicitur, vel maxime requiritur. Quæro enim, quando Christus asserit, caro mea vere est cibus: Quis respectus hic militet? Naturalis certè non: siquidem ex Naturæ proprietate nunquàm caro Christi vivificat: Quis igitur? Personalis nimirũ: quia videlicet ex Unione cum λόγῳ, caro Christi vim vivificandi ex gratia accepit. Quod ipsum de reliquis etiã enunciatis est statuendum: ut quando dico: Humana natura in Christo est Omnipotẽs est Omniscia: est Adorabilis: est Omnipræsens: Ubi nisi respectum illum personalem Sadeel noluerit admittere: ipsum mox Unionis Hypostaticæ fundamentum penitùs subruerit, everterit: uti ex præcedentibus plus satis liquet. Quam certè Unionis dissolutionem haud obscurè innuit, dùm mox satis hæreticè subjicit: *Humanam naturam esse in loco localiter: & in λόγῳ personaliter: nihil est præter petitionem principij, illustratam scilicet vocubu-*

sabulorum paronomasia. Statuit nimirùm duo isthæc Localiter & personaliter duntaxat per παρονομασίαν de Natura humana in Christo prædicari: hoc est, reipsa Unum esse. Siccinè ergò assumi in λόγον, non nisi per παρονομασίαν differt ab eo, quod assumitur in locum? Siccine λόγος & locus reipsa idem sunt, & haud magis differunt, quàm Grammatica & Grammaticus; vel fortis & fortitudo? quemadmodum his exemplis παρώνυμα explicat Aristoteles, in ijs, quæ categor. antecedunt. Notent hæc studiosi pietatis, & indè faciant judicium de doctrina Calvinistica: quæ in loco esse, & in λόγῳ esse tantum per παρονομασίαν, hoc est, uti Bremenses explicarunt, *SOLA RATIONE* differre statuit: & sic Unionem personalem blasphemè tollit & destruit. Vide supra paginam *62. & 63.*

Quam ipsam impietatem magis auget Sadeel, scribens: *Hanc phrasin, (Esse in λόγῳ) valdè periculosam esse, nisi adhibeatur commoda interpretatio: ne Humana natura cum persona λόγου confundatur: semper enim distinguendum est id quod subsistit ab eo, quod facit subsistere.* Quasi verò non æque accuratè distinguamus inter personam verbi,

 & assum-

&assumtam humanitatem: ac Sadeel unquam distinguere potest. Sed nimirũ non tã phrasin ipsam, quã earũ vim, quâ se cõstringi sentit, reformidat Sadeel. Quando enim dico. Humana Natura est vel subsistit in λόγῳ, tanquam indice digito denoto Terminum illum, in quem assumta Humanitas per Unionem hanc verè est sublevata: qui est, sola illocalis ὑποστάσις τοῦ λόγου. Et sanè phrasi hac usi fuerunt Orthodoxi etiã patres: Athanasius in Symbolo, *Credo* inquit, *Verbum Carnem factum esse, non conversione Deitatis in Carnem; sed assumtione Humanitatis IN DEVM.* Irenæus lib. 4. contra hæreses, cap. 79. *Quomodo Homo transiret IN DEVM, si non DEVS in Hominem?* Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum: *DEVS totam IN SE suscepit naturam hominis.* Vigilius lib. 1. contra Eutychen: *Carnis natura per suscipientis commixtionem IN verbi personam transijt.*

Sed altiùs insurgit Sadeel: *si* (Ubiquitarii) Esse *accipiunt pro* subsistere, *tunc facilè animadvertitur, quàm nullum sit hoc genus connectendi: Verbum est Omnipræsens: Caro subsistit in verbo: Caro igitur est Omnipræsens.*

Respondeo: Quis verò ex nostris unquàm sic argumentatus fuit? Num iterum Idolum aliquod sibi effingit, adversus

ſus quod pugnare queat Sadeel? Sic nos argumentari ſolemus: Quicquid Eſt ſive ſubſiſtit (accipimus enim τὸ *Eſſe* pro *ſubſiſtere*) in ipſa illocali hypoſtaſi Filij DEI, ad quam nulla locorum ſpacia aut διαστήματα unquam poſſunt pertingere: illud ſubſiſtit extra & ſupra locum omnem.

Natura humana Chriſti mediante Uunione perſonali ſubſiſtit in illocali hypoſtaſi Filij DEI, ad quam nulla locorum ſpacia unquâm poſſunt pertingere.

Ergo Natura humana Chriſti mediante Unione Perſonali extra & ſupra omnem locum ſubſiſtit.

Experiantur hic vires ingenij, imò conferant omne acumen Rationis, quod uſpiam inveniunt. & faciant periculum, Utrum hoc genus connectendi ſit nullum, uti Sadeel arguit.

Sed excipit Adverſarius: *ſi hæc argumentatio procedere debeat*, (prior nempè illa ab ipſo conficta;) *tùm ita concludi poſſe: Verbum, in quo Caro ſubſiſtit, eſt DEUS: Caro igitur eſt DEUS, Abſurdum & blaſphemum.*

Reſpondeo Sadeelem rurſum ſophiſtã agere, & ludere ſub ſophiſmate pluriũ

interrogationum. Antecedens enim quærit de Essentia, quid nimirùm sit λόγος ratione Essentiæ. Consequens verò agit non de Essentia, sed de præsentia, ubinam sit Caro, & ubi subsistat. Unde quatuor emergunt termini in Argumento: id quod evadet manifestius, si integer formetur Syllogismus, qui talis constitui potest:

Verbum est DEUS: At humana Natura subsistit in ὑποστάσει verbi. Ergo est DEUS. Ubi major de Essentia verbi: Minor de præsentia Humanæ Naturæ, ubi nam illa subsistat, perspicuè quærit & agit. Quare conclusio ex præmissis, de distinctis rebus agentibus, nihil infert. Quod si verò argumentum concludere debeat, Major propositiò sic informanda fuerit: Quicquid subsistit in persona Verbi, illud est DEUS: &c. Quam tamen propositionem manifestè falsam esse, ipsi intelligunt Adversarij.

Quæ porrò subjicit Sadeel, ea Nestorianam hæresin plenis velis in Ecclesiam revocant: sic enim ille: *Quia caro non esset in loco, nisi subsisteret in Verbo, quia ne esset quidem, certè caro, etiam quatenùs subsistit in verbo, est in loco localiter: Nam causa subsistentiæ, est etiam Causa existentiæ & realis præsentiæ.*

RE-

RESPONDEO: vel Nestorianam distractionem hoc argumento manifestè stabiliri concedendum est: vel dicendum, quòd hypostasis τȣ͂ λόγȣ, in qua subsistit Caro Christi, sit Locus aliquis physicus. Hic enim scopus hic finis est præsentis argumentationis, quòd Christi Caro ubicunque tandem ea subsistit, sit in loco. Iam verò λόγȣ ὑπόστασις non est locus: Ergo in ὑποστάσει τȣ͂ λόγȣ non subsistit Caro assumta. En tibi Nestorianismum: En tibi divulsionem sive separationem Naturarum plusquàm Nestorianam, expressis verbis à Sadeele descriptam.

Porrò: si verum est, quod evincere suo hoc argumento conatur Sadeel: nempè Carnem Christi, ubicunque tandem subsistat, esse & subsistere in loco: At verò simul concesserit, Carnem subsistere in ὑποστάσει τȣ͂ λόγȣ: consequens erit ἐξ ἀνάγκης, ὑπόστασιν τȣ͂ λόγȣ esse locale quippiam, vel certè esse locum in quo subsistat Caro Christi circumscriptivè: Quod est absurdum, hæreticum, blasphemum.

Sin verò Sadeel responderit, se non terminum subsistentiæ: sed ipsam conditio-

 ditio-

Digitized by Google

ditionem ſive ſubſtantiam aſſumtæ hu-manitatis conſiderare, quæ certè ex no-ſtra etiam ſententia fuerit in loco, ho-dieque poſſit eſſe in loco: Reſpondeo & ego: Teneat mentem & corrigat linguam: imò deſinat vel tandem Ec-cleſiæ illudere puerilibus iſtis ſophi-ſticationibus plurium interrogatio-num. Aliud enim eſt, quando quæro, Num Caro Chriſti, quantumvis ſubſi-ſtens in loco, ſit localis, hoc eſt, poſ-ſit eſſe in certo quopiam loco, ſive in aliquo πȣ̃ Cæleſti, ipſo actu eſſe & ap-parere: Aliud verò quando quæro, vbi-nam Caro Chriſti ſuam habeat ſubſi-ſtentiam, & utrum hæc ipſa ſubſiſtentia eandem Carnem Chriſti omni Loca-litate eximat. Ad prius illud affirma-tè cum Sadeele reſpondemus; ſiquidem ibi ipſam ſubſtantiam & eſſentiales pro-prietates Humanæ Naturæ conſidero. Ad poſterius verò itidem contra Sade-elis Negativam Affirmatè reſpondeo: quia ibi Humanam Naturam Perſona-liter conſidero, quatenus iam eſt aſ-ſumta in illocalem ὑπόστασιν. & in il-la, ſupra, & extra omnem loci condi-tionem evecta.

Quibus ita expoſitis, in fumum abit impium & prodigioſè blaſphemum Corollarium Sadeelis: *Cauſa ſubſiſtentiæ, eſt etiam Cauſa exiſtentiæ & realis præſentiæ,* Localis nimirum. Cauſa ſubſiſtentiæ eſt Unio Perſonalis: ſiccine ergò hæc Unio perſonalis, cauſa etiam erit, ob quam Caro Chriſti, certis ſuis dimenſionibus ſit prædita, ſit finita, ſit in loco, & quidem ſecundum ſententiam Sacramentariorum, ſemper, & iam quoque in ſtatu gloriæ, certo quopiam loco circumſcribatur & concludatur? Sed quid multis opus eſt: Horret non dico animus, ſed calamus, in iſtis examinandis impijs, blaſphemis, & portentso, vereq; Neſtorianis abſurditatibus, uberiùs immorari.

Audiamus breviter Sadeelem ſuam hanc diſputationem, quam adverſus Maieſtatem Omnipræſentiæ Chriſti hominis, impiè quidam ſatis, ſed irrito conatu hactenus inſtituit, perconnexũ quoddã *ἀπαγωγικὸν εἰς ἀδύνατον* ſic concludentẽ.

Si Corpus Chriſti finitum eſt, proprijsq; dimenſionibus circumſcriptum, quatenus tantùm per ſe, hoc eſt, SEORSVM à λόγῳ conſideratur.

Ergo Corpus Chriſti nunquam fuit, nec erit actu finitum, proprijsq; dimenſionibus circumſcriptũ: ſed

sed sola consideratione: ἀδύνατον, ἀθεόλογον, ἑτερόδοξον. Consequentia patet: quia licet Humana Christi natura SEORSVM à λόγῳ considerari poßit: tamen nunquam actu fuit, nec erit SEORSVM à λόγῳ.

RESPONSIO.

DEme calumniam: & totum argumentum vix magis cohærebit, quàm cohærent paleæ, à turbine quodam dißipatæ disiectæq;. Calumnia est, Nos considerare Naturam humanam siue Corpus Christi, SEORSVM extra Unionem: & statuere illud hoc modo, scilicet SEORSVM consideratum esse Circumscriptum, & proprijs dimensionibus præditum. Iterum atque iterum dico, Calumnia hæc est, ex Diabolico convitiandi studio profecta.

Quis enim nostrum, unquam tale quid vel dixit, vel scripsit? Cur non locos, libros, paginas, autores ipsos notat & nominat? Sed citiùs ignem non urere probabit, quàm hoc absurdum, nostræ doctrinæ proprium esse, confirmaverit. Credimus enim & docemus, ac nunquam non docuimus Humanam naturam nunquam SEORSVM à λόγῳ consi-

considerari vel posse vel debere, ne quidem, uti Damascenus loquitur, ἰσχναῖς ἐπινοίαις, subtilissimis cogitationibus: Sed semper in ipsa Unione considerari secundum duplicem illum Respectum, Naturalem & Personalem: quemadmodum fusius hoc explicatum, supra pag. 66. & sequentibus.

Neque Naturalis ille respectus collocat Corpus Christi extra Unionem: sed intra eam considerat, quid nimirum ex suis Essentialibus proprietatibus illud admittat: nempè quòd sit certis dimensionibus præditum, finitum &c. id quod hactenus plus millies fuit demonstratum: ita ut nisi Sacramentarij iampridem prorsus depuduissent, vel tandem ipsos istorum mendaciorum, quæ adversus proprium Conscientiæ testimonium evomunt, pudere ac pænitere meritò posset.

DE

DE COMMVNICATIONE proprietatum.

QUam adverso Marte contra Maiestatem Omnipræsentiæ Filij Hominis Communicatam hactenus pugnaverit Sadeel: satis constat: Iam videndum qualem sese præstet, in excogitandâ doctrinâ de Communicatione proprietatum: quanquam secundum leges Methodi prius Quæstionem εἰ ἔστι An sit Communicatio: & τί ἐστι Quid sit, examinare debuisset, quàm in specie de Omnipræsentiæ Idiomate disputationem movisset. Verùm sequemur utique & nos filum Tractationis Sadeelianæ.

Ac initio quidem etsi Sadeeli libenter largimur, *Hoc loquendi genus (Communicatio Idiomatum) in scripturâ non reperiri*: si literarum apices, & vocabulorum sonum spectes: rem tamen ipsam, quæ hisce vocabulis definitur, in scripturis expressè tradi & contineri, vel illa evincunt testimonia, quæ Christo aliquid datum sive donatum esse, confirmant: Cumprimis verò illa assertio Servatoris, Ioh. 6. 55. quâ Carni & sanguini suo (in abstracto) vim vivificandi assignat. Quam sanè vim cum Caro Christi ex proprietate Naturæ

non

non obtineat: relinquitur, quod eam ex gratiâ Unionis, & hanc consequente Cõmunicatione Idiomatum acceperit.

Occasio autem, quâ factum est, ut Ecclesia hoc loquendi genere progressu Temporis uteretur, debetur principaliter nõ Scholasticis, uti Sadeel somniat: Sed Orthodoxæ Antiquitati, & certaminibus illis, quæ tùm à varijs hæreticis, tùm verò & cumprimis ab Eutyche & Nestorio, de persona Christi mota fuerũt. Ex horum enim & potissimum Nestorij Refutatione orta fuit doctrina de Cõmunicatione Idiomatũ: non quidem ratione veritatis, quã in Scripturis habet firmissimè fundatam: sed ratione vsus; quatenus nimirum doctrinæ huius in scripturis perspicuè traditæ, usus ad refutãdas varias hæreses, in Ecclesia obtinuit, & sic deinceps magis magisq; ea illustrata & explicata fuit.

Cæterũ quoad doctrinã ipsã de Cõmunicatione Idiomatũ, suã sententiã Scholasticorũ secut⁹ vestigia, sic informat Sadeel. *Cùm hæretici Naturas in Christo cõfunderent, eò quòd legerẽt, Dominũ gloriæ crucifixũ: DEVM acquisivisse Ecclesiã sanguine suo. Filiũ Hominis in terris existentem, esse simul in Cælo, & pleraq; cõsimilia: quæ Maiores nostri* (Schoastici nimirũ: nã Orthodoxorũ patrũ scripta lõgè aliud testãtur, uti suo loco ostẽdem⁹) *ita*

ita intelligenda esse censuerunt, ut quod dicitur de persona in Concreto, non propterea dicendum sit de altera Natura in Abstracto, cõtra alterius Naturæ proprietatem: adeò ut neque Deitas crucifixa, nec sanguine prædita, nec rursus Humana natura simul in terra & in Cœlo fuisse credenda sit. Quandoquidem tanta vis est Vnionis illius Hypostaticæ, ut scriptura de Persona id enunciet, quod alterius tantum Naturæ est proprium: & quia unus Christus est DEVS & Homo, scriptura id Christo DEO attribuat, quod Humanæ Naturæ proprium est, & vicissim id Christo Homini tribuat, quod est proprium Deitatis.

Quam ipsam sententiam postmodum repetit: *Hæc* inquiens *delibavimus ex piorum Maiorum scriptis, ex quibus perspicuum esse potest, quidnam Scholastici & Veteres intelligant hoc loquendi genere: κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων. Nempè hunc esse morem Scripturæ, ut sæpenumero id dicat de persona Christi quod alterius tantùm Naturæ est proprium, idq; propter Vnionem Hypostaticam ne quis fortè ex locis Scripturæ malè intellectis, Naturas vel confundat, vel divellat.*

RESPONSIO.

SCholasticos Doctores, eorundemq; ματαιολογίαν non moramur, quos si

Sade-

Sadeel pro pijs ſuis maioribus agnoſcit, per nos utique licet. Verùm quoad ſcripturam ipſam, & Orthodoxam Antiquitatem, utriusque ſanè vocem hac in controuerſia libenter audimus & ſequimur, ita tamen ut patrum ſententias & locutiones ad ſcripturarum gnomonem infallibilem appendamus & examinemus: id quod inſequens diexodus planum faciet.

Ac initiò quidem Abſtracti ſignificationem æquivocam nolumus hoc loco altiùs repetere. Supra in refutatione Epiſtolæ Sadeelianæ ad principes Germaniæ, quid per Abſtractum intelligamus, & quis ejus, quoad hunc Articulum, in Eccleſia DEI ſit uſus, explicatum dedimus. pag. 33. & 38. ac ſeqq. Et cùm de Humanitate Chriſti potiſſimum ſit quæſtio: Utrùm nimirum vi Unionis perſonalis obtigerit ipſi talis communicatio & ὑποστάσεως τοῦ λόγου, & Idiomatum, ut in Abſtracto (ſed in Unione) de ea prædicari poſſit, quòd ſit Omnipotens, Omniſcia, vivifica, Adorabilis, Omnipræſens &c: noſtram utique Affirmativam tùm ex ſcripturis, tùm ex Orthodoxa Antiquitate, adverſus Sadeelis ſophiſticationes paucis aſſeremus,

Y Et

Et sanè quoad Naturarum ad se invicem *κοινωνίαν*, ex scripturis initiò occurrit illud Ioh. *1, 14. Verbum* CARO *factum est.* Cujus pronunciati quanta sit evidentia, fusius ostendimus, supra pag. *108.* & sequentibus, Confirmat nimirùm phrasis isthæc, Carni assumtæ ὑπόστασιν τȣ̃ λόγȣ. non verbali, sed R*EALI κοινωνίᾳ* communicatione esse tributam, vel, (quod idem est) carnem sive Humanam Naturam, in veram ac realem ὑποστάσεως τȣ̃ λόγȣ κοινωνίαν esse assumtam & evectam: usque adeò, ut ὑπόστασις τȣ̃ λόγȣ, ob personæ unitatem, facta sit, ipsius etiam Carnis ὑπόστασις.

Quod ipsum Epistola ad Hebræos præclarè confirmat: *Quemadmodum pueri communicaverunt carni & sangvini: ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.* Hebr. *2, 14.* vide supra. pag. *140.*

Porrò ipse Filius D*EI* prædicatur *ex virgine natus*: Luc. *1, 32. ipse* D*EI Filius ex muliere natus & Legi obnoxius factus.* Gal. *4, 4* & *5. ipse DEVS passus*. Actor. *3, 15. Dominus gloriæ crucifixus. 1.* Cor. *2, 8. Vnigenitus Filius DEI pro nobis traditus.* Ioh. *3, 16.* Rom. *8, 32.* Quarum sanè propositionum omnium Veritas stare nequit, nisi humana

natu-

Digitized by Google

natura ita pervenerit in κοινωνίαν τȣ̃ λόγȣ, ut quicquid huic carni evenit, illud propter hanc ipsam naturarum ad se invicem κοινωνίαν REALEM ipsimet DEI filio verè tribuatur & Realiter, quippè qui jam non seorsim, sed cum Humanitate hac sua Personam constituit.

Proindè manifestè nimis Nestorianam impietatem prodit Sadeel, quando ista de persona Christi ita enunciari contendit, *ut tamen ad Filium DEI non pertineant: sed unicè ad Humanitatem sint referenda:* vel ut talis sit instituenda propositionum istarum explicatio: *Filius DEI est natus ex Maria virgine: hoc est, Caro, quæ unita est Filio DEI, est nata ex Maria virgine: & sic deinceps.* Quo sanè pacto Nativitas, passio, Mors, Sepultura, Resurrectio, nihil amplius Filium DEI attinebunt: Sed nata, passa, crucifixa, mortua & sepulta fuit talis Humanitas, quæ Filio DEI per nudam duntaxat παράςασιν sive assistentiam adhæret, sine REALI & mutua naturarum ad se invicem κοινωνίᾳ. Qua ratione omnis vis & efficacia merito Christi adimitur: Spes omnis & fides nostra tollitur, ipsa denique Unio nefariè evertitur & evacuatur.

Sic merus ludus jocusq; est, quod Sadeel *tantam esse vim Vnionis illius Hypostaticæ asserit, ut scriptura de persona id* ENVNCIET, *quod alterius tantùm Naturæ est proprium.* Magna scilicet vis, quæ in enunciando sive in Verbali prædicatione unicè consistit & terminatur: ut quæ nihil aliud est quam inanis titulus sine ulla rei veritate. Verbalis enim si est hæc communicatio, uti cum scholasticis hoc loco Sadeel contendit, & infra disertè fatebitur: non jam ampliùs est communicatio. Verbum enim, sive symbolum rei Logicum, non est res ipsa, aut pars rei cujuscunque, vel idioma: Sed tantùm est nota conceptus in mente, qui si rei, quæ est extra intellectum, non respondet; non verbalis magis, quàm falsus appellandus est: attestantibus ipsis scholasticis, Sadeelis nostri pijs Majoribus: attestantibus item omnibus philosophis.

Sic quoad COMMVNICATIONEM RROPRIETATVM divinarum, res in scripturis planissimè est definita. Nam quoties carni Christi Actiones & opera divinæ Omnipotentiæ ascribit scriptura, toties per consequentiam tribuit ei *κοινωνίαν* communicationem ipsius quoque Omnipotentiæ, tanquàm Actus primi, à quo

quo *ἐνέργειαι* divinæ velut actus secundi promanant: veluti Iohan. *6, 54 & 55.* Qui edit meam carnem, & bibit meũ sangvinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in novissimo die. CARO enim mea verè est cibus, & SANGVIS meus verè est potus.

Et profectò talem *ἰδιωμάτων κοινωνίαν*, ipsa arctissima Naturarum Unio necessario præsupponit. Quicquid enim in assumtione carnis sub Unionem venit: illud venit etiam sub *κοινωνίαν* sive communionem. At non naturæ nudæ: sed proprietatibus suis instructæ, venerunt in Unionem, tempore assumtæ carnis. Ergo proprietates etiam Naturarum sub *κοινωνίαν* venerunt.

Minorem probo: Natura enim proprietatibus suis destituta, revera non est quod dicitur: Nam *φύσις ἀνιδιότος, πάντως καὶ ἀνύπαρκτος.*

Instantia Sadeelis. I.

Patres sæpè quidem usurpant κοινωνεῖν & κοινωνίαν in hoc mysterio explicando: sed his vocabulis ipsam veram & perfectam Personalem

Vnionem intelligunt: varijs vocabulis rem eandem significantes.

RESPONSIO.

VTrumquv in patrum scriptis, reperitur Interdum n. per *κοινωνίαν*, intelligunt ipsam causam, Unionem videlicet Naturarum quemadmodum testimonia à Sadcele producta luculenter evincunt: quanquam eorum nonnulla ipsam quoque *κοινωνίαν* proprietatum evidenter astruunt: ut illud Basilij: *Manente in sua perfectionenaturaliter utraque substantiâ, sine suo præiudicio, & humanitati divina communicant, & divinitati humana participiant.* Et illud Damasceni: *Caro operanti Deitati λόγȣ communicat.* Quale est & illud quod ex synodo Chalcedonensi petitum est. Interdum verò ipsum quoque Effectum Unionis hujus, *κοινωνίαν* nimirùm & Naturarum, & proprietatum egregiè describunt. Cujus generis testimonia aliquot citare, minimè fuerit inconveniens.

Ac de mutuâ quidem naturarum *κοινωνίᾳ* sic Damascenus Orat. 1. de imaginibus: *Descendit, ut naturam meam cohonestaret, & naturæ divinæ κοινωνὸν participem*

pem redderet. Ac rursum: *Quemadmodum verbum sine mutatione Caro factum est, manens id quod erat; sic & Caro verbum facta est, non amittens id quod est, sed potiùs cum Verbo idem effecta, quantum pertinet ad personam.*

Idem Damascenus lib. 3. orth. fidei cap. 8. affirmat *hypostasin Verbi inconvertibiliter factam esse Carnis hypostasin*. Et cap. 2. præced. *λόγον ipsi Carni factum esse ὑπόστασιν.*

Athanasius de natura suscepta contra Apollinarium: *Non verbum DEI donatitia ratione hoc nomen accepit, ut DEVS vocaretur, sed Caro ejus cum ipso simul DEVS appellata est.*

Sic de Communicatione Idiomatum planè nobiscum consentiunt.

Athanasius ad Epictetum: *Non verbum Caro factum est, ut Deitati aliqua accessio fieret, neque ut verbum in meliorem statum reduceretur. Magis enim ipsi* (humanæ naturæ) *magna accessio facta est ex communione & Vnione verbi ad humanam naturam.*

Iustinus in exposit. fidei. *Corpus manet corpus, non enim est DEVS, particeps autem factum est divinæ dignitatis.*

Origenes, Homil. 2. in diversos locos Evangelistæ Iohannis: *Verbum incarnatum Dominus noster Iesus Christus plenitudinem*

Digitized by Google

nem Gratia secundum Humanitatem accepit. quoniam caput est Ecclesiæ, & primogenitus universæ creaturæ.

Et quid multis opus est, cùm & hæc & id genus alia Antiquitatis Orthodoxæ Testimonia, nostræ doctrinæ per omnia ὁμόψηφα, adversarijs ignota esse haud queant, si modò nostrorum scripta hac de re edita, vel per transennam inspexerunt.

Instantia II.

Communicandi & Communionis vocabula, hac in quæstione Intransitivè à veteribus usurpantur: id quod cùm Vbiquitatis patroni minùs adverterent, & verbum Communicandi *transitivè, contra usum verbi κοινωνεῖν acciperent: ex plærisque veterum locis perperam intellectis, suum dogma de Reali proprietatum Communicatione fabricarunt, opinantes, propria Divinitatis communicari, hoc est, Communia fieri, ac conferri in Humanam Naturam: (ac proindè dicant, λόγον se totum Humanæ naturæ communicasse: ut ambigno hoc loquendi genere faciliùs imponant) quod est insigne ψευδογράφημα* &c.

RE-

Digitized by Google

Responsio.

Sub ὁμωνυμίας sive æquivocationis pallio latitat Sophista. Nam Transitivè aliquid Communicari duobus modis dicitur. Uno modo quo Idiomata unius rei, in aliud Subiectum transfunduntur, ut egressa iam proprium subiectum, alteri insint Essentialiter, formaliter, habitualiter, subiectivè. Qualem divinorum τῦ λόγυ Idiomatum transfusionem Eutychiani olim somniarunt: & hodiè nonnulli ex Schwenckfeldianis fingunt: ratione cuius Humana Natura in divinam planè fuerit absorpta & mutata. Alio verò modo Idiomata Transitivè Communicari dicuntur, quatenus nimirùm non verbali tantùm, sed vera ac reali prædicatione Idiomata unius rei, de altero prædicantur: ut quando divina τῦ λόγυ Idiomata Humanitati Christi verè per quandam μετάδοσιν communicata esse dicuntur: ut, licet non, proprium suum egressa subiectum, Humanitati insint habitualiter, aut subiectivè: verè tamen & realiter de eadem prædicari possint.

Priorem istum modum Patres Orthodoxos nullibi stabilire, tacente etiam Sa-

deele novimus: Eundem à nostris quoque semper esse negatum, & tanquam hæreticum in Eutyche, Schwenckfeldianis & alijs damnatum: neque ullo pacto vel secundum literam, vel secundum bonam Consequentiam ex nostrorum scriptis elici posse, constanter affirmamus. Proindè si Sadeel nostras Ecclesias, priore hoc modo, Idiomata τῦ λόγυ Carni assumtæ Transitivè communicata esse, docere arguit: næ ille insigni iniuria eas afficit, & splendidè mentitur.

Cæterum quoad posteriorem modum constanter affirmamus, Orthodoxos Patres uno ore scripsisse & docuisse Idiomata τῦ λόγυ Transitive, hoc est, nō verbaliter aut nominètenus, sed verè & realiter Carni assumtæ esse communicata. Quod si ignorat, vel certè ignorare vult Sadeel, audiat quæso quid hac de re scribat D. Basilius, Homilia de Sancta Christi nativitate: sic autē habet: *Quomodo in Carne est Deitas? Sicut ignis in ferro: ὐ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς, non transitivè: sed Cōmunicativè: Non enim excurrit ignis ad ferrum: sed manens in suo loco cōmunicat ei propriam facultatem, nec minuitur sui Communicatione, sed totum sui particeps ferrum implet.*

Et

Digitized by Google

Et post pauca: *Quomodo autem* DEVS λόγος *Corporea debilitate non impletus est? Dicimus, sicut nec ignis transsumit ferri proprietates. Nigrum est ferrum & frigidum: sed tamen ignitum, ignis formam induit, & ipsum illustratur & candesit, non nigrefaciens ignem: & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic sanè etiam humana Domini Caro facta est particeps Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.*

Damascenus lib. 3. cap. 7. οἴδαμεν ὡς ἐκ τῆς θείας φύσεως ἡ περιχώρησις γέγονεν: καὶ αὐτὴ μὲν τῶν οἰκείων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι, μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς &c.

Et cap. 17. Τῶν μὲν οὖν οἰκείων αὐχημάτων ἡ θεότης τῷ σώματι μεταδίδωσιν: αὐτὴ δὲ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν διαμένει ἀμέτοχος.

Divina natura proprias suas excellentias & glorificationes Carni Communicat sive impertit: ipsa verò in se passionum Carnis manet expers.

Et cap. 19. *Caro operanti Deitati verbi communicat, ideò quòd divinæ Operationes per Organum Carnis perficiebantur: Ita*

sancta

sancta eius mens etiam naturales suas operationes operatur. Communicat autem & Deitati verbi operanti ac gubernanti, IPSA etiam intelligens, cognoscens, & disponens totum Vniversum, non ut nuda hominis mens: sed ut DEO secundum hypostasin unita, & DEI mens constituta.

Edisserat nunc Sadeel, quid sibi velit hæc patrum περιχώρησις καὶ μεταδόσις, qua naturas in Christo dicunt sine mutatione περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις, hoc est in se mutuo quasi immigrare & permeare. Quid quòd nonnulli ex patribus ipso verbo Transeundi expressè utuntur, ut Irenæus lib. 4. cap. 79. *Quomodo Homo TRANSIRET IN DEVM, si non DEVS in Hominem.*

Et Vigilius lib. 1. contra Eutychen: *Carnis natura per suscipientis commixtionem IN verbi personam TRANSIIT.*

Proindè Sadeel negans Patres (Scholasticos enim non moror) Communicandi vocabulo Transitive (sensu & respectu Orthodoxo, & iam suprà explicato) usos esse, insigne ψευδογράφημα in Theologia, adeoque in ipsa veterum doctorum lectione committit: id quod ipse nostris, sed falsò imputare haud erubuit.

Digitized by Google

Instantia III.

Ex verbo DEI ita statuendum: In Persona Christi Naturam divinam τοῦ λόγου, & ipsius Naturæ proprietates Communicare, sive κοινωνεῖν Humanæ Naturæ (verbo Communicandi Intransitivè accepto) hoc est, arctissimè & personaliter Vniri cum Humana Natura, quam ipse λόγος assumsit. Et hæc est vera ac realis proprietatum Communnicatio sive Communio.

Responsio.

Confundit Sadeel causam & effectum. Patres ipsam Naturarum Unionem arctissimam interdum nominare κοινωνιάν sive Communionem non negamus. Sed hoc iam quæritur. Qualem huius ipsius Unionis effectum ijdem Patres constituerint. Hic per insignem ἀδολεσχίαν & principij petitionem respondet Sadeel, ipsos Unionem nominasse Unionem: Quasi verò Patres non ulterius essent progressi: sed Unionem hanc sensu Sadeeliano & Sacramentario, per nudam quandam Naturarum παράστασιν sive assistentiam desinivissent. Diversum profectò ex ipsorum Patrum

Patrum monumentis paulò antè in refutatione primæ & secundæ Instantiæ fuit demonstratum: adeò ut hac in quæstione Patres toti sint nostri, neque quicquam cum ἀλλοιώσει sive ἀντιδόσει τῶν ὀνομάτων Zuinglianâ & Sacramentariâ habuerint commune.

Sed heus tu Sadeel, & edissere, Quãnam Unionem personalem naturarum statuas, si veram ac Realem tùm Naturarum ad se invicem κοινωνίαν: tùm verò ipsorum quoque Idiomatum Communicationem veram negandam esse censes? Appello etiam vos Sacramentarios singulos & universos, ut in unum collatis sententijs ostendatis, quonam pacto, Unio hæc Hypostatica, de quâ (ad faciendum fucum simplicioribus) tanta cum solennitate & protestatione gloriamini, salva, sarta, tecta unquam stare queat, nisi ipsa quoque proprietatũ realis Communicatio ex omni parte inconcussa cõcedatur. Illud hactenus apud pios & cordatos quosvis vestris disputationibus consecuti estis, ut habeant sibi persuasissimum vos satis quidẽ speciosè Unionis personalis nomẽ venditare: rem verò ipsam penitissimè convellere & subruere:

ere: ac ut uno verbo dicam quod res est Unionem ipsam prorsus evertere. Obtestor ego Lectorem veritatis amantem, ut nostra fundamenta supra pag. 50. & seqq. ex professo tractata, penitiùs apud animum expendere, & de Calvinianorum doctrina judicium ferre velit.

Summa eo redit. Quicunque negant assumtæ Humanitati realiter sive verè & quidem respectu Unionis huius hypostaticæ, esse communicata divina τȣ̃ λόγȣ Idiomata, ut Omnipotentiam, Omniscientiam, Omnipræsentiam, Adorationis Maiestatem, vim vivificandi &c: illi etiam hoc ipso palam negant, verbi personam, assumtæ Naturæ Ulla ratione esse communicatā sive Unitam.

Ratio Consecutionis est: siquidem persona λόγȣ, & illius idiomata sic sunt Unum quid ἀδιαιρέτως, ut revera nullum prorsus inter ea sit discrimen: sed necessariò subtracto uno, subtrahatur & alterum: ac vice versa: posito uno ponatur & altetum.

Jam verò Sadeel & Sacramentarij omnes uno ore negant prius illud: Ergo negant etiam hoc posterius: ac proindè meros fumos venditant, quoties

quoties & quandocunque Unionis personalis nomen magnificè & ſpecioſè ſubinde iactitant & venditant.

Inſtantia IIII.

Hæc communicatio quam proponunt Scholaſtici vulgò dicitur VERBALIS: non quòd ſit ficta aut commentitia, aut verbotenus tantum: Sed quia pertinet ad verborum & phraſeων expoſitionem: quæ quidem expoſitio cum ſit vera, Orthodoxa, & certiſſimis rationibus confirmata: certè modus illius expoſitionis, vanus aut fictitius dici non poteſt.

Responsio.

HUi quãto ſuadore opus eſt, ut mendacio fucum facias. Dicit Sadeel Communicationem hanc, quam ipſe cum Scholaſticis nominat Verbalem, ſimul eſſe verã. Vera enim niſi eſſet: fictitia certè eſſet & Commentitia: id quod poſterius tamẽ expreſſe negat Sadeel. Iã vera ſi eſt, cur Realem appellitare eam detrectat. Siquidem inter verum ac Reale hoc in articulo nullum eſt diſcrimen. Porrò vera ſi eſt, vera etiam ac realis ipſa erit prædicatio. Verùm cum hæc omnia

διαφ-

Digitized by Google

διαῤῥήδην neget, manifestum est, protestationem hanc facto (quod ajunt) esse contrariã, &, ipsum per verbalem communicationem intelligere Titulum sine Re: hoc est, ut sensum Sadeelis magis propriè explicem, illud, quod per communicationem Idiomatum de aliquo prædicatur: exponendum esse per ἀλλοίωσιν, sive ἀντίδοσιν τῶν ὀνομάτων: ut exempli gratia: Quando per communicationem idiomatum Caro Christi dicitur esse vivifica; Hanc propositionem secundum verbalem prædicationem sive ἀλλοίωσιν illam esse explicandam, hoc modo: Divina Natura, cui caro hæc est unita personaliter, est vivifica. Sic hoc pronunciatum: Caro Christi est Omnipræsens: ita esse explicandum: λόγος cui hæc Caro est Unita, est Omnipræsens.

Apage verò sis cum maleferiata ista tua verbali & communicatione & expositione, quippè quæ Universum mysterium Unionis Hypostaticæ penitùs convellit & subruit. Si enim Diabolica hæc ἀλλοίωσις, sive sophistica hæc verbalis communicatio locum obtinebit: non jam amplius caro Christi accepit Spiritum sine mensurâ: non amplius tota plenitudo Deitatis in ea habebit σωματικῶς:

κῶς: non ampliùs in ea erunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI: non amplius ea erit constituta ad dexteram Dei in Cœlestibus, & ei subiecta omnia, quæ non modò in hoc, sed & in futuro seculo nominari possunt: non ampliùs dominabitur in medio inimicorum suorum; uno verbo non ampliùs erit personaliter unita verbo. Quare? Quia ex hypothesi Sadeelis, hæc prædicantur de assumta Humanitate tantùm per prædicationem verbalem: de qua si quæras, Utrum sit fictitia & sine re? Respondet Sadeel, Non esse fictitiam, quia explicatio non sit fictitia. Qualis vero hæc explicatio? Ista: nempe: prædicantur quidem isthæc κατὰ φράσιν & loquendi modum de Humana natura: at si quæras utrum hæc ipsa Humanitas, verè per communicationem, divina illa idiomata acceperit? Mox negatè respondet. Porrò si quæras: Num verbalis communicatio sit vera respectu assumtæ Humanitatis? Respondet Veram esse: sed secundum expositionem phraseωs: Quæ tamē Expositio postmodum dicit, ea quæ per verbalem hanc communicationem dicuntur esse communicata Humanitati: non de hac Humanitate, sed de divinitate Christi verè præ-

prædicari: Cujus explicationis Regulam paulo post subjicit Sadeel, quæ sic sonat: *Vnius Naturæ propria quæ dicuntur de tota persona in concreto, ad ipsam Naturam, cujus propria sunt, referantur in abstracto.* Quæ Sophisticatio deterior est, quàm ut verbis satis exaggerari aut amplificari possit.

Suprà autem dictum fuit, ex doctrinâ omnium saniorum tùm Philosophorum, tùm Theologorum, verbalem communicationem reipsâ non esse communicationem: Verbũ enim sive Symbolum rei Logicum, est nudus conceptus in mente, qui si rei, quæ est extra intellectum, non verè ac realiter respondet, non verbalis magis, quàm falsus appellandus est.

Proindè Verbali huic & commentititiæ communicationi opponimus communicationem personalem, quâ λόγος suas proprietates intra suam quidem retinet hypostasin: assumendo autem naturam humanam in ipsam suam hypostasin, ejusdemq; κοινωνίαν: simul eandem quoque in communionem proprietatum suarum veram ac realem assumsit & evexit. Quam communicationem, quia non essentialis, non itidem verbalis, nedum Naturalis est: ideò REALEM, hoc est, veram appellare

Digitized by Google

vos Antitrinitarij & arripite idem telum: *Nullum loquendi genus, quod in scriptura non legitur, in aliquo fidei & doctrinæ capite asserendo, urgeri debet. At verò vocabula, (ὁμοούσιον, Trinitas) in scripturis non leguntur. Ergo, illa in divinitate Filij DEI asserenda: in Trinitatis mysterio stabiliendo urgeri non debent.*

Verùm palàm falsũ est in scripturis hoc loquẽdi genus prorsus nõ legi. Epistola certè ad Hebræos habet verbũ κεκοινώνηκε, & μετέσχε; cõmunicarunt & participavit: & quidem in hac ipsa materia de Unione personali duarum naturarum in Christo.

Tandem, si vel maximè absq; hoc esset, minimè tamen propter loquendi genus, in scripturis non αὐτολεξὶ & κατὰ τὸ γράμμα expressum, neganda foret Res ipsa, quæ in cripturis manifestissimè traditur.

Instantia VI.

Ejus est interpretari, qui locutus est. At verò Scholastici Doctores primùm introduxerunt hoc loquendi genus, Communicatio Idiomatum, Ergò eorum etiam est interpretatio tenenda.

RESPONSIO.

Ad majorem: Ejus est interpretari, qui locutus est. At verò Scriptura locuta

 est,

est, cùm totam doctrinam de Communicatione Idiomatum planissimè tradidit: Ergo ejus etiam explicatio adversus Sadeelis verbalem & phantasticam communionem, ac explicationem φράσεων ἀλλοιωτικὴν, probè est tenenda.

Ad Minorem: Scholastici Doctores introduxerunt hoc loquendi genus. Negamus; Nam mox ab initio hujus disputationis de communicatione Idiomatum diversum ostensum fuit.

Testimonium quòd ex Thoma Aquinate citat, sibi servet Sadeel: Nam ejus autoritas ne tantillùm quidem nos movet, qui, si verbalem & inanem communicationem Idiomatum professus est, fruatur sane suo figmento, & perfruatur eo unâ ipse quoque Sadeel. Nos præpotenti DEO gratias agimus, qui nos à Regni Antichristiani Sophistis, in hoc atque aliis articulis benignissimè liberavit: cum primis verò ab hoc ipso Thoma Aquinate, Doctore quantumvis Cherubico & Seraphico.

Testimonia Patrum, quæ magno numero producit Sadeel, nos non feriunt: sed causam potiùs sive doctrinam nostram mirificè confirmant. Etsi enim inter-

ter-

terdum ita distinguunt Naturas in persona Christi, ut distinctim (in ipsa tamen Unione) considerent, quid quælibet natura ex proprietate Naturæ suæ & agat & agere possit; tamen simul Humanæ Naturæ *M*ajestatem, quam ex Unione cum λόγῳ, & sessione ad dextram Patris verè divinam accepit, manifestè astruunt: Quemadmodum ex Testimonijs Patrum supra productis evidenter videre est. Qui plura desiderat, is consulat Appendicem Formulæ concordiæ: Chemnitium & alios.

Illud certè ex universis istis Patrum testimonijs manifestè liquet, hoc solum eos velle, quòd actiones Divinæ, si Naturarum Idiomata spectemus, ab assumtæ carnis proprietate minimè proveniant: sed à proprietate verbi, cujus Naturale proprium est Omnipotenter operari, cùm Humanitatis proprium Naturale id non sit. Ex quo fundamento obtinuerunt etiam contra Eutychianos, distinctas esse Naturas: quandoquidem vi propritateq; naturali sua, non unam, sed geminam actionem edant: cùm quidem aliàs, si naturali sua vi unam actionem ederent, una quoque illorum futura esset Natura: quod Eutychia-

num βδέλυγμα semper à nostris etiam Ecclesijs constanter ac solidè refutatum damnatumque. Neque enim quisquam nostrum vel per febrim somniavit unquam, Humanam Christi naturam, proprietate & virtute sua naturali Divinas ac omnipotentes actiones operari ac producere posse. Naturali enim sua vi & proprietate tantùm operari potest humana & humilia: sed quicquid Divinarum actionum illi tribuimus, per & propter Unionem id tribuimus, sine omni confusione vel Naturarum vel actionum, quas suæ cuique Naturæ *NATVRALITER* proprias agnoscimus, *NATVRALITER* distinctas custodimus.

Quòd verò hi ipsi Patres, quorsum ententias citat Sadeel, docuerint Carnē Christi ne quidem per Uunionem cum λόγῳ pervenisse ad realem communicationem divinarum actionum: id purum putum est mendacium, cuius vel tandem *Sa*cramentarios ipsos pudere, pigere & pænitere debeat.

Consulantur Testimonia Patrum à nostris hoc de negocio magnâ fide ac diligentiâ conquisita. Placet unum atque alterum in gratiam Lectoris adjicere.

Athana-

Digitized by Google

Athanaſius Dialogo quinto contra Apollinariſtas: *Sicut Anima in Corpore ſuo, ſic DEVS λόγος unitus Homini edit prodigia, non SEPARATVS à Natura aſſumta: ſed placuit ei, IN EA, CVM EA, ET PER EAM POTENTIAM SVAM DIVINAM exercere.*

Cyrillus, de Incarnatione Unigeniti: *Communes facit tanquàm cum ſua Carne, DIVINAE ſuæ MAIESTATIS OPERATIONES, ut poßit etiam vivificare mortuos, ſacrare infirmos.*

Damaſcenus, lib. 3. Orth. fidei, cap. 17. CARO *Domini divinis dotibus ſive* EFFICACIIS *dotata eſt propter puriſſimam cum verbo Vnionem, ſive ſecundum hypoſtaſin: nequaquam ſuſtinens excedentiam naturalium proprietatum. Non enim ſecundum ſuam propriam efficaciā ſive actionem, ſed propter unitum ſibi λόγον DIVINA OPERATVR, Verbo* PER EAM *manifeſtante* PROPRIAM VIRTVTEM *ſive* ACTIONEM.

Leo Epiſtola 22. *Aſſumſit noſtram Naturam, non ut minueret Divina Humanis: ſed ut augeret Humana DIVINIS.*

Instantia VII.

Proferunt (Ubiquitarij) *quod philosophi tradunt, Aequilaterum & altera parte longius* (*quæ propriè de Magnitudine dicuntur*) *dici de Numero per se. Atque ex eo, scilicet, volunt statuere quid sit Communicatio proprietatum: &c.*

Responsio.

Nihil ista ad nos: si qui sunt, qui Geometricis istis similitudinibus Cómunicationem Idiomatum explicare voluerunt: illi ipsi suam mentem declarent. Nos pro defensione nostræ sententiæ, Geometriam in subsidium minimè vocamus, imò neque principijs illis Geometricis opus habemus: præsertim cum in scripturis parata nobis sint fundamenta longè omnium firmissima.

Subscribimus proindè Sadeeli, reprehendenti eorum temeritatem, qui ex principijs Physicis & Mathematicis, Controversias Religionis Christianæ dijudicare volunt. Meminerit autem non nostris sed Calvinianis Scriptoribus, hanc μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος admo-

dum

dum frequentem & solennem esse. Testis esse potest superior disputatio ipsius Sadeelis, ex principijs Physicis adversus Maiestatem Omnipræsentiæ Christi Hominis informata. Testis etiam esse potest Demonstratio Pezeliana adversus D. Hunnium, quæ inter argumenta Achillea (scilicet) quibus eadem Omnipræsentia Christi expugnetur, refert etiam istud ex Geometria desumtum: Si Trigonus non habet tres angulos & tria latera, non est trigonus. Ergo si Humana Christi Natura suas non habet dimensionum locationes, non est vera humana Natura.

Rixetur ergo cum suis contribulibus: non cum nostris Doctoribus, quibus scriptura fundamenti loco vnicè est proposita.

Instantia VIII.

Jlli qui dogma Omnipræsentiæ sive Vbiquitatis tuentur, primùm affirmant; Communionem Proprietatum esse Realem, hoc est, Essentialem, quidquid tandem prætexant) eamq́, non in persona, sed in ipsis Naturis considerant.

Respon-

Instantia IX.

Satis constat, Reale non tantum opponi Commentitio: sed etiam pro natura rei de quâ agitur, necessario intelligendum esse. Quòd si quis Reale sine Re consideret, ille meritò dici posset sine ratione ratiocinari. Proprietates autem divinæ Naturæ, de quibus hic agitur, sunt ipsa Deitatis Essentia, adeoque ipsa Deitas: quia Deitas est simplicissima, & nihil accidit Deitati. In hac ergo quæstione, Reale idem est, quod verum & Essentiale: & Realiter, idem quod verè & Essentialiter.

Responsio

Evolutâ equivocatione phraseωs (Realiter commvnicari) tota hæc machina funditus erit eversa. Nam Realiter commvnicari intelligitur vel de Re ipsa, quæ Communicatur: vel de Modo, quo fit Cõmunicatio. Si priore respectu accipiatur phrasis isthęc & quæratur, Nũ Idiomata divina τȣ λόγȣ sint ipsa λόγȣ Essentia: Nemo nostrum certè id negabit unquam. Et hactenus argumentatio Sadeelis militat, dum confirmat, non alia sed ipsa τȣ̃ λόγȣ propria

propria, & cum eiusdem Essentia planè Convertibilia Idiomata assumtæ humanæ Naturæ Communicari, si Communicentur. Quod ipsum nos quoque Utraque manu accipimus. Sin verò posteriore respectu phrasis (Realiter Cōmunicari) intelligatur, nempe περὶ τοῦ τρόπου κοινωνίας de Modo Communicationis: ibi simplicissimè negamus, Communicationem esse Essentialem: Quare quia hæc Communicatio non sequitur Naturam ipsius rei Communicatæ: sed sequitur Modum ipsius Unionis. Iam verò Unio non est Essentialis: sic enim tota Trinitas esset incarnata: imò Natura Humana coaluisset in divinam: sed est Personalis: Quia persona τοῦ λόγου assumsit in suæ ὑποστάσεως κοινωνίαν Humanam Naturam, sine ulla naturarum Confusione aut exæquatione. Qualis ergo Modus Unionis, talis etiam modus Communicationis statui debet: nempè PERSONALIS: qui cum verus quidem, sed non Physicus sit: ideò Realis appellari meruit, ut sic à fictitio & verbali Communicationis modo discerneretur.

Notent

Notent autem ſimul Theologiæ Studioſi, quomodo in hac argumentatione Sadeel manifeſtè ſeſe prodat, quòd non credat Humanam Naturam perſonaliter eſſe unitam λόγῳ. Contendit enim ideò proprietates divinas non poſſe communicari, quia ſint ipſa λόγου eſſentia: Hinc ſic argumentor.

Si ideò proprietates divinæ λόγου aſſumtæ Carni non poſſunt communicari, quia ſunt ipſa Eſſentia divina τοῦ λόγου: certè neque ὑπόστασις & ſic neque λόγος ipſe Carni per Unionem eſt communicatus: Quia ὑπόστασις & proprietates τοῦ λόγου nihil planè differunt.

At prius ex ſententia Sadeelis verum: Ergo & poſteriùs; nempè Sadeelem Unionem carnis cum λόγῳ non credere.

Inſtantia X.

Quemadmodum diſtinctio Naturarum & Proprietatum utriusque Naturæ dicitur Realis, hoc eſt, Eſſentialis: Ita cùm dicitur, Realis proprietatum communicatio; perindè

perindè est, ac si Essentialis Proprietatum Communicatio diceretur.

Responsio.

INitiò probandum est Sadeeli, parem utrobique esse rationem quòd quemadmodum Naturæ earundemq; proprietates Essentialiter sive Naturaliter sunt distinctæ: Ita proprietates quoque Essentialiter sive Naturaliter sint Communicatæ. Nos enim hanc Identitatem utriusque propositionis simpliciter negamus: Rationem Negativæ petimus ex ipsa Unione Personali duarum Naturarum in Christo. Quemadmodum enim non sequitur: Naturæ ipsæ à se mutuò distinctæ sunt Essentialiter sive Naturaliter: Ergo ipsa quoque Unio est Essentialis & Naturalis: sic nullo pacto etiam quoad Communicationem & Naturarum & proprietatum (hæc enim imitatur Naturam Unionis) sequitur: Naturæ & earundem proprietates sunt distinctæ Essentialiter sive Naturaliter: Ergo etiam sunt Communicatæ Naturaliter sive Essentialiter. Quin imò si hoc modo Communicatæ essent: certè eo modo non essent distinctæ. Nam uno eodemq; modo

modo ac respectu esse distinctum, & esse commune, id profectò ἀντίφασιν contradictionem implicat.

Proindè ex falsa hypothesi procedit argumentatio Sadeelis: contra verò nostra assertio stat adhuc firma & inconcussa: nempè Realem esse communicationem, hoc est veram: non autem Essentialem.

Cuius rei explicandæ exemplum nostri ex Articulo Trinitatis petiverunt. Quemadmodum enim in mysterio Trinitatis, Personæ differunt Realiter; non verò Essentialiter: sed Essentiâ & Naturâ Unú sunt: Sic in persona Christi unitæ sunt Naturæ, Divina & Humana Realiter: quas tamen Essentialiter, sive Essentiali Unitate copulatas & unitas esse, Christiana Religio simpliciter negat. Proindè possunt quædam Realiter inter se differre; quæ tamen non differunt Essentialiter. Et rursus: possunt quædam Realiter communicari, quæ tamen non Essentialiter communicantur: Sed verè tamen: ita quidem, ut non periclitetur illud philosophicum à Sadeele productú τὸ ὄν καὶ τὸ ἀληθὲς ἀντιστρέφεται.

Sed excipit Sadeel adversus hoc exemplum in hunc modum: *In Trinitatis mysterio non idem planè designat Persona, quod Essentia: sed notat τρόπον ὑπάρξεως: ac proindè tùm Realiter non est idem, quod Essentialiter: At verò proprietates Deitatis sunt ipsa DEI Essentia. Ergo hinc fit, ut Realitas divinarum proprietatum sit ipsa divina Essentia: ac proinde Realis proprietatum divinarum communicatio sit ipsius divinæ Essentiæ communicatio.*

RESPONSIO.

PErsonam & Essentiam in divinis τῷ λόγῳ differre, quis est, qui ignoret? Anne verò propterea similitudo nostra corruit? Minimè verò: sufficit enim indè demonstrasse, posse aliquid Realiter differre, quod tamen non differat Essentialiter: ac proindè τὸ Reale & τὸ Essentiale non esse ἀντιστρέφοντα: uti hactenus magno conatu inferre voluit Sadeel. Deindè verò rursum ludit Sadeel æquivocatione Realitatis: Quando enim dicit Realitatem divinarum proprietatem esse ipsam Essentiam

ſentiam divinam (id quod nemo noſtrum negat) tùm τὸ Reale intelligit pro ſubjecta materia, Eſſentialiter. Quando verò mox hinc vult colligere, Realem proprietatum divinarum communicationem eſſe ipſius Eſſentiæ communicationem: tùm per æquivocationem ſupra explicatam vel intelligit Rem ipſam communicatam: vel communicationis Modum: ſi Rem ipſam intelligit, ſanè non negamus, per Unionem λόγον communicaſſe aſſumtæ Humanitati ſuam Naturam, & ſic Eſſentiam divinam ſed, Relatè conſideratam, vel quod idem eſt charactere hypoſtatico limitatam. Sin communicationis huius modum intelligit: tùm falſiſſimum eſt conſequens, petitum ab Eſſentia rei communicatæ: ad modum communicationis: haud ſecus ac ſi quis argumentari vellet: Anima eſt Spiritus: Ergo communicatio proprietatum Animæ quæ fit Corpori, eſt Spiritualis. Nam uti jam ſupra oſtenſum, Modus communicationis ſequitur propriam ſuam originem: quæ eſt ipſa Unio: non certè Eſſentialis: ſed perſonalis & Realis.

Tandem argumentum hoc Sadeelis tàm efficax eſt ad probandam Eſſentialem Unionem: quàm ad Eſſentialem aſtruendam communicationem: in hunc modum:

Proprietates Divinitatis ſunt ipſa DEI eſſentia.

At verò proprietates λόγȣ non poſſunt niſi Eſſentialiter aſſumtæ carni communicari.

Ergo neque Eſſentia divina (Relatè in Filio conſiderata) quæ à perſona λόγȣ tantùm Ratione differt, potuit carni aſſumtæ communicari per Unionem, niſi Eſſentialiter: ac proindè Unio duarum Naturarum in Chriſto eſt Eſſentialis.

Utraque præmiſſarum Sadeelem agnoſcit defenſorem: Ergo & Concluſio.

Inſtantia XI.

Si (Ubiquitarij) *vi Realis communicationis, velint corpus Chriſti dici Omnipræſens: velint igitur neceſſe eſt, corpus, Chriſti dici Eſſentiam DEI, & DEVM ipſum, quod abſit.*

RE-

RESPONSIO.

PRocedit argumentum ex falsa hypothesi; quâ fingit Sadeel, quod τῦ λόγυ Omnipræsentia, quâ assumtæ Humanitati Ubique in administratione hujus Universi, adest; nihil sit aliud, quàm ipsa τῦ λόγυ essentia. Quam ipsam hypothesin in sequentibus ceu ἀυτόπιστον καὶ ἀναπόδεικτον aliquoties repetit & fundamenti quasi loco præsupponit. At verò Omnipræsentiam τῦ λόγυ, quâ jam per assumtam humanitatem creaturis adest, extra omnem omnium locorum respectum; esse ipsam λόγυ Essentiam, Orthodoxus nemo unquàm concesserit. Nam ratione huius Omnipræsentiæ quam per assumtam humanitatem ad extra exerit, adest rebus aliis à se distinctis: Ratione verò Essentiæ SIBI est, quod est.

Deindè Omnipræsentiam hoc modo, ratione actus secundi, consideratam, non ad Essentiam simpliciter, sed ad Essentiæ præsentiam, pertinere, vel hinc patet, quia hæc ipsa præsentia differentes modos atque gradus revera suscipit: id quod ne ipsi quidem negare possunt Sacramentarii. Aliter enim adest creaturis

in genere omnibus secundum Universalem sustentationem: aliter adest fidelib. κατ' ἐνέργειαν τῆς χάριτος: aliter adest in Cœna: ut jam reliquos præsentiæ gradus silentio involvam. Quos certè distinctos grad⁹ cùm ipsa per se Essentia λόγου non recipiat: quippè prorsus immutabilis: utique in confesso jam est, Omnipræsentiam, quam λόγος per Humanitatem verè ac realiter (mediante κοινωνίᾳ Idiomatum) respectu Creaturarum exerit, non esse ipsam simpliciter Essentiam τοῦ λόγου. Quo demonstrato, rursum evanescit structura argumenti Sadeeliani, quippè ex falsâ præsuppositâ hypothesi petitum.

Instantia XII.

Qui vocabula & phrases veterum Doctorum, contra ipsorum sententiam usurpant, illi ex suo commento, non autem ex veterum sententia ratiocinantur.

At verò hoc faciunt Vbiquitarij: Ergo.

RESPONSIO.

Concedimus totum argumentum,

&

& magnas gratias agimus Sadeeli, quòd apertè testimonium perhibet nostræ doctrinæ, illam à doctrinâ veterũ Scholasticorum, (Hos enim ipsum intelligere, jam aliquoties ex ejus ore audivimus) esse alienam. Cæterum quòd hanc ipsam doctrinam nostram commentum nominat, id Calumniæ loco reputandum. Et novimus idem obtigisse doctrinæ Christi & Apostolorum. Quare non moramur istos latratus: Certi enim sumus nostram doctrinam adversus portas inferorum fundatam esse in scripturis: approbatam etiam ab Orthodoxa Antiquitate: quantumuis fremat orbis & Orcus.

Instantia XIII.

In propositionibus istis. (Dominus gloriæ fuit crucifixus: Deus suo sanguine acquisivit Ecclesiam: Manus nostræ contrectaverunt verbum vitæ, & consimilibus) *Communicatio proprietatum non est Realis: alioqui Deitas fuisset realiter crucifixa, haberet Realiter sangvinem, esset realiter*

Contrectabilis: & similia ABSVRDA, quæ piæ aures aversantur.

RESPONSIO.

ERgo, neque Realiter Verbum caro factum est; quia & hoc stoliditati rationis nostræ absurdum videtur, quod nimirùm λόγος sit factus caro. Ioh. *1,14.*

Sed ut ad propositam materiam directè respondeam, affirmo in illis ipsis propositionibus à Sadeele productis communicationem esse Realissimam, juxta proprietatem primi generis communicationis Idiomatum, quod veteres *ἰδιοποίησιν* appellitare consueverunt. Etsi enim pati, crucifigi, mori & id genus alia solius humanæ naturæ sunt idiomata: quia tamen λόγος Naturam humanam non exutam, sed indutam suis proprietatibus, personaliter sibi univit, ac intra suam hypostasin eam assumsit: iccirco ipsam sic assumendo, propria quoque ejus sibi, uti veteres locuti sunt, verè & realiter appropriavit: ut iam non seorsim assumta Humanitas passa fuerit & crucifixa: seorsim verò alibi interim extiterit λόγος, nihil commercij habens cum passi-

passione & Crucifixione assumtæ suæ Humanitatis: Sed tota persona, quæ & Deus & Homo est, vi Unionis & Communicationis huius vere passa, & crucifixa sit verè ac realiter: non (uti Sadeel blasphemè contendit) verbaliter tantum, quoad λόγον, usque adeò, ut sanguis pro nobis effusus, verè ac realiter fuerit sanguis Filij Dei: quantumvis hoc Sadeeli absurdum videatur. Nostra enim postulabat Redemtio, ut Devs ipse non relatione quadam: multò verò minùs verbali tantùm prædicatione seu phrasi: sed vere ac realiter pateretur in Carne assumta (quæ est ipsius λόγου Caro, cum quâ etiam suam ὑπόστασιν Communicavit) verè item, ac realiter pro nobis in mortem traderetur. Unde rectè B. Lutherus noster in tractatu de Concilijs, adversus istam Calvinianam impietatem, sic inferre voluit: Nos Christianos hoc scire convenit, nisi Devs vna lanci impositus, pondus largiatur (passioni Christi) tùm nos nostra lanci in abyssum demergi: Quod ita velim intelligi: Nisi statuendum esset, Devm pro nobis mortuum esse, sed nudum duntaxat Hominem, actum esset de

 salu-

salute nostra. Quando verò Dei mors, adeoque Deus pro nobis mortuus, lanci incumbit, tum ipse quidem sua lance descendit: nos verò nostrâ, veluti levi atque vacuâ lance in altum evehimur.

Quod ipsum ante Lutherum nostrum, D. etiam Athanasius docuit & scripsit in Epistola ad Epictetum: *Quæ* inquiens, *humanum patiebatur Corpus, hæc eadem Verbum, quod Corpori coniunctum erat, ad se referebat, ut nos liceret Deitatis verbi participes fieri. Atque illud ipsum perquàm mirum fuit, eundem fuisse & patientem & non patientem. Patientem quidem, quatenus ipsius proprium corpus, in quo erat, patiebatur: Non patientem verò, quatenus ex Natura DEUS immutabilis erat, ipseq; incorporeus, in Corpore patibili existebat, Corpusq; vicißim Filium DEI impatibilem retinebat, absumentem Corporeas infirmitates.*

Et nisi cum Sadeele Naturas Christi in morem Nestorij dirimere velimus: certè vel ipsa personæ Unitas requirit, ut passio, crucifixio, mors non soli Humanitati, sed toti personæ, quæ Deus etiam est, adscribatur secundùm regulam illam: Actiones & passiones non sunt Naturarum sed totius personæ.

Sed

Sed mox insurgit Sadeel: *Si secundum hanc responsionem* Deus *passus, sed non Deitas*, vel ut ipse loquitur, *Si DEUS dicitur crucifixus, reali quidem Communicatione, sed in persona, non autem in divinâ naturâ: Quid obstat igitur, quò minus idem dicant de Omnipræsentia: nempè ut ipsa persona dicatur Omnipræsens, non verò Humana Natura.*

Respondeo, Imò verò plurimùm obstat. Etsi enim mutuam esse communicationem Idiomatum constanter asserimus; quemadmodum hactenus etiam ex scripturis & antiquitate Orthodoxa evicimus: minimè tamē utrinque par est ratio: sed diversitatem maximam parit ipsarum Naturarum diversitas. Deitas enim est immutabilis: ac proindè ἀπαθὴς passionum & affectionum Carnis planè expers. Qua de Causa etiam non Deitas, sed Deus κατὰ σάρκα, sive ἐν σαρκὶ passus esse dicitur. At verò vice versa Humanitas mutabilis est, & in meliorem statum ac conditionem per gratiam Unionis ab assumēte λόγῳ evehi potuit. Unde altera emergit diversitas: Quod nimirum divinitatis est dare: Humanitatis verò accipere: secundum illud Athanasij, Orat. 5. contra Arianos:

Non

Non Caro ignominiam attulit verbo DEI: Absit: Sed potius Caro per verbum DEI glorificata est, Et illud Augustini: *Injuria sui Corporis affectam non fateor Deitatem, sicut Maiestate Deitatis glorificatam novimus Carnem.* Quæ sanè diversitas facit, ut non liceat dicere passam esse Deitatem: uti affirmare licet, Ipsam Humanam Carnem factam Deitatis participem, esse omnipotentem, omniſciam, Omnipræsentem: &c.

Et hæc quidem in genere de Communicatione Idiomatum adversus Sadeelis φλυαρίας dicta sufficiant: ex quibus adversus insequentem disputationem ἐλεγκτικὴν solidissimæ peti possunt responsiones: usque adeò, ut supervacaneum fermè videatur, ad singula argumenta, quæ iam producit Sadeel in specie respondere. Verum ut hac etiam parte lectori satisfaciamus, & ne quid integræ Tractationi desit: sequemur utique Sadeelem secundum præscriptum Symboli Chalcedonensis, (uti quidem ipse insolenter gloriatur) hunc in modum argumentantem.

DIS-

DISPVTATIO ἐλεγκτικὴ SADEELIS adversus Realem Communicationem Idiomatum.

Argumentum I.

Nihil quod eius rei de qua agitur Naturæ repugnat, Reale dici debet. Communicatio proprietatum, quam isti (Ubiquitarij) *proponunt, ipsius Vnionis Hypostaticæ Naturæ repugnat:* Hæc enim Natura Unionis huius, ut utrique Naturæ servẽtur suæ proprietates. Isti (Ubiquitarij) autem volunt Deitatis proprietates communicari Carni Christi: hoc est, conferri in ipsam Christi Carnem: ita ut communes fiant:) proprium autem servari & proprium communicari, ἀντιφατικῶς dicitur. *Quare Communicatio proprietatum quam isti introducunt, in Vnione Hypostatica, Realis dici nõ potest.*

Responsio

Acropolis hæc est Gentis Sacramentarij, ex qua Realem Idiomatum Communicationem convellere & evertere se posse sperat. Proinde gradatim progrediemur, ut singula acuminis Calvinistici momenta accuratius cognoscamus, & diluamus.

Ac

Ac initiò quidem maiorem propositionem Sadeel iudicat esse ἀυ]όπιςον, & extra omnem dubitationis aleam positam: Quare de eius etiam probatione minimè sibi laborandum esse censuit. Iam verò ea hoc in mysterio planè claudicat. Quod si enim nihil Reale dici debet, quod eius rei, de qua agitur naturæ repugnat: Ipsa profectò etiam Unio Hypostatica Realis, hoc est, vera dici nec potest nec debet. Quid enim magis pugnare videtur, quam Deum fieri Hominem: & Hominem fieri Devm? At verò cùm hoc sit absurdum & blasphemum, manifestũ est per solam hanc instantiam, Maiorem propositionem funditus everti.

Deindè quoad Minorem, ne illa quidem ullius est teruntij. Nam quòd Ubiquitarios docere asserit, proprietates Deitatis ita communicari Carni Christi, ut in ipsam Christi carnem conferantur, & communes fiant: rursus sophista circa suum commentum aberrat. Si enim de physica illa Cõmunicatione ageretur, quam nobis falsò affingit Sadeel, quâ ex Uno subiecto in alterum transfunduntur Idiomata, tum obtineret quod vult. Nam nos quoque libenter admittimus axioma illud tàm Ecclesiasticum quàm physicum

Propria

propria non egrediuntur sua subiecta: Item: *Proprium est immobile, nec manet propriũ, quod movetur & excidit*. Ἀκοινώνητον ἡ ἰδιότης· εἰ πῶς μένει ἰδιότης, καὶ κινουμένη, καὶ μεταπίπτουσα, uti loquitur Damascenus: Quo ipso respectu libẽter etiã admittim⁹ axioma Sadeelis nostri: *proprium servari, & proprium Communicari ut alterius naturæ fiat proprium*, ἀντιφατικῶς *dicitur*. Ac proinde hoc pacto, propria divinæ naturæ Carni assumtæ simpliciter negamus communicari, ut eius fiant propria.

Cæterum non indè statim est Consequens: Ideò propria divinæ naturæ nullo prorsus modo posse communicari: aut cum communicantur, mox desinere esse propria. Nam quæ divinæ naturæ sunt propria, non ita humanæ naturæ communicantur, ut huius propria fieri incipiant sed quod divinæ Naturæ proprium est, fuit atque erit, sive manebit in omnem æternitatem: id vi Unionis personalis in tempore communicatum est assumtæ humanitati, non ut eius fieret Essentialis proprietas: sed ut id ex gratia possideret: quemadmodum illud supra tùm ex scripturis, tùm ex Orthodoxa antiquitate confirmavimus.

Proce-

Procedit ergo tota hæc argumentatio ex falsa hypothesi, quæ fingit, Propria unius rei, nullo prorsus modo alio, quam Physico & Essentiali posse communicari. Ac proinde, illud obtingit Sadeeli, quod Aristoteles lib. *1.* de Cœlo. cap. *11.* scribit. Ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχειν, ἄν τις τῷ διαιρουμένῳ πολλαχῶς, ὡς ἀδιαιρέτῳ χρῆται: ἄδηλον γὰρ κατὰ ποίαν φύσιν αὐτῷ συμβαίνει τὸ λεχθέν: *Incertus sit animus & infinitè feratur necesse est, si quid eo, quod multis modis dicitur, perindè ac si ambiguum non esset, utatur. Sic enim manifestū nō est, secundum quam significationē id quod dictum est, intelligatur.* Nam apud ipsos quoque Philosophos τὸ Communicabile est ὁμώνυμον: aliud μεθεκτὸν, quod participatione quadam definitionis alteri inest: Quo pacto nullum proprium Communicari certum est: Sic enim proprium, suum egrederetur subiectum; & proprium non amplius esset proprium: id quod ἀντίφασιν implicaret: Aliud est κοινωνητὸν, quod communicari sive copulari cum altero potest. Quam Communicationem philosophi συνδύασιν sive copulationem appellare solent.

Digitized by Google

ſolent. Ut, exempli gratia, propria ignis ſunt urere & lucere: quæ κατὰ μέθεξιν ſive definitionem ferro nunquam communicari poſſunt: ac proindè ferrum eorùm μεθεκτὸν ac particeps abſolutè non eſt. Verùm per κοινωνίαν ſive συνδύασιν propria illa Ignis ita ferro communicari poſſunt, ut ferrum magis adurat, quàm ignis per ſe.

Quapropter Sadeelis argumentum quoad priorem ſignificationem verum eſt: ut, quicunque ſtatuit, humanam Chriſti naturam μετέχειν, & ſecundum ſuam definitionem participem fieri proprietatum divinæ naturæ: is contradicentia ſtatuat. In ſecunda autem ſignificatione, quæ κατὰ συνδύασιν & copulationem propria communicari docet, falſum eſt, & nihil prorſus concludit.

Argumentum II.

Nihil quod eſt Eſſentia divina, rei creatæ communicari poteſt. Omnipræſentia eſt Eſſentia divina. Ergo non poteſt communicari rei creatæ Corpus autem Chriſti creatum eſt.

Responsio.

ARchilleum certè argumentum, quo ad evertendam ipsam Unionem duarum naturarum in Christo vix quicquam validius excogitari potest, modò in Minore propositione subiecti locum obtineat Persona τῦ λόγυ, in hunc modum: Nihil quod est essentia Divina, rei creatæ cõmunicari potest. Ergo neque ipsa ὑπόστασις τῦ λόγυ communicari ac proindè neque Uniri cum carne potuit. Ratio consequentiæ stat firma: Quia ὑπόστασις τῦ λόγυ, & Essentia divina, proprietate characterstica filij limitata, reipsa non differunt. Patet verò hinc falsitas Majoris propositionis: Cui hanc contradictoriam opponimus: Essentia Divina, relatè in Persona Filij considerata, potest communicari imò realiter communicata est assumtæ humanitati, quæ est Creatura. Neque enim ὑπόστασις τῦ λόγυ ab ejusdem divina Essentia ita potest segregari, ut illa quidem humanæ in Christo Naturæ credatur hypostaticæ juncta: hæc verò non item: sic enim in ipso λόγῳ duo quædam realiter discre-

pan-

pantia essent, quod cum absolutissima ipsius simplicitate manifestè pugnat.

In Minore, sub æquivocationis integumento involutus latitat, Sadeel, ut suæ πανȣργιάς mysterium commodius palliare queat. Aut enim Omnipræsentiam intelligit, quatenus intra ipsam τȣ̃ λόγȣ Essentiam, tanquàm Actus purissimus ac simplicissimus ea versatur: Aut quatenus per communicationem λόγος actu quasi secundo suam Omnipræsentiam exerit. Priore respectu verum est, Omnipræsentiam esse ipsam Essentiam divinam τȣ̃ λόγȣ: siquidem proprietates divinæ cum Essentia divina hoc modo simplicissimè convertuntur. Posteriore respectu falsum est Omnipræsentiam quatenus jam actu secundo foras progreditur, & λόγος vel assumtam Humanitatem ubiquè præsentissimè secum habet: vel Creaturis extra omnem locum adest; esse ipsam Essentiam divinam τȣ̃ λόγȣ: quippè quæ omnis prorsus distinctionis est expers.

Nam uti supra etiam ostensum, λόγος ratione Essentiæ *SIBI* est, quod est.

Ratione præſentiæ adeſt alijs à ſe diſtinctis extra omnem locum: id quod nón ad Eſſentiam ſimpliciter, ſed ad Eſſentiæ præſentiam pertinere, paulo antè in Refutatione Inſtantiæ undecimæ demonſtravimus.

Quæ poſtmodum ſubjicit Sadeel, ea nudam habent petitionem principij: probandum enim ipſi eſt, proprium non poſſe alio, quam Eſſentiali modo communicari: Diverſum iam antè oſtenſum.

Deindè quòd delirat, Eſſentiam non poſſe communicari, niſi Eſſentialiter, in Theologia prorſus abſurdum eſt. Hoc enim pacto Unio duarum naturarum in Chriſto non amplius dicenda eſt perſonalis: ſed Eſſentialis: Siquidem ſecundum hypotheſin Sadeelis Eſſentia non poteſt communicari, niſi Eſſentialiter. Iam vero Religio Chriſtiana credit & confitetur non perſonam tantùm, ſed & Eſſentiam τȣ̃ λόγȣ, proprio charactere determinatam, aſſumtæ carni eſſe Unitam & Communicatam. Quare argumentatio iſthæc eſt vaniſſima, & (ut quod verum eſt dicam) aërem tantùm verberat.

Ar-

Argumentum III.

Si Deus dicitur ubique esse, quia omnia continet, fovet, sustentat (est enim Creator) Et corpus Christi non omnia continet, fovet sustentat, (est enim Creatura) Ergo Omnipræsentia divina non potest communicari corpori Christi.

RESPONSIO.

MInor, quæ τὸ κρινόμενον & Medium probationis continet facile admittitur, si Natura humana, sive corpus Christi consideretur ex naturæ proprietate. Sin verò consideretur, quatenus in persona τοῦ λόγου subsistit: Tùm est falsissima. Subsistit enim Caro Christi extra omnem locum in ὑποστάσει τοῦ λόγου, imò evecta & collocata in solium Omnipræsentis & Omnipotentis dexteræ ac Maiestatis divinæ, omnes creaturas sibi habet subiectas, usque adeo, ut nihil sit omissum, quod ei subiectum non sit. Ephes. 1, 20. Hebr. 2, 8. id quod hactenus aliquoties ostensum.

Et sic argumentum istud ullius esset ponderis, certè non modo adversus Omnipræsentiam: sed & adversus vim

vivificandi, quam tamen CARNI suæ in abstracto Christus adscribit, Ioh. 6, 55. militaret. Quâ igitur virtute, Christi caro obtinet, ut sit vivifica: eâdem etiam habet, ut sit Omnipræsens: nempè per communicationem proprietatum divinarum λόγȣ, quæ tanquàm Effectus resultat ex Unione Personali cum λόγῳ. Quod dùm non attendit, Sadeel, fit, ut disserat de hoc mysterio, non ut Orthodoxus, sed ut hæreticus.

Argumentum IIII.

Si corpori Christi realiter communicatur, ut sit Omnipræsens, illa Omnipræsentia, aut est Corporalis, aut Spiritualis. Non est Corporalis, quia non videtur Corpus, nec tangitur, nec corpus Christi deposuit hanc proprietatem, ex his verbis, contrectate me, & videte, inquit. Non est Spiritualis, quia corpus non magis potest esse præsens præsentia Spirituali, quàm Spiritus potest esse realiter præsens, præsentia corporali.

Hoc argumentum qui negat, ipsam RERVM NATVRAM neget, necesse est.

RESPONSIO.

Quid audio? Ergone SECVNDVM RERVM NATVRAM mysterium Unionis Hypo-

Hypoſtaticæ eſt metiendum & dijudicandum, ac quicquid cum hac non quadrat, mox ex agro & finibus Eccleſiæ tanquam hæreticum extirpandum, eliminandum? Gratias profectò agimus Sadeeli maximas, quòd tanquàm ſacramentariorum Nicodemus planè ac perſpicuè prodere voluit id, quod gens Calviniana diu multumq; ſub pectore clauſum fovebat, nempè, ipſam RERVM NATURAM hoc in myſterio explicando unicè eſſe audiendam & ſequendam: Ad cujus guſtum & palatum cùm non ſapiat Omnipræſentia Chriſti ſecundum aſſumtam humanitatem: ideo eam ſimpliciter eſſe negandam. En tibi fidem & Religionem Calviniſticam, quæ non fide amplius, ſed naribus, oculis auribus, ac pedibus comprehendi debet: En porrò tibi egregium principium, quo ſingula & univerſa Religionis Chriſtianæ myſteria uno impetu evertere queas: Nihil enim iſtorum omnium ad *RERVM NATVRAM* quadrat. Vos Sacramentarij reliqui accurritè quæſo & ſuppetias ferte Sadeeli veſtro, qui à Religione Chriſtiana, non ad hæreticorum, ſed Epicuræorum caſtra plenis habenis modò proſilijt, & per deteſtandam defectionem univerſam fidem Chriſtianam nefariè prodidit.

Sed

Sed Respondemus etiam ad Rem, nempè in argumento committi ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως, insufficientem enumerationem modorum, quibus aliquid adesse potest: Dari enim potest modus tertius, & mysterio Unionis proprius ac singularis, quem *PERSONALEM* nominamus, qui Modus neque est corporalis: Manet enim corpus Christi, quantumvis Omnipræsens, verum corpus, certis suis dimensionibus præditum: neque etiam ea ratione est Spiritualis, quâ Angelici Spiritus definitivè alicubi esse dicuntur: Sed verus est ac Realis, qui dependet âb ipsa Unione: cujus etiam naturam (non verò *RERUM NATURAM*) unicè imitatur. Quemadmodum enim non corporali modo, neque Spirituali Angelicâ ratione, corpus Christi subsistit in hypostasi τοῦ λόγου: Sed *PERSONALITER* & *SUPERNATURALITER*, vel ut Ecclesia canit, *PRAETER RERUM SERIEM*: & quidem in ea subsistit extra & supra omnem conditionem Loci aut Temporis, retinens nihilominus proprietates veri corporis salvas & integras: Ita idem corpus Christi in hac ipsa ὑποστάσει τοῦ λόγου, neque modo corporali, neque Spirituali Angelico: sed

PER-

PERSONALI, SUPERNATURALI & TRANSCOELESTI Omnipræſentiâ eſt ubique. Quem modum ſi quis Spiritualem, (non quidem reſpectu habito ad Angelos, ſed conſideratione inſtitutâ ad ſpiritualiſsimam hypoſtaſin τῦ λόγυ, & dexteram DEI) appellare velit, nihil quicquam periculi metuendum.

De verbis Chriſti Luc. 24, 39. *contrectate & videte me* &c. ſupra prolixè egimus capite ſecundo, in explicatione Loci VII. Claſſis ſecundæ, pag. 170. Ubi ſimul adverſus ἀλογα Sadeelis principia phyſica, ad oculum demonſtravimus, τὸ videri & palpari non eſſe de Eſſentiâ & proprietatibus veri corporis: ac oſtendimus Sadeelem ex eorum eſſe numero, qui philoſophati ſunt, ſed paucis.

Argumentum V.

Nihil quod eſt æterna eſſentia, poteſt alicui realiter accidere.

Omnipræſentia eſt æterna Eſſentia.

Quare non poteſt alicui realiter accidere.

Digitized by Google

RESPONSIO

SI non pondere, ſaltem numero argumentorum victoriam ſeſe obtenturum ſperat Sadeel. Hoc enim argumentum idem eſt cum præcedente ſecundo, niſi quod loco divinæ Eſſentiæ ponit hoc loco Aeternam Eſſentiam: ubi tamen res eôdem recidit. Nam divina Eſſentia, eſt etiam æterna Eſſentia: & contra. Proinde eadem reſponſio hoc loco etiam tenenda, quæ ſupra ad argumentum ſecundum data fuit.

Jllud verò hîc notandum, quòd Sadeel per verbum (Accidere) videtur voluiſſe innuere nos Accidentalem ſtatuere communicationem Idiomatum: id quod partim Calumniam reſipit, partim ipſummet Sadeelem turpiſſimæ Contradictionis cõvincit. Quodſi enim accidẽtalẽ docemus: Cur ſupra tantis viribus Eſſentialem Communicationem ſibi expugnandam ſumſit? Rurſus, ſi Eſſentialem defendimus: Cur hic Accidentalem nobis impingit? Contradictoriè iſthæc eſſe oppoſita, ſine dubio ipſe quippè Contradictionum Magiſter & Cenſor exactiſſimus, intelligit. Eſſentialis enim Cõmunicatio Eutychianam: Accidentalis Neſtorianam hæreſin peperit.

At

Digitized by Google

At verò utramquem & Accidentalem & Eſſentialem Communicationem à noſtris Eccleſijs, & omnium piorum Cordibus exulare, certiſſimum eſt. Nam cùm attributorum divinorum Communicatio, quemadmodum & Unio ipſa, non ſeſe habeat ſecundum regularem ſive communem & uſitatum Naturæ ordinem: ideò neque Eſſentialis, neque Accidentalis eſt ſtatuenda: Sed Perſonalis: quam per σωματικὴν Inhabitationem definire voluit Apoſtolus, ratione nimirum Corporis Chriſti, in quo omnis plenitudo Divinitatis Perſonaliter inhabitat.

Quæ porrò de proprietatibus Naturæ Eſſentialibus, eiuſdemq; Circumſcriptione rurſum inſpergit Sadeel, ſufficientiſſimè ſupra fuerunt diſcuſſa in refutatione argumenti Decimi.pag. 325.

Tandem Cornuto ſyllogiſmo nos ferire conatur Sadeel, qui ſic ſonat: *Ea eſt Humanæ Naturæ ratio, ut neceſſe ſit ea, quæ illi tribuuntur, ipſi ineſſe.*

Quare, ſi dicitur Omnipræſens: certè Omnipræſentia ipſi inerit.

At non ipſi ineſt Eſſentialiter: Accidit igitur quod abſit: &c.

RESPON-

Respondeo. 1. Aberrat Sadeel παρὰ τὸ ἔλλιπές. Nam iam modò ostensum, nullam esse rationem consequentiæ, Essentialiter non inest Humanæ Naturæ Omnipræsentia: Ergo, Accidentaliter insit necesse est. Datur enim Tertium, nempè Personaliter, quod, uti antè explicatum, neque Essentiale est, neque Accidentale.

2. Fallit & fallitur sophismate Aequivocationis (quæ errorum mater est) in phrasi (inesse Omnipræsentiam Humanæ Naturæ) quæ duobus modis intelligi potest: Vel Essentialiter, habitualiter, formaliter, subiective: Quo sane pacto ullum Idioma Humanæ Naturæ communicatum esse, simplicissimè negamus. Neque enim vel Omnipræsentiam, vel reliqua Deitatis Idiomata ita Humanitati inesse dicimus, uti Sadeel hoc loco somniat, qui illud inesse ad subiectivam inhæsionem malitiosè detorquet: Quod nobis nunquam in mentem venit. Quemadmodum enim Humana Natura in seipsa non subsistit: ita neque in semetipsa habet subiectivè Omnipræsentiam: sed sicut subsistit in persona λόγου: sic in eadem personâ Filii habet

habet sibi Omnipræsentiam, & reliquorum divinorum Idiomatum Maiestatem (quam Paulus τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος appellat) communicatam. Qua sanè ratione, & quo respectu non tali Opus est Idiomatum divinorum in humanam Naturam effusione, qualem hoc loco necessariò requiri, fingit Sadeel.

Deinde verò phrasis isthæc (Inesse) intelligi potest secundum scripturæ explicationem, quam tradidit Apostolus, Coloss. 2, 9. In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter: ita quidē ut vi hujus inhabitationis, Humana Naturá verè ac Realiter, sit Omnipotens, Omnipræsens &c: ac proindè verè etiam & realiter, Idiomata divina de humana Natura prædicari possint; quemadmodum sanè vivificatio verè prædicatur de Carne Christi, licet hæc ipsa virtus non subjectivè: Sed personaliter ei communicata sit.

Argumentum VI.

Si Realiter Communicantur proprietates: Ergo Omnes: quia Deitatis proprietates sunt

ſunt realiter indiviſibiles & inſeparabiles: ſunt enim ipſa Eſſentia, quæ eſt ſimpliciſſima: Item quia ὁ λόγος ſe TOTVM realiter univit cum Humana Natura, Vnione hypoſtatica, propter quam Vnionem iſti volunt communicatas eſſe proprietates. Sunt igitur omnes communicatæ, aut, non ea vis eſt Vnionis Hypoſtaticæ, ut realiter communicentur proprietates, &c.

RESPONSIO.

TOtum Syſtema huius argumenti ſolidè ac perfectè diſcuſſum, refutatum & everſum eſt, ſupra mox à limine capitis tertij, pag. *229*. & ſequentibus: ubi prolixè & evidenter demonſtratum fuit, Quomodo omnia Idiomata divina aſſumtæ humanitati ſint communicata: neque tamen ea propterea æterna, infinita, increata, ſpiritualis, immenſa dici poſſit ac debeat. Et niſi de ſpiſſitudine magis libri, quàm ſoliditate argumentorum ſollicitus fuiſſet Sadeel totum hoc argumentum, & operoſam eius ἐπεξήγησιν hoc loco omittere potuiſſet, imò debuiſſet. Ego Lectorem candidum amanter rogatum volo, ut quæ hoc loco de Communicatione Aeternitatis, adverſus φλυαρίας Sadeelis dici poſſent,

possent, ex paginis iam modo citatis, mutuari & huc accommodare, suumq; judicium liberè ferre velit.

Pari ratione quod repugnare dicit, Humanam Naturam Realiter & actu simul esse finitam & infinitam: circa vetus suum sophisma & liripipium aberrat, quo fingit 1. Humanam Naturam non nisi per Essentiæ quandam infinitatem asse Ubique: 2. Realiter, nihil esse aliud quam Essentialiter. Quod utrumque tantum abest, ut statuamus vel doceamus, vt diversum potius plus centies hactenus demonstraverimus: ita planè ut pigeat me ad tàm crassa & toties protrita ac dissipata mendacia prolixius hoc loco respondere. Consulat Lector ea quæ ad argumentum secundum & Tertium supra pag. 267. & 271 diximus.

Cæterum Sadeel adversus nostras Responsiones, quibus sophismata Calvinianorum circa præsentem quæstionem de Communicatione Aeternitatis, eludere solemus quatuor potissimum modis excipit. Quæ sane exceptiones num ullo pacto nos feriant, libet altius cognoscere.

Exce-

Exceptio I.

Respondent se cum scriptura loqui, quæ Humanæ Naturæ non tribuit Aeternitatem. Atqui ab illis vehementer peto, ut itidem cum scriptura loquentes, Humanæ Christi Naturæ Omnipræsentiam non tribuant.

Responsio.

EGo verò vehementer peto à Sadeele ut conspicilia oculis admoveat, & vel duas tantum aut tres pagellas evolvat, de Omnipræsentia à nostratibus scriptas. Lippus certè, imo talpâ cecior sit necessum fuerit, nisi cum scriptura nos loqui deprehendat. Certè cum scripturâ loquimur, quando ex psalmo *110, 2.* affirmamus Messiam nostrum, secundum eam naturam, secundum quam bibit de torrente in via, ita esse exaltatum, ut dominetur præsentissimè in medio inimicorum suorum: Sic cum scripturâ loquimur, quando totum Christum secundum utramque naturam nobiscum esse credimus usque ad consummationem seculi: imo esse in medio eorum, qui sive duo, sive tres, sive plures congregati fuerint in nomine ipsius

Matth.

Matth. *10, 28.* Sic cum ſcriptura loquimur, affirmantes, Chriſtum ſecundum utramque naturam, ſecundum quam aſcendit *ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν*, & deſcendit in inferiores partes terras, Omnia implete: Eph. *4, 10.* Sic cum ſcriptura loquimur, Deum patrem, Chriſto ſecundum eam naturam, ſecundum quàm reſurrexit à mortuis, ſubjeciſſe omnia (*ergo & loca & locorum intercapedines ſive intervalla: Siquidem nihil exceptum quod ſubjectum ei non fuerit. Hebr. 2, 8.*) ſub pedibus ejus, & ipſum dediſſe Caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ: ut omnia in omnibus adimpleret. Eph. *1, 22.* Sic cum ſcriptura loquimur, aſſerentes Filium Hominis ambulare in medio candelabrorum, ſive Eccleſiarum. Apoc. *1, 13.* & cap. *2, 1.* imò dominari à mari uſque ad mare: & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Pſal. *72, 8.* Quorum teſtimoniorum omnium *ὀρθοδοξίαν* adverſus futiliſſimas ſtrophas & cavillationes Sadeelis, infra cap. *4.* invictè *σὺν θεῷ*, aſſeremus.

Exceptio II.

Reſpondent (ſcilicet Ubiquitarij) ***ſecundo: Non ſequi, ut quod de Uno Idiomate***

 dicitur,

dicitur, sit etiam de omnibus dicendum. Quia licet omnia Idiomata divina intra DEI essentiam sint Unum ἀδιαιρέτως, tamen quando considerantur respectu Naturæ Assumtæ humanæ, vel prout in Creaturis operantur, de illis differi distinctè &c: Obsecro te, (inquit Sadeel) *Christiane Lector, ecquodnám est istud distinguendi genus? possunt ne illæ proprietates divinæ unquàm extra Essentiam divinam considerari, cùm sint ipsa Essentia? Num aliquando aliquo respectu, aliquo tandem modo, possunt divinæ proprietates ita considerari, ut non sint unum ἀδιαιρέτως, idemq́, simplicißimum? Absit à nobis tanta blasphemia.*

RESPONSIO.

EGo itidem, Christiane Lector, Obsecro te,, ecquodnám est istud respondendi genus? Quis unquàm nostratium vel dixit, vel scripsit, vel cogitavit, proprietates divinas ita ad extra considerari, ut non sint, vel maneant unum ἀδιαίρετως, idemque simplicissimum cum ipsa Essentiâ divina? Hoc si nostri vel dixerunt vel scripserunt, ipse judicaverim illos hæreticissimos: Sin verò tale quid nihil ex ipsorum vel scriptis vel dictis probari poterit unquàm, uti

certè

certè potest nunquàm; & verò nihilominus absurdissimarum istarum impietum reos nos in foro totius Ecclesiæ proclamare Sacramentarij haud dubitant: statuerim ipsos omnium impudentissimos, levissimos, mendacissimos. Hoccine est disputare? Hoccine est viri boni fungi officio? Utinam ἐχεμυθίαν sibi ipsi potiùs indicerent, quàm sacra omnia vanissimâ sua Sophisticatione, & maledictis conspurcarent. Sed Deus videt & audit isthæc: & tandem judicabit.

Quoad Rem ipsam, Respondent nostri, Divina Idiomata ad extra considerari tùm, quando illa cum ipsa Essentia ἀδιαιρέτως & simplicissimum quid permanentia, certos effectus & quidé distinctos in creaturis producunt: ita quidem, ut Misericordia DEI alium effectum habeat, quàm Iustitia Dei: Omnipotentia alium effectum producat quã Omniscientia. Ubi certè qui negat Idiomata divina sic ratione Actus secundi sive effectuum distinctiorum considerata, nullam distinctionem admittere: is bardus planè sit, necesse est. Sic quoad præsens negocium de communicatione Idiomatum: proprietates divinæ τῦ Λόγου

cum ipsa ejusdem Essentiâ divinâ, sunt & manent in omnem æternitatem quiddam simplicissimum ταυτὸ: Quandò verò jam operantur respectu assumtæ Humanitatis: ibi certè distincta etiam prædicata, distinctas etiam ἐνεργείας sortiuntur: Aliam ἐνέργειαν Omnipotentia; aliam Omniscientia: Aliam Omnipræsentia: aliam vis vivificandi: Et tamen nihilominus intra ipsam Essentiam divinam τῦ λόγυ manent quiddam ἀδιαιρέτως, unum: siquidem Essentia divina est simplicissima & purisissima, omnemq; διαίρεσιν ratione sui respuit.

Exempli gratia: Deus condidit hoc universum & omnia quæ in eo sunt. Quæritur jam, Cujus proprietatis in Deo ἐνέργεια sit hic Effectus? Hìc respondent omnes Orthodoxi, imo Sacramentarij quoque, esse Effectum Omnipotentiæ divinæ: non verò Aeternitatis aut Spiritualitatis &c. Si jam porrò quæras: An per hunc Effectum Omnipotentiæ, sic distinctim (ratione Actus secundi) à reliquis proprietatibus divinis consideratum: statim Omnipræsentia DEI constituatur extra Essentiam divinam, ut non amplius cum reliquis proprietatibus

tibus divinis omnibus ſit quiddam ἀδιαιρέτως unum? Hic negativam non nos modo tenemus: Sed ipſi quoque tenent Sacramentarii, ut paſſim videre eſt ex diſputationibus Zanchij de Opere Creationis, & de tribus Elohim. Quod ſi verò in Effectibus ad Creaturas, Unius proprietatis divinæ ἐνέργεια diſtinctè, ſine ullâ divulſione ſimpliciſſimæ Eſſentiæ divinæ conſiderari poteſt: Quæ hæc profligata & execranda fuerit impietas, Idem in præſenti Quæſtione de Communicatione Idiomatum divinorum aſſumtæ Humanitati facta, nolle concedere? ut nimirùm λόγος per communicationem hanc, mediante Unione perſonali, in, cum, & per aſſumtam Humanitatem exerat verè ac realiter ſuam Omnipotentiam, Omniſcientiam, Omnipræſentiam, vim vivificandi: Aeternitem verò, immenſitatem & ſpiritualitatem non item exerat. Quia enim hæ ἐνέργειαι habent rationem actus ſecundi: ideò non dependent abſolutè, & ſimpliciter, ab Eſſentiæ divinæ ſimplicitate; ita quidem ut, ſi Una proprietas Unum aliquem certum Effectum exerat, mox reliquæ ad unum Omnes itidem neceſſariò ratione unius & ejuſdem Objecti,

Digitized by Google

ſuas proprias ἐνεργείας exerere neceſſariò debeant: Sed dependent à liberrimâ Eſſentiæ divinæ voluntate, quæ vel reſpectu aſſumtæ Humanitatis, vel reſpectu reliquarum Creaturarum, liberrimè prout vult, operatur: ut jam Omnipotentiæ Effectum: ut in Creatione: Iam Miſericordiæ: ut In redemtione generis humani: Iam Sanctitatis: ut in ſanctificatione, Effectum & ἐνέργειαν liberè exerat: Sic quoad Humanam naturam Christi, λόγος, ſecundum ſcripturam, exerat per illam verè ac realiter Omnipotentiam, Omniſcientiam: Aeternitatem verò non item. Quia ut illas exerat: hanc verò non item: Liberrimæ ipſius eſt voluntatis: quemadmodum ſupra fuſiùs oſtenſum, pag. 230. 246. & ſeqq. Quo ſanè reſpectu libenter etiam concedimus Sadeeli hanc proprietatum diſtinctionem, vel, ut ille loquitur, varietatem non eſſe in ipſa Eſſentiâ divinâ, ubi ſimpliciſſima regnat ἁπλότης ſimplicitas: ſed Eſſe in nobis, non tantum quatenus variè ac diſtinctè de DEO diſſerimus, ſed & quatenus ipſos diſtinctos Operationum divinarum effectus vel in nobis, vel in alijs creaturis deprehendimus.

mus. Vocatio Gentium (exempli loco) eſt Opus miſericordiæ DEI: Reprobatio Iudæorum, eſt Opus ſive ἐνέργεια iræ & juſtitiæ divinæ. Hæ diſtinctæ Operationes prædicantur de DEO, non tantùm quatenus nos diſtinctè eas enunciamus, ſive variè de illis loquimur: Sed & quatenus in diſtinctis Subjectis, diſtinctæ iſtæ ἐνέργειαι verè deprehenduntur.

Quibus ita conſtitutis in fumum abeunt omnes illæ conſequentiæ, quas ex falsò præſuppoſitis principiis haud magis ſolidè extruit, quam ille qui volebat ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν: ut habet Irenæus, lib. 1. adverſus hæreſes: cap. 41. Quales ſunt. 1. Quicquid eſt realiter Omnipræſens, eſt realiter æternum. 2. Verbum ſe totum communicavit Humanæ Naturæ: Quare ſi ideò Omnipræſens fuerit: erit etiam æterna. vide ſupra. p. 230. 246.

Quod porrò prolixe (nempè ad implendam chartam) diſputat de Operibus ad extra, *quod quidem variè in illis reluceat tùm bonitas, tùm Iuſtitia, tùm Omnipotentia Dei, & alia hujusmodi, quæ dicuntur divina Attributa: Sed ea tunc non conſiderentur ut ſunt proprietates divinæ Naturæ, atque adeò ipſa divina Eſſentia: ſed potiùs conſiderentur ipſarum proprietatum & ipſius Deitatis* Effecta &c:

istis omnibus percensendis jure optimo supersedere potuisset. Neque enim ista à nobis negantur: sed adversus stolidam Sacramentariorum hypothesin constantissimè urgentur, quâ fingunt, Fieri non posse; ut de quo prædicetur Omnipræsentiæ effectus: de eodem prædicetur etiam Omnipræsentia.

Quòd verò mox ab ista consideratione proprietatum Divinarum, quæ elucent in rebus creatis, argumentatur Sadeel ad ipsam Communicationem Idiomatum: nimis manifestè prodit animi morbum, quòd nimirum aliam præsentiam λόγου, quâ adest Humanitati assumtæ, non credat; quàm quâ adest alijs Hominibus, in quibus bonitas, Iustitia, Sanctitas elucet. Perge ita mi Sadeel: sic tuas rectè pasces oviculas.

Exceptio. III.
Sadeelis.

Respondent (scilicet Ubiquitarij) *tertio: Aeternitatem non immediatè Communicari Carni Christi, sed mediatè &c. Sed hac responsione se ipsi refellunt. Cùm enim Omnipræsentiam Carnis ad statum Majestatis referunt, necessum*

necessum est, ut si propter Maiestatem Caro dicitur Omnipræsens, dicatur etiam æterna. Et vicißim: si in statu Majestatis Caro Christi non dicitur æterna, non dicatur etiam Omnipræsens: Quandoquidem divina Majestas non magis est Omnipræsens, quàm æterna.

RESPONSIO.

Vetus hæc est cantilena, & crambe plus millies hactenus cocta, recocta. Et ne cum Sadeele ταυτολόγῳ ineptiam, remitto Lectorem ad Responsionem datam supra pagina aliquoties citatâ, *230.* & iam etiam paulò antè in secundæ Exceptionis Examine repetitam. Fundamentum autem distinctionis nostræ, quâ quædam Mediatè, quædam immediatè Carni Christi communicari dicimus, in eo consistit, quod quædam Idiomata divina sunt ἐνεργητικά: quædam non item. Et edisserat nobis Sadeel, Quamnam ἐνέργειαν immediatam *DEVS* unquàm aliquando exeruerit sola æternitate, aut sola immensitate sua. Nullam, nullam prorsus dare poterit: sed vel nolens fateatur necesse erit, Bonitatem, Misericordiam, Iustitiam, Omnipotentiam *DEI*,

esse æternam Bonitatem, æternam misericordiam. Ubi tamen Aeternitatem non Immediatè sed Mediatè prædicari de istis ἐνεργείαις, quis quæso non videt? Pari ratione etsi tota plenitudo Deitatis habitat in asſúmtâ Carne σωματικῶς: & sic Aeternitas quoque, Immensitas Spiritualitas in eadem nõ minus habitant. quàm Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, vis vivifica: Quia tamen illa Idiomata, nempè Aeternitas, immensitas, Infinitas, Spiritualitas, nõ sunt ἐνεργητικὰ: hæc verò (nempè Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia &c:) per assumtam Humanitatem sunt ἐνεργητικὰ: ideo fit, ut Humana Natura dicatur Omnipotens, Omnipræsens, Omniscia, vivifica: non verò dicatur Aeterna, Spiritualis, Increata, Infinita. Porrò queadmodũ in Operationib⁹ divinis respectu Creaturarũ verè dici potest: Bonitas qua nos DEVS salvat, est æterna Bonitas &c: Sic etiam in hoc præsente Mysterio, verè affirmari potest, Omnipotẽtia Cõmunicata Humanæ Naturæ Christi, est æterna Omnipotentia: & sic deinceps. Quo tamen pacto Aeternitatem Mediatè prædicari quisque, qui non planè stupidus est, facilè videt.

Qui-

Digitized by Google

Quibus ita diſcuſſis, evaneſcit Cavillum illud, quo ſomniat Sadeel. *Explicari nõ poſſe. Quid ſit Immediatè Cõmunicari.* Quomodo enim in ipſa Unione, (cuius reſpectu, Omnia omninò Idiomata Mediatè poſſunt dici communicata eſſe) alia Idiomata τȣ̃ λόγȣ ſint ἐνεργητικὰ, alia nõ: Quomodo item ἀνενέργητα (ſi ſic, reſpectivè ad actũ ſecũdũ, loqui liceat) prædicẽtur Mediatè, (mediantibꝰ nimirũ ἐνεργητικοῖς:) Quomodo denique ἐνεργητικὰ Idiomata, Immediatè (nõ ratione Unionis: ſed reſpectivè ad ἀνενέργητα) cõmunicẽtur: ſatis iã modò dictũ & explicatũ.

Tertullianus totꝰ hac in quæſtione eſt noſter, & quod ille affirmat, utraque manu accipimus. Teſtimoniũ Danielis c. 7. quod pro noſtrâ ſententiâ citamus, eludere conatur Sadeel, repetẽs conſuetum illũ κοκκυσμὸν, quo Gens Sacramentaria, audiẽs in ſcripturis Filio Hominis aſſignari divinã Maieſtatẽ; ſubindè crocitare ſolet, de perſona iſtud eſſe intelligendũ. O miſeri Sophiſtæ excutite vel tandem latebras Conſcientiarũ & cordiũ veſtrorũ, & guſtũ duntaxat candoris (qui viros bonos, & cumprimis Theologos decet) præbete, ac Categoricè & diſertè mentẽ veſtrã explicate: ſi ſecundũ

præſen-

præsentem Aphoriſmum Danielis: *Filio Hominis adducto ad Antiquum dierum, data eſt poteſtas, Honor, & regnum, poteſtas quidẽ æterna quæ non auferetur: & Regnum æternũ, quod non corrumpetur: verſu 7.* explicate inquam, ſi perſonæ Chriſti (quod ipſum & nos concedimus) data eſt talis divina & æterna poteſtas: Num reſpectu divinæ, an reſpectu humanæ, an denique reſpectu utriusque Naturæ ea data ſint. Nos ſecundum Naturam Humanam iſta perſonæ Chriſti data eſſe, cum ſcripruris explicamus: uti ſupra evidentiſſimis argumentis demonſtratum pag. 84. & ſequentibus: præſertim cum divinæ Naturæ, nihil prorſus, *VLLO RESPECTV.* in tempore dari potuerit.

Qualis verò æternitas poteſtatis **Filio huic Hominis datæ à Daniele definiatur, non ex Sadeelis ratiunculis: ſed ex ipſo Chriſto Servatore eſt diſcendum: qui Ioh. 17, 5.** ***ea ſe gloriâ ab æterno Patre Cœleſti glorificari petit: quam habuerit apud ipſum, priùſquam hic mundus eſſet:*** **Ubi certè non limitatam ſempiternitatem: Sed abſolutam DEI æternitatem notari, nemo pius inficiabitur.**

Exce-

Exceptio IIII.

Respendent (ſcilicet Ubiquitarij) *Carnem Chriſti dici æternam à poſteriori: quia gloria eius futura eſt Immortalis. Sed* (excipit Sadedeel) *illa immortalitas non eſt ea æternitas, de qua diſputamus &c.*

RESPONDEO. Quis negat hoc? aut cum quo pugnat *Sadeel?* Hoc ipſum enim quod hoc loco affirmat, concedunt & largiuntur etiam illi, qui hanc Reſponſionem urgent, non quidem primò, ac ſi in ea totum fundamentum Reſponſionis, conſiſteret: ſed tantum incidenter: nempe ut ſimul oſtendant Aeternitatem a poſteriori poſſe etiam prædicari de corpore Chriſti, ſalvâ eius manente Eſſentia.

Argumentum VII.

Cum unius naturæ proprietas alteri naturæ realiter communicatur, non ſervatur utriuſque naturæ proprietas. Nam, obſecro te, quid eſt proprietas? Quid eſt ſervari? Quomodo *SERVATUR* & manet *PROPRIUM*, id quod fit *COMMUNE?*

In

In Unione Hypostatica duarum naturarum in Christo unius Naturæ proprietas alteri Naturæ realiter communicatur. (ut illi dicunt:) *servatâ utriusque Naturæ proprietate.*

Quare ex ipsorum sententia, in Unione Hypostatica duarum Naturarum in Christo, non servatur utriusque Naturæ proprietas. servata utriusque Naturæ proprietate, hoc est. ipsum non est ipsum.

Responsio.

Rursum futili σκιαμαχίᾳ cum larvis digladiatur Sadeel, & veterem repetit κοκκυσμὸν, falsæ superstructum hypothesi, quâ somniat, Proprietates non nisi per Effusionem quandam, vel ut Philosophus loquitur nō nisi καθ' μέθεξιν cōmunicari posse: ac proinde ἀντίφασιν implicari, si propria statuantur cōmunicari, & tamen nihilominus manere propria. Verum cū ad Sophisma istud in refutatione Argumenti primi solidissimè sit responsū: neque Sadeel hoc loco quicquā novi proferat in mediū: haud profectô attinet pluribus de eo agere. Cōsulatur pag 391. & sequētes.

Argumentum VIII.

Si realis est Communicatio proprietatum, sequitur Naturarum in Christo exequatio & Confusio: quod absit.

Res-

Responsio

EAdem chordâ aberrat & hoc argumentum. Nam tùm demùm hoc commentum Exæquationis nobis iure imputari poteſt, ſi probatum prius fuerit, 1. duo iſthæc prorſus eſſe paria ſive æqualia: videlicet eſſe Naturaliter ipſam Omnipotentiam, Omniſcientiam Omnipræſentiam &c. & non eſſe Omnipotentiã ipſam, ſed duntaxat ex virtute & Unione alterius naturæ participare omnipotentiam. 2. propriũ unius rei, nó niſi πρώτως primò, & κατὰ μέθεξιν per definitionẽ poſſe alteri rei cõmunicari.

Quoad prius illud, nõn modò illud hactenus à Sacramentarijs probatum non eſt: ſed vix quiſquam adeò ad prodigium uſque fuit vel erit abſurdus, qui duo illa paria eſſe affirmaret. Cum igitur Humanitas Chriſti nõ ſit (quemadmodũ Divinitas) ipſa Omnipotentia, Omniſcientia, Omnipræſentia, &c: ſed per Communicationem ſive per & propter Unionem cũ verbo, atque ſic per gratiã divina iſthæc Idiomata acceperit: palàm certè fit, Humanitatẽ Chriſti per Communicationem divinorũ iſtorũ Idiomatũ, neutiquam exæquari divinæ Naturæ. Demõſtrarũt aliquatenꝰ Orthodoxi Reſpõſionis huiꝰ certitudinẽ per ſimilitudi-

nem

nem petitam ab Unione Naturali Corporis & Animæ. Quemadmodum enim non propterea Corpus exæquatur Animæ, licet in κοινωνίαν proprietatum Animæ, Vitæ ſcilicet, & vitalium actionum perveniat: ſic Humana Natura Chriſti, per Realem κοινωνίαν divinarum proprietatum, Divinitati nullatenus exæquatur: ſed tùm Naturarum tùm proprietatum Realis manet diſtinctio. Nam λόγος per Naturam; Humana autem Natura per Unionis gratiam: λόγος Eſſentialiter; Humana Natura Perſonaliter: λόγος in ſe ipſo: Humana Natura non in ſeipſa (ſubiectivè) ſed in perſona τȣ̃ λόγȣ eſt Omipotens. Quantum ergo differunt Eſſe & Habere: tantum differunt ſecundum divinitatem, & ſecundum Humanitatem eſſe Omnipotentem, Omnipræſentem &c, Etſi enim Humanitas habet Omnipotentiam & eſt Omnipotens: tamen non eſt Omnipotentia ipſa, id quod ad abſolutiſſimam perfectionem ſolius DEI pertinet: & aſſumtæ Humanitati nunquam in æternum obtingit, quippè quod Eutychianam Naturarum ταυτότητα ſtabiliret.

Quoad

Quoad posterius σφάλμα Sadeelis, jam modò supra ostensum, turpiter hallucinari ipsum, quando fingit, proprium non nisi πρώτως sive primò, vel quod idem est, Essentialiter communicari posse. Nam alia est Attributorum Communicatio, quæ Essentiam simul non tribuit, quando videlicet κατ᾽ ἄλλο, hoc est, non Essentiæ respectu, sed Causæ extrinsecus accidentis gratia aliquid attribuitur: id quod exemplo Ferri igniti supra demonstratum fuit. Quo sanè pacto Humanæ Christi naturæ idiomata divina non primò & per se competunt; Sed κατ᾽ ἄλλο, propter causam videlicet certam, quæ est Unio Hypostatica.

Atque hoc ipsum respondetur etiam ad Confusionem Naturarum, quam ex reali Idiomatum communicatione oriri autumat Sadeel. Quia enim communicatio Idiomatum non est Physica, quâ scilicet divinæ Naturæ proprietates in humanam per se, & seorsim extra hypostaticam Unionem effundantur: nulla certè sive Confusio sive Commutatio vel Naturarum vel proprietatum metuenda est.

Digitized by Google

Quibus ita ſtantibus, falſa planè & ne quidem in Phyſicis ſimpliciter vera ſunt pronunciata illa, quibus conſequentiam ſuam ſuffulcire conatur Sadeel: ut quod aſſerit. 1. *Confuſionem fieri, cùm res duæ vel plures earumq́; proprietates communicantur, hoc eſt, Communes fiunt: 2. Si conditiones, ſive proprietates eſſentiales ommunes fiant, procul dubio ipſas quoque Naturas communes eſſe.* Diverſum enim jam aliquoties oſtenſum, nempè, poſſe quid alicui verè ac realiter communicari, ut tamen NATVRALITER illi proprium non evadat: idq; ſimilitudinibus animati corporis & igniti ferri à noſtris ita demonſtratum fuit, ut nullis hactenus machinis infirmare illud, nedum evertere Adverſarii potuerint; licet iterum atque iterum vociferentur, *Nihil poſſe alteri fieri commune niſi per Confuſionem.*

Similitudo Tertulliani de Electro planè eſt ἀπροσδιόνυσος, & minimè nos ferit. Talem enim ſive Confuſionem ſive Mixtionem, quam Ariſtoteles rectè definivit *τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσιν*, hoc in myſterio nunquam agnovimus, aut ullo reſpectu defendimus.

Similiter nemo noſtrûm unquàm vel dixit vel ſcripſit, Humanam Natu-

ram

ram esse λόγῳ exæquatam τῇ ἐξουσίᾳ. Sunt quidem, qui scripserunt, Humanam Naturam esse Omnipotentem non οὐσίᾳ, sed ἐξουσίᾳ, Verùm non ad definiendum Exæquationis alicuius Naturarum Modum, sed duntaxat ad demonstrandam prædicationis differentiam, sic locuti sunt; nihil aliud intelligentes, quàm unam eandemq; Omnipotentiam sine ullâ vel confusione, vel exæquatione Naturarum prædicari & de divinâ, & de Humanâ Naturâ: sed diverso respectu, nempè ratione divinitatis Essentialiter: ratione Humanitatis Personaliter, ut quæ ex Unionis gratia, Omnipotentiam non quidem physicè & Effusivè: Sed nihilominus tamen verè ac realiter Communicatam acceperit, secundum modum Unionis hujus proprium.

Quæ porrò disputat Sadeel, de modo, quo fiat μίξις & confusio rerum; nihil contra nos. Neque enim ita bardi aut stupidi sumus, quin ignoremus ea quæ per se jam sunt æqualia, nondemùm posse xæquari: sed ea, quæ exæquari debeant, oportere esse in se & per se distincta. Sic ipsi agnoscimus distinctionem hanc, (*Humana natura non quidem per se est: sed per*

Unionem facta est divina Natura) non tollere Exæquationem & Confusionem Naturarum: ſed potius ſtabilire. Verùm non occurrit ex noſtratibus, qui quidem Articulum de Perſona Chriſti accurratiùs explicarunt, qui diſtinctionem iſtam vel urſerit, vel certè eo fine uſurpaverit, quo eam ſumit & explicat Sadeel: Quemadmodum infra fuſiùs oſtendetur, ubi ex profeſſo diſtinctiones noſtras adverſus Sadeelis φλυαριάς ſalvabimus.

Tandem quòd Sadeel *Confuſionem ſive σύγχυσιν Naturarum nihil aliud eſſe* aſſerit, *quàm Realem Communicationem à nobis excogitatam*, *ex qua Corpus Chriſti dicitur omnipræſens*: Veterem errorem errat, quem hactenus aliquoties refutavimus. Fingit nimirùm proprium non poſſe alteri Communicari, niſi per phyſicam Effuſionem ſive evacuationem proprietatum. Contra verò ad ravim uſque inculcatum & demonſtratum fuit à noſtris, quòd per Realem Communicationem, neque Effuſio, neque transfuſio, neque *Infuſio* Idiomatum Deitatis, ex λόγῳ in humanam Naturam ullo pacto ſequatur. Neque enim ad Realem communicationem divinorum τοῦ λόγου Idiomatum, quicquam opus eſt ullâ Effuſione-

ne, quâ vel effundantur, vel moveantur, vel transferantur divina Idiomata extra λόγου ὑποστατικῶς in Naturam Humanam: quandoquidem in confesso est, extra λόγον Humanam Naturam non subsistere, cui ne quidem in Unione, quatenus in suis spectatur Idiomatis, quæ cum fratribus suis retinet communia, κοινωνία divinorum Idiomatum convenit: sed tantummodò quatenus in persona λόγου personaliter existit. id quod cum fratribus suis commune non obtinet, sed sibi soli ex Unione peculiare habet. Vide plura infrà in Refutatione Argumenti decimi quinti.

Argumentum IX.

Si realis est Communicatio proprietatum, qualem introducunt: Est igitur inutilis ea doctrina, quam Orthodoxi omnes semper amplexi sunt, de donis in humanam Christi Naturam collatis.

Consequentia patet: Nam si statim ab ipsa conceptione Realis illa communicatio facta fuit: nihil opus erat, Humanam Naturam Christi, finitâ quadam gloriâ, creatisq; donis illustrari:

 Si-

Digitized by Google

Vnionem facta est divina Natura) non tollere Exæquationem & Confusionem Naturarum: sed potius stabilire. Verùm non occurrit ex nostratibus, qui quidem Articulum de Persona Christi accurratiùs explicarunt, qui distinctionem istam vel urserit, vel certè eo fine usurpaverit, quo eam sumit & explicat Sadeel: Quemadmodum infra fusiùs ostendetur, ubi ex professo distinctiones nostras adversus Sadeelis φλυαριάς salvabimus.

Tandem quòd Sadeel *Confusionem sive σύγχυσιν Naturarum nihil aliud esse* asserit, *quàm Realem Communicationem à nobis excogitatam*, *ex qua Corpus Christi dicitur omnipræsens*: Veterem errorem errat, quem hactenus aliquoties refutavimus. Fingit nimirùm proprium non posse alteri Communicari, nisi per physicam Effusionem sive evacuationem proprietatum. Contra verò ad ravim usque inculcatum & demonstratum fuit à nostris, quòd per Realem Communicationem, neque, Effusio, neque transfusio, neque Infusio Idiomatum Deitatis, ex λόγῳ in humanam Naturam ullo pacto sequatur. Neque enim ad Realem communicationem divinorum τοῦ λόγου Idiomatum, quicquam opus est ullâ Effusione-

Digitized by Google

ne, quâ vel effundantur, vel moveantur, vel transferantur divina Idiomata extra λόγου ὑπόστασιν in Naturam Humanam: quandoquidem in confesso est, extra λόγου Humanam Naturam non subsistere, cui ne quidem in Unione, quatenus in suis spectatur Idiomatis, quæ cum fratribus suis retinet communia, κοινωνία divinorum Idiomatum convenit: sed tantummodò quatenus in persona λόγου personaliter existit. id quod cum fratribus suis commune non obtinet, sed sibi soli ex Unione peculiare habet. Vide plura infrà in Refutatione Argumenti decimi quinti.

Argumentum IX.

Si realis est Communicatio proprietatum, qualem introducunt; Est igitur inutilis ea doctrina, quam Orthodoxi omnes semper amplexi sunt, de donis in humanam Christi Naturam collatis.

Consequentia patet: Nam si statim ab ipsa conceptione Realis illa communicatio facta fuit: nihil opus erat, Humanam Naturam Christi, finitâ quadam gloriâ, creatisq; donis illustrari:

Siquidem ex Reali communicatione, jam antè Omni Majeſtate, atque infinitâ gloriâ erat illuſtrata. &c.

RESPONSIO Fallit Conſequens Confundit enim Sadeel dona illa ὑπερφυσικὰ, infinita & increata, quæ Humana Chriſti Natura ex Unione perſonali verè accepit, cum illis donis, quæ eidem humanitati partim ex proprietate naturali, partim verò ex Reſurrectionis gloria, ſubjectivè & habitualiter inſunt. Cujus craſſiſſimi erroris fons, cauſa & origo eſt, quòd Sacramentarij Humanam Naturam uno tantùm reſpectu, nempè Naturali conſiderant, & quid proprietates Naturæ ex ſe ferre poſſint, non verò quid divinæ Majeſtatis & gloriæ eidem ex Unione cum λόγῳ obtigerit, attendunt.

Corrigitur verò error iſte, partim diſtinguendo inter Reſpectum Naturæ Humanæ Naturalem, & perſonalem, partim verò, quælibet dona, ad propriam ſuam cauſam revocando. Initiò enim ſecundum reſpectum Naturalem, non infinita, non increata, ſed finita, & creata, ac ad ipſas proprietates Naturales quandam ἀναλογίαν habentia dona Caro Chriſti poſſidet. Quæ dona non modò ſecundum Orthodoxorũ patrum, ſed

ſed ſecundum ipſarum etiam ſcripturarum mentem ac ſententiam, non ſimul ac ſemel Humanitati Chriſti inerant, ſed quemadmodum ætate, ſic etiam donis iſtis, verè ea crevit, Luc. 2, 40 & 53. Quod ipſum ſuprà fuſiùs explicavimus, pag. 143. & ſeqq. Cæterùm quoad Reſpectum Perſonalem, quatenus nimirum per Unionem cum λόγῳ, mox à primo Conceptionis momento, tota plenitudo Deitatis in aſſumta Carne habitare cepit σωματικῶς, eatenus certè non finitis aut creatis, ſed planè infinitis & increatis donis illuſtrata fuit aſſumta Humanitas. Quo enim tempore facta eſt ipſa Unio, eodem etiam temporis momento aſſumta Caro inuncta fuit infinitâ planè Spiritus Sancti plenitudine non ad menſuram. Hæc perſonalis Majeſtas, non tollit Naturalia illa dona, quæ ſecundum conditionem veri Hominis, in Animam Chriſti progreſſu temporis collata ſunt.

Neque enim duo iſti reſpectus ἀντιφατικῶς ſibi ſunt oppoſiti, ſed ſunt ſubordinati, dependentes à cauſis ſubordinatis. Proindè & Collatio iſta donorũ habitualiũ quæ progreſſu temporis Humani-

Christi obtigit: & simul Realis communicatio divinorum Idiomatum, quæ in primo statim conceptionis momento, eidem humanitati facta est, simul sine ulla contradictione stare possunt: præsertim cum toto isto tempore Exinanitionis, (exceptis specialibus duntaxat quibusdam actionibus) λόγος hanc carni suæ communicatam Majestatem divinam, actu secundo sive usu plenario, per eandem carnem non exeruerit. Qui ipse exinanitionis status in causa est, quòd Caro Christi pati & mori potuit. Quodsi enim λόγος communicatam carni assumtæ Omnipotentiam per eandem Carnem plenario usu exerere voluisset: nunquàm profectò vel pati vel mori ea potuisset. Passio igitur & mors non tollunt Realem Communicationem Idiomatum divinorum: Sed tollunt plenarium Communicatæ Omnipotentiæ Usum. Habuit enim in ipsa etiam passione & morte Humana Natura Omnipotentiam, actu primo: Mansit enim semper personaliter in ὑποστάσει τοῦ λόγου: At verò plenam ejusdem ἐνέργειαν actu secundo non exeruit: quæ sola passionem & mortem impedijsset.

Est

Est verò παραφυαδικῶς quasi notandum ἀθεόλογον istud pronunciatum Sadeelis scribentis: *Nec enim impassibilitatem, immortalitatem, & alias gloriosi Corporis Qualitates ante Resurrectionem actu habuit.* Quæro enim, 1. An ex Naturæ suæ proprietate Humanitas Christi fuerit Mortalis? Si affirmatè responderit: Omnes non modò Theologos, sed & Philosophos adversantes habebit, quorum nullus inter proprietates Corporis Essentiales, sed tantum ad παρεπόμενα τῇ φύσει Mortalitatem refert. Consequens ergò, Corpus Christi verum potuisse esse & manere Corpus licet mortale non fuerit. Minimè igitur ad Naturæ Humanæ Conditionem ac proprietatem: sed potius ad liberrimam eiusdem dispensationem Mortalitas referri debet: secundum quam liberrimè, non ex indigentia Corporis, mortali imbecillitati sese subiecere voluit.

Deinde quæro: An Humana Christi Natura Mortalis fuerit, vi generalis illius divinæ sententiæ, quâ ob peccatum Mors introijt, & stipendium peccati dicitur, Rom. 6, 23. Haud opinor affirmativè respondebit Sadeel: Novit e-

nim Carnem Christi prorsus fuisse ἀναμάρτητον, omnis peccati expertem. Ergo vel nolens concedere cogetur Sadeel, Carnem Christi ipso actu etiam ante Resurrectionem fuisse suâ Naturâ Immortalem: quanquam si δύναμιν spectes, liberè Mori potuerit: quæ δύναμις, iam post Resurrectionem penitus expiravit quemadmodum nostris quoque corporibus, ex Resurrectione ea obtinget ἀθανασιά Immortalitas, tàm quoad δύναμιν, quàm quoad actum ipsum.

Argumentum X.

Si realis est Communicatio proprietatum, & verbum realiter communicat suas proprietates humanæ naturæ: Ergo Humana natura realiter est DEVS. Item: Ergo Humana natura realiter est ab æterno genita. Vtrumque blasphemum.

RESPONSIO.

FAllit utrumque consequens παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου. Neque enim Communicationem proprietatum vel Essentialem, vel physicam statuimus: ex qua utique sequeretur id, quod Sadeel infert: Verùm Realem, hoc est, verã minimeq; commentitiam quæ sequitur Natutam

&

& Modū ipsius Unionis Personalis duarum Naturarum in Christo. Quemadmodum enim Unio hæc Naturarum (ipso astipulante Sadeele) est realis, neque tamen propterea Essentialis; (Sic enim duę Naturæ in unam divinam Essentiam coalescerent:) Ita quoque ex Unione promanans Communicatio divinorum Idiomatum, non quidem est Essentialis: (Hoc enim modo iam Humana Natura vi propriè suæ Essentiæ esset Omnipotens, & sic *DEVS* esset) sed est Realis, nempè Personalis, ut iam *CHISTO* secūdum Humanitatem verè competat Omnipotentiæ, Omnipræsentiæ &c. *κοινωνία*, vi Unionis, quæ Personalis est.

Deindè evertit seipsum hoc argumentum Sadeelis, quemadmodū supra pag. *226*. fuit ostensnm. Quicquid enim non proprietate suæ Naturæ est Omnipotens Omniscium, Omnipræsens, Adorabile, vivificum: sed tantum personali *κοινωνίᾳ* divina isthæc Idiomata participat: id non potest esse *DEVS*. Ratio est: Quia *DEVS* non participatione divinorum istorum Idiomatum: vel respectu alterius Naturæ est Omnipotens, Omniscius, Omnipræsens &c: sed per sese adeoq; propriâ suâ & naturali vi atque Essentiâ. Iam verò Humana Natura Christi

non

non est proprietate suæ Naturæ, sive vi Naturali aut Essentiali Omnipotens, Omniscia, Omnipræsens &c. sed tantum ex Unione alterius Naturæ nempè divinæ pervenit in *κοινωνίαν* divinorum istorum Idiomatum.

Ergò, impossibile est, ut ob personalem *κοινωνίαν* sive participationem divinorum Idiomatum Humanitas Christi dicatur facta *DEVS*.

Trahit proindè & istud argumentum suam originem ex antecepto errore, quo ex stolidâ sua ratione Adversarius fingit, inter verbalem & Essentialem sive physicam Communicationem, non posse dari Tertium: ac proindè si à nobis verbalis non admittatur: necessariò admittendam esse Essentialem & physicam Communicationem, quâ Humana Christi Natura habitualiter ac subiectivè facta sit particeps divinorum Idiomatum, & sic in divinitatem prorsus absorpta & mutata.

At verò Tertium nempè Reale, (quod verbali opponitur, & tamen neque Essentiale, neque physicum est) dari posse ac debere, iam aliquoties ex ipsa Unione, cuius Naturam, Communicatio sequitur, ostendimus.

Quo observato, deprehenditur Sadeel

deel, tùm in hoc, tùm in plærisque argumentis reliquis, contra Realem Communicationem Idiomatum directis, turpiter ἀδολεσχεῖν sive nugari & petere principium: dùm subindè cramben hanc recoquit: Cuicunque realiter sunt communicata divina Idiomata: illud DEUS est: Quia videlicet proprietates & Essentia τȣ λόγȣ sunt quiddam ταυτὸ. Certè si isthæc ratiocinatio alicuius debeat esse monenti: iam Caro Christi neque vivifica amplius, neque adorabilis ampliùs statui vel potest vel debet: quorum tamen illud Servator, Ioh. 6, 55. Hoc vero Apostolus, Phil. 2, 9. expresse de Natura Humana pronunciat.

Nam ex Logicâ Sadeelis pari ratione licebit ineptire & dicere: Quicquid est adorabile, est ipse DEUS: Quicquid est vivificum, est DEUS. At Humana Natura sive Caro Christi est adorabilis, est vivifica. Ergo est DEUS.

Quemadmodum verò in hisce exemplis ratiocinatio non nisi stolida & inepta conficitur: sic pari vanitate Sadeelis argumentum laborare unâ hac Instantiâ perspicuè comprobatur.

Argu-

Argumentum XI.

Si realis est Communicatio proprietatum: Ergo non sunt proprietates. Consequentia patet ratione proprij, cui opponitur Commune.

Responsio.

INanis hæ est repetitio Argumenti primi, septimi & octavi, ex quorum etiam Refutatione petatur huius Argumenti solutio. Neque enim novi quid hoc loco profert Sadeel. In Christo non esse ἄλλον καὶ ἄλλον, sed ἄλλο καὶ ἄλλο, tacente etiam Sadeele, novimus, docemus & credimus.

Quòd porro affirmat, *rectè dici, Christus est Vnus: non verò, Christus est Vnum*: Verum illud est, si Unum Essentiale sive Naturale intelligas: falsum verò est si vnum Hypostaticum intelligas. Christum enim Unum esse ὑφιστάμενον, & vnum ὑποστατικόν ἓν, nemo negaverit, nisi qui Nestorianæ hæresi subscripserit.

Similitudo de Communicatis divitijs, quæ nó amplius sint propriæ Communicantis, planè est impertinens. Similem enim Communicationem in hoc mysterio Unionis obtinere, quæ obtinet

net in Donatione, nunquam à nostris dictum, scriptumvè, adeò ut mera sit malitia, si eiusmodi absonis & ineptis Similitudinibus pugnare velint Adversarij: quæ pueros magis & Tyrones Theologiæ, quàm Theologos disputatores decent.

Argumentum XII.

Si realis est Communicatio proprietatum, ac proindè Corpus Christi accepit à λόγῳ, ut sit Omnipræsens, & ubique. Ergo sunt duo Infinita, alterum dans, alterum accipiens. Ἀδύνατον.

Responsio.

Removeatur initiò Calumnia. *Duo Infinita*, vel, uti mox Sadeel loquitur, *Duas naturas & Essentias inter se distinctas, infinitas à nobis statui.* Nam suprà in Refutatione argumentorum Sadeelis, quæ contra Omnipræsentiam Christi Hominis produxit, satis sufficienter ostensum fuit, Humanam Naturam non per Essentiæ infinitatem esse Ubique: sed per & propter personalem Unionem, quatenus nimirùm in ipsa ὑποστάσει τοῦ λόγου extra & citra omnem loci respectū, subsistens, λόγῳ assumenti ubique adest præsentissimè. Quod

Quod si verò ex antecedente, debito modo sic inferret Sadeel: Ergo duæ sunt Omnipræsentes Naturæ, quarum Una dat, altera accipit Omnipræsentiæ Maiestatem: haud sanè reluctaremur: modò non duæ essentialiter distinctæ Omnipræsentiæ indè extruerentur: quemadmodum etiam ex nostrâ doctrinâ extrui nullâ ratione possunt. Tribuimus enim Christo non geminam, sed Unam Numero Omnipræsentiam: aliter tamen respectu divinæ Naturæ, nempè Essentialiter: aliter verò respectu assumtæ Humanitatis, nempè personaliter consideratam. Competit enim hæc Omnipræsentia λόγῳ Essentialiter, hoc est per proprietatem & infinitatem simplicissimam Essentiæ divinæ: Humanitati verò assumtæ communicatur Omnipræsentia per Unionem, non quòd extra λόγον in alienum subiectum effundatur: quemadmodum fingit Sadeel: sed quatenus ὁ λόγος Humanitatem intra suam ὑπόστασιν assumens, & suæ ὑποστάσεως reali κοινωνίᾳ participem reddens, simul suæ omnipræsentiæ (quæ fatente ipso etiam Sadecle, cum ὑποστάσει Unum quid est

ἀδιαι-

ἀδιαιρέτως) reali communicatione participem efficit: ita quidem, ut una numero maneat Omnipræſentia, quantumvis modo & Ratione toto genere ſublimiore tribuatur Divinæ Naturæ, quàm humanæ. Quo ipſo pacto, ſine ulla divulſione perſonæ, manet ſalva Relatio dantis & accipientis.

Cæterùm juvat ex ſententiâ Sadelis, adverſus ipſum ſic inſurgere: Si corp. Chriſti non eſt realiter particeps factum Omnipræſentiæ λόγου: tùm neque ipſius perſonæ τοῦ λόγου reali communicatione factum eſt particeps. Quandoquidem Perſona Verbi à ſua Omnipræſentia realiter nequaquam differt, ſed eſt, ipſa ſua Omnipræſentia, ut impoſſibile ſit communicationē Omnipræſentiæ ſubtrahere Humanitati, quin eidem Realis cōmunicatio perſonæ verbi ſubtrahatur: & per conſequens, ipſa unio perſonalis maniſeſtimè diſſolvatur: Vel talis fingatur Unio, quæ nihil ſit aliud quàm nuda combinatio ſive παράστασις ſine ὑποστάσεως τοῦ λόγου Reali participatione: planè ut Samoſatenus olim impiè contendit. At verò prius illud ſentit, docet, credit Sadeel: eo tendunt ſingula ipſius argu-

 men-

menta, ut nimirùm Humanam Naturam, participatione (non essentiali, sed Reali sive Personali) Omnipræsentiæ τῦ λόγυ spoliet. Ergò posterius etiam hoc jure ipsi imputatur: quòd nimirum sic solvat Unionem, vel saltem nudam duntaxat Naturarum statuat παράστασιν sive assistentiam: sine reali & hypostaseos, & proprietatum τῦ λόγυ participatione. Observabunt hoc probè studiosi Theologiæ. Patet enim hinc quo pacto Calviniani, impugnantes Realem Communicationem divinorum τῦ λόγυ Idiomatum, semetipsos & Nestorianæ & Samosatenianæ impietatis laqueo constringant & irretiant: & universum Unionis Mysterium scelerate subruant & evertant.

Argumentum XIII.

Si realis est proprietatum Communicatio, & ea fit vi unionis hypostaticæ. Ergo Humana natura suas etiam proprietates realiter communicabit Deitati. Ἀδύνατον. Consequentia patet, Quia non minus realiter Humana natura unitur Deitati, quàm Deitas Humanæ naturæ.

RE-

Responsio.

Fallit argumentum Sophismate vitiosi consequentis. Nulla enim militat ratio consequentiæ: Caro Christi propter Unioné Hypostaticam particeps est facta divinorum Idiomatum, & sic Omnipræsentiæ quoque: Ergo vice versa propter eandem Unionem Humana Natura suas etiam proprietates realiter communicavit Deitati: ut ea jam loco sit circumscripta. Diversissima enim utrobique est ratio: quæ oritur ac dependet à consideratione imò diversitate Assumentis & assumpti. Nam in Unione, Humana Natura non assumsit λόγον in se, imò ne potuit quidem; siquidem perse est αὐυπόστατος: (Quo solo pacto Humana natura sua Idiomata communicasset λόγῳ, & sic illam assumendo è statu illocali in localitatem circumscriptivam deturbasset) sed vicissim λόγος, in æterno suo statu illocali immutabiliter permanens, Humanam naturam in, imò intra suam transtulit & assumsit hypostasin, eaq; assumtione illam è terreno suo statu locali, in illocalis suæ ὑποστάσεως (hypostasis enim λόγȣ jam est ipsius quoque Carnis assumtæ hypostasis) κοινωνίαν evexit, imò extra & supra omnia loca verè eam transtulit & elevavit. Un-

Undè Deitas λόγȢ manet tantũ infinita, increata, incircumſcripta: neque fit per Unionem localis, finita, aut circumſcripta: Humana verò Natura per Unionem hanc extra omnes creaturas, in ipſius creatoris λόγȢ hypoſtaſin aſſumta, & evecta, eo ipſo ineffabili modo verè tranſcendit loca omnia.

Ex quibus fundamentis oriuntur diſtinctiones illæ, quæ hac in quæſtione non nobis modò, ſed & Sanctis patribus ſunt uſitatiſſimæ: nempè *1.* Humanam Naturam per Unionem in meliorem ſtatum transferri potuiſſe: Divinam verò manſiſſe & manere in omnem æternitatem prorſus immutabilem. 2. Divinitatis, quippè Naturæ aſſumentis, proprium eſſe, Dare: Humanitatis verò, ut Naturæ aſſumtæ, eſſe, Accipere. Quam ipſam diverſitatem non heri aut nudius tertiùs in cerebro noſtro excogitavimus, ſed ex ſcripturis didicimus. Hæ enim affirmant Carnem Chriſti ex Unione cum λόγῳ, factã eſſe vivificam: At verò nuſpiam aſſerunt, Divinitatem λόγȢ vi huius unionis, factam eſſe finitam, circumſcriptam, aut mortalem.

Agnovit, uti dixi, hanc ipſam diverſitatem Orthodoxa etiam Antiquitas,

Digitized by Google

tas, ut Athanasius Orat. 5. contra Arianos *Non Caro ignominiam attulit* λόγῳ DEI; *Absit: Sed potiùs Caro per verbum* DEI *glorificata est.*

Idem in Epistola ad Epictetum : *Non Verbum Caro factum est, ut Deitati aliqua accessio fieret, neque ut verbum in meliorem statum reduceretur: Magis enim ipsi* (humanæ Naturæ) *Magna accessio facta est, ex communione & Vnione verbi ad humanam naturam.*

Basilius in S. Nativitatem: *Sicut Ignis ferri proprietates non transsumit: sic sanè etiam humana Domini Caro ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.*

Cyrillus, de incarnatione Unigeniti : *Verbum in id, quod non erat, se immisit, ut & Hominis natura id, quod non erat, fieret, Divinæ Majestatis dignitatibus per adunationem nitescens, quæ sublevata est magis ultra naturam, quàm dejecit infra naturam invertibilem* DEUM.

Et lib. 4. cap. 23. *Non ad corruptibilem suam naturam Caro junctum* DEI λόγον *detraxit, sed ad melioris virtutem elevata est.*

Augustinus contra Fælicianum : *Injuria sui Corporis affectam non fateor Deitatem, sicut Majestate Deitatis glorificatam novimus carnem.*

Damascenus. lib. 3. cap. 7. *Divina natura ipsa quidem proprias Glorificationes Carni communicat, cum ipsa maneat impaßibilis, & immunis paßionum carnis. Nam si sol nobis proprias actiones tradens, nostratum manet expers, quanto magis solis factor & Dominus?* Et cap. 15. *Non quemadmodum per carnem Divinitas verbi operabatur, hunc & in modum per Divinitatem ejus Caro patiebatur.*

Expostulet ergò Sadeel & gens Calvinistica cum Scripturis, cur Carnem ex Unione dicant factã esse vivificam: Divinitatem verò non asserant mortalem? Expostulet etiam cum Universâ Orthodoxa Antiquitate, Cur per unionem fateatur Carnem participem factam esse divinæ Majestatis: Divinitatem verò neget participem effectam humanæ imbecillitatis? Nihil enim quicquam pro defensione nostræ sententiæ validius dici potest, quàm quod modò ex Scripturis & Antiquitate produximus.

Sed blaterat sophista, *Naturarum inæqualitatem non facere inæqualem unionem: alioqui sequeretur, Filium Hominis esse minùs Filium DEI, quàm Filius DEI sit Filius Hominis.*

Digitized by Google

RESPONDEO, Quis verò mi Sadeel unquàm vel dixit vel scripsit, Ex Naturarum inæqualitate consequi inæqualitatem ipsius Vnionis ? Siccinè rursus cum larvis & lemuribus pugnas? Vel certè volupe tibi ducis, sub Confusione diversarum quæstionũ γλαύκωμα rursus quoddam simplicioribus objicere.

Aliud enim est, quando quæro, Qualis sit Vnio ? Nùm mutua & reciproca Naturarum ad se invicem sit κοινωνία: & talis quidem, ut Filius Hominis æquè verè ac realiter esse dicatur Filius Hominis ; quàm Filius DEI dicitur esse Filius Hominis? Aliud verò est, quando Naturas in ipsa Vnione distinctas considero, & quis nàm hujus unionis ad Naturam vel assumentem vel assumtam sit Effectus, considero.

In priore quæstione mera obtinet æqualitas, si nimirùm constitutionem totius suppositi, hoc est, integræ personæ Christi: non verò Naturas distinctè consideres.

Siquidem hic etiam inæqualitas ipsius Unionis oritur: quatenus nimirum divina Natura λόγȣ est assumens: Humana verò est assumta. At verò ratione personæ, uti dixi, vera obtinet æqualitas, ut quemadmodum Filius DEI prædicatur particeps factus carnis & sangvinis, Hebr. 2, 14. Sic è converso, Caro & sangvis sint vicissim μέτοχα καὶ κοινωνιὰ ipsiusmet assumentis verbi, ejusdemq; hypostaseως.

Quæ Naturarum ad se invicem κοινωνία, ex personæ unitate resultans, facit, ut jam Filius Hominis æquè sit Filius DEI, atque Filius DEI est Filius Hominis. Vna siquidem est persona, quæ est DEVS & Homo.

In posteriore verò quæstione occurrit inæqualitas, non ratione ipsius Vnionis, sed ratione illius Effectus, nempè communicationis Idiomatum, quæ unionis hujus est consequens..

Cuius inæqualitatis fundamentum, causa & origo, hæret in Naturis ipsis, quantumvis æquali unione (quoad personæ constitutionem) junctis: quarum altera mutabilis & in meliorem statum

muta-

Digitized by Google

mutari poteſt: altera verò mutationis huius expers: vti iam antè oſtenſum.

Patet hinc iam reſponſio ad Contradictionem quam nobis impingere conatur Sadeel, aſſerens, *fieri non poſſe, ut Deitas aſſumens nihil accipiat, cum aſſumat humanam naturam, eamq; non nudam ſed ſuis veſtitam proprietatibus. Quod ſi contrarium à nobis ſtatuatur, tum conſequens eſſe, Verbum eſſe aſſumens nihil ſumendo: id quod Contradictionem implicet.* Malitiosè autem pervertit ſtatum Controverſiæ. Diſputat enim Sadeel contra Communicationem Idiomatum: quam non ita reciprocam eſſe ipſi concedimus, ut Caro Chriſti Divinitati ſuas communicaverit propritates: quemadmodum Divina Natura aſſumtæ Carni ſua communicavit Idiomata. Hāc noſtram doctrinam ut infringat, infert, Aſſumſiſſe tamen λόγον ipſam Humanam Naturam. Ubi manifeſtum eſt, quod cum de Communicatione Idiomatum ſit quæſtio, ipſe Sophiſticè in ſubſumtione ſubſtituat ipſam Unionem. At verò iam modò eſt demonſtratum, aliam eſſe rationem Unionis, & hanc conſequentis arctiſſimæ Naturarum ad ſe invicem κοινωνίας: aliam verò rurſus ratio-

Digitized by Google

tionem Communicationis Idiomatum. Nam si quæratur, utrùm λόγος assumendo Naturam humanam, assumserit simul, vel quod idem est, verè sibi univerit ejusdem proprietates? Affirmatè respondemus, sic docente Epistola ad Hebræos, quæ affirmat λόγον participem factum esse Carnis & sanguinis. Rursum si quæras, An divinæ Naturæ ob hanc arctissimam Naturarum ad se invicem κοινωνίαν, aliquid imperfectionis & imbecillitatis humana Natura communicaverit; quemadmodum illa Humanitati assumtæ sua communicavit Idiomata: ibi negatè respondemus, ob causas jam modò suprà indicatas. Et rectè hoc Basilius simili à ferro ignito desumto illustrare voluit. Quemadmodum enim ignis ferro quidem sua communicat propria, nempè Lucem & Calorem: ipse verò vicissim à ferro neque duritiem neque gravitatem transsumit: Sic Humana Domini Caro ipsa particeps facta est Deitatis, non propriã suam tradidit Deitati imbecillitatem. Expirat ergò omnis prorsus ἀντίφασις sive Contradictio, si distinctè, modo jam explicato, quæstiones istæ duæ considerentur

siderentur. Assumsit enim λόγος sive divina ejus natura, Humanam Naturam, eiusdemq; proprietates, *RATIONE UNIONIS*, quatenus nimirùm λόγος assumendo, sibiq; Uniendo humanam Naturam, simul ejusdem propria sibi per *ἰδιοποιίαν* appropriavit: Non verò accepit ab assumta humanitate per Communicationem ejus Idiomata. Unde in primo genere Communicationis Idiomatum, Filius Dei dicitur passus fuisse, non accipiendo ab Humanitate communicatam passionem: sed potiùs seipsum communicando Humanitati, eamq; unâ cum propriis ipsius (inter quæ etiam est passio) sibi per Unionem personalem appropriando. Quo respectu λόγος assumere, non verò accipere Humanam naturam ejusdemq; propria dici debet. Siquidem τὸ *Assumere*, Unionem: τὸ Accipere Communicationem respicit.

Quæ porrô differit Sadeel de immutabilitate Essentialium proprietatum, nihil

nihil contra nos faciunt. Nam Essentiales proprietates Humanæ naturæ, per Communicationem Idiomatum non tolli sed extolli, non interfici, sed perfici, cum Patribus affirmamus. Et iam ad ravim usque inculcatum & confirmatum fuit: Essentiales proprietates utriusque Naturæ: & Communicationem divinorum Idiomatum τȢ λόγȢ, Humanitati factam, simul sine ullâ vel exæquatione, vel Confusione, vel abolitione Naturarum, earundemq; proprietatum stare posse.

Argumentum XIIII.

Si detur locus reali isti proprietatum Communicationi: Ergo Humana Natura nunquam fuit actu finita: ἀδύνατον.

RESPONSIO.

Vetus hoc est delirium, quod sibi ipsi fingit Sadeel. Intelligit nimirum initiò per Realem Communicationem, non aliam quàm Essentialem & physicam: quam hactenus â nostris Ecclesijs adversus hoc commentum Sadeelis irrefragabiliter propulsavimus

vimus

vimus. Deinde rursum futili quadam σκιαμαχίᾳ pugnat contra nescio quam infinitatem Naturæ humanæ, de quâ itidem nostræ Ecclesiæ nihil quicquam noverunt. Quomodo enim Caro Christi actu naturali semper sit, & in statu etiam gloriæ ac Maiestatis maneat finita, non quidem circumscripta loco forinsecus ambiente, uti gens Calvinistica impiè ac inscitè somniat, sed naturæ suæ proprijs terminis sive dimensionibus finita ac circumscripta: at verò nihilominus actu personali in ὑποστάσει τοῦ λόγου, extra & supra omnia loca, secundum modum sessionis ad dexteram DEI regnet & dominetur ubique præsentissimè: hactenus plus satis fuit demonstratum: adeò ut nisi numero magis quàm pondere argumentorum pugnare maluisset Sadeel, hoc etiam argumento, prorsus honesto titulo supersedere potuisset. Vide supra pag. 267. 297. 315.

Argumentum XV.

Si realis est proprietatum Communicatio, Revocandi sunt igitur Eutychiani, & Monothelitæ. Nam illorum errores huiusmodi fundamento nitebantur.

Re-

RESPONSIO.

VTraque hæresis non ex Reali Communicatione, qualem nos docemus: sed ex Essentiali & Physica Communicatione, vel potiùs proprietatum effusione in aliud subjectum, sequitur. Et sanè quoad Eutychianam hæresin, ita à nostris Ecclesiis eam supra propulsavimus, ut ne ulla quidem amplius ejus apud nos superesse possit suspicio: vide supra pag. 16. & sequentes: Indè luce meridiana clarius, & nostra patebit ὀρθοδοξία, & Sadeelis in mentiendo & calumniando detestanda impudentia. Sic cum Monotheletarum hæresi nihil commercii nobis esse, itidem suprà satis nervosè & prolixè explicatum dedimus: pag. 144. & sequentibus. Unde quæ ad refutationem hujus calumniæ pertinent, commodè peti possunt ac debent. Nolumus in morem Sadeelis, subindè eadem repetere.

Cæterùm vertiginis Spiritus in hoc argumento sese nimis manifestè prodit. Supra argumento XII. ex Reali Communicatione duo Infinita, hoc est, duas naturas Omnipotentes, omniscias &c. provenire, objecit. Quâ ergò fronte jam unam & eandem utriusque Naturæ volun-

voluntatem, ſcientiam & potentiam à nobis ſtatui, hoc loco oggannit. Nam Contradictoriè duo iſthæc dogmata eſſe oppoſita, ipſe Sadeel, pro ſuo, quod in Contradictionis doctrina ſibi vendicat, acumine, facilè intelligit. Hic ergo aut mendacem non ſatis memorem fuiſſe: aut contra conſcientiam nobis alterutrum, imò utrumque impingi, neceſſe eſt.

Sed pergit Sadeel, & ſcribere non erubeſcit: *Unius rei eſſentiales proprietates fieri eſſentiales rei alterius: non modò non priſcis illis hæreticis, ſed nemini unquàm in mentem venire potuit.*

RESPONDEO, Si cum pueris aut Tyronibus Theologiæ res & controverſia eſſet Sadeeli, fortè illis perſuadere poſſet, neminem hæreticorum unquàm ſtatuiſſe, propria eſſentialia unius rei, poſſe fieri propria Eſſentialia rei alterius. Verùm cum hoc toti orbi Chriſtiano perſuadere conetur: næ nimis & temerarius & mendax eſſe depreheditur. Anne verò tu Sadeel, adeò hoſpes & peregrinus es in hiſtoria Eccleſiaſticâ; qui neſcias, quænàm Eutychetis & Monophyſitarum fuerit opinio. Teſtis eſt Nicephorus, Euthycherem docuiſſe.

Ante

Ante Vnionem duas Naturas fuisse, deindè unitas esse: post Vnionem autem in unam eas Naturam abijsse, confusasq; esse & mixtionem subijsse. lib. *18.* cap. *52.* Et quam quæso ob causam Synodus Chalcedonensis in Symbolo Eutychianæ hæresi directè opposito, tam sollicitè inculcare voluit *Dominum unigenitum, ex duabus naturis sine earum Confusione, mutatione, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως cognitum, & naturarum differentiam, propter copulationem, minime sublatam. sed PROPRIETAEM utriusque naturæ integram servatam &c.* Si Eutyches non statuit Essentiales proprietates λόγου, factas esse Essentiales proprietates humanæ naturæ Sed nimirum fortiter sibi imaginatur Spiritus Calvinianus, mox simplici & absoluta fide credendum esse, quicquid illi tandem fingant, refingant. Quoad nostros Doctores, qui negant talem à se statui Essentialem & physicam Idiomatum Communicationem, quâ proprietates Essentiales unius Naturæ, fiant alterius naturæ essentiales proprietates: unicè respiciunt illi Eutychianam hæresin, cum qua nihil sibi commercij esse ostendunt. Proindè ex Contradictionum suarum scrinio

Evagr. l. 2. cap. 4. & 9.

quæ

Digitized by Google

quæ profert Sadeel, ea non noſtræ doctrinæ, ſed Eutychiano delirio rectè opponuntur.

Porrò inſurgit Sadeel.

Si quod mihi proprium erat, tecum ego communicem, deſinit eſſe mihi proprium: nec propterea fit proprium tibi, quia commune eſt, ac proindè nec mihi, nec tibi proprium.

Item, cùm objicio, ex reali proprietatum Communicatione, ſequi rerum ipſarum Confuſionem, non te liberas, quando reſpondes, Eſſentiales proprietates Deitatis, non fieri eſſentiales proprietates Humanæ naturæ.

Nec enim ad Confuſionem requiritur, ut proprietas unius rei, fiat alterius rei proprietas (non enim fit Confuſio, quamdiu manet proprium) ſed potiùs, quæ propria erant, confunduntur, & fiant propria tertiæ cujuſdam rei, quæ ex duabus illis rebus confuſis componitur: at in Hydromelite.

RESPONSIO.

DE vocabulis non litigabimus: Nam per Confuſionem Naturarum, noſtri Eutychianam illam Naturarum exæquationem, quæ quidem ex Eſſentiali proprietatum Communicatione, quam Calviniani ſubindè

nobis objiciunt, necessariò sequeretur, intelligunt. Quando ergò respondent: Non sequi ex reali Idiomatum Communicatione, ipsarum naturarum Confusionem, propterea quod Essentiales proprietates Divinitatis, non fiant Essentiales proprietates humanæ naturæ: nihil aliud volunt dictum & intellectum, quàm sine causâ & præter omnem rationem Eutychianam Naturæ Humanæ cum Divinâ exæquationem, nostræ doctrinæ de reali Communicatione Idiomatum objici. Quam exæquationem suo quodam certo modo Confusionem Naturarum dici posse, vix quisquam sanæ mentis inficias ibit: licet non talis sit proprietatum Confusio, qualis in Mixtione Physica deprehenditur, quæ ab Aristotele definitur Unio miscibilium alteratorum; ad unum nempè quoddam constituendum Corpus mixtum, ita quidem ut rerum miscibilium propria per alterationem confundantur, & fiant propria tertiæ cujusdem rei, quæ ex duabus illis rebus confusis componitur. Novit enim *Sadeel* Confusionis terminum, præter respectum istum Physicum, in communi loquendi consuetudine latiùs patere.

Sed

Sed ad rem: Urget ergò Sadeel, *ex reali proprietatum Communicatione, sequi rerum ipsarum Confusionem.*

RESPONDEO. Hoc si verum est, nominet quæsò jam Sadeel, tertium illud ex duabus Naturis mixtum & compositum, quod Realis Communicatio Idiomatũ (qualis quidem à nobis traditur) quasi ex se gignat sive producat.

Cæterùm veterem subindè errorem recoquit Sadeel, somnians proprium nullo prorsus pacto alteri rei communicari posse, nisi per Confusionem: ac proindè proprium & Commune ἀντιφατικῶς opponi: Quod somnium suprà in Refutatione argumenti primi rationibus tùm Theologicis tùm Philosophicis, pag. *392.* & sequentibus, evidenter satis est refutatum,

In scholis vulgò, proprium & non proprium ἀντιφατικὰ esse dicuntur: sed simul etiam in ijsdem proprium & communicabile diversitate distinguuntur, uti supra ostensum, pag. *394.* Quod si quis vitam, sensum, motum, &c. Animæ proprietates esse negaret, stolidè certè à pueris etiam haberetur, Sin has ipsas proprietates corpori verè communicari, inficias iret, asini instar ex ludis literariis expelleretur. Iam

Digitized by Google

Iam Realem esse communicationem Idiomatum, constanter affirmamus: non verò Essentialem, non physicam, ullo pacto concedimus. Nam cùm Idiomatum communicatio naturam Originis sive fundamenti aut causæ suæ sequatur, Unionem scilicet Personalem, & Naturarum arctissimam ad se invicem *κοινωνίαν καὶ περιχώρησιν*: certè, quemadmodum hæc utraque non Essentialis, non physica: sed personalis & Realis est, imò realissima: Ita communicationem quoque Idiomatum ejusdem generis esse, Ratio ipsa, imò veritas manifesta docet.

At sic, inquit Sadeel, *Confusio Eutychiana Naturarum stabilitur.* RESPONDEO. Quì sic verò, mi Sadeel: Num statim id quod Reale est, est etiam Essentiale & Physicum Sic quidem hactenus colligere es solitus: sed perquàm bardè & stolidè. Si enim vis collectioni huic inesse debeat: necesse foret, τὸ Reale & τὸ Essentiale ac physicum esse *ἀντίστροφα*: ut, quemadmodum rectè dicitur: Quicquid Essentiale, vel etiam physicum est: id etiam est reale: ita vice versa rectè diceretur: Quicquid Reale est, id est etiam vel Essentiale, vel Physicum. At verò

ἀνα-

Digitized by Google

ἀναςρέφοντα ista sunt duntaxat, non utraque sui parte reciproca: & Reale latiùs patet Essentiali & Physico. Ex falsis ergò principiis argumentaris mi Sadeel.

Deindè quoad Confusionem Naturarum; si Natura humana extra hypostasin τȣ̃ λόγȣ seipsâ subsisteret, fingi posset fortasse Idiomatum confusio. Iam verò Humana non subsistit, nisi in hypostasi λόγȣ: ut qui illi suã ὑπόςασιν omnem sive totam communicavit. Nulla ergò sive Effusio Physica, sive Confusio Eutychæa proprietatum est metuenda. Nam quamvis communicare proprietatibus Naturæ invicem dicantur: (sano & recto sensu, qui in Refutatione argumenti XIII. fuit explicatus) Natura tamen quævis Idiomata sua intra suã ȣ̓σίαν retinet; neque unquàm unius Naturæ proprietates sunt in altera, tanquàm Forma quædam: aut tanquàm habitus in subjecto: (Horũ enim alterutrũ si à nobis statueretur, tùm demũ haud abs re Confusionis absurditas nobis objiceretur) sed ita se habet ista Communicatio, ut fundamenti sui conditionem sequatur: nempè, ut, quemadmodũ λόγος assumtæ naturæ ὑπόςασιν sive personam suam communem fecit,

non verbotenus, non essentialiter, non physicè: sed verè ac realiter: ita humana natura in hac ὑποστάσει τοῦ λόγου unicè subsistens, omni divina possideat, & communia in λόγῳ habeat: id quod hactenus multoties ad oculum demonstratum, & invictè confirmatum, ut prolixiore refutatione hoc loco minimè sit opus.

Sed pergit Sadeel.

Si Scripturam sequamur, dicemus in Christo esse veram ac realem Unionem Divinæ Naturæ assumentis, cum Humana Natura assumta: ac proindè naturales utriusque Naturæ proprietates esse in Christo verè & realiter unitas: & hanc esse veram & realem in Christo communionem proprietatum.

Respondeo. Fumos venditat Sadeel, & rursum γλαύκωμα conatur objicere simpliciorum oculis, dum adeò splendide de unione duarum naturarum in Christo disserit, eamq; veram & Realem nominat. Sed heus tu Sadeel: Quî fit, quod Unionem Realem nominas, cum suprà tanto conatu pugnaveris, *Reale* hoc in Articulo *nihil esse posse*, *nisi*

nisi quòd sit Essentiale; & Realiter Communicari: nihil aliud esse quam Essentialiter communicari: sic enim scribere non dubitasti: Quia plerique ex illis (Ubiquitarijs) *vocabulum Essentiale refugiunt, & contendunt sic Realem esse Communicationem, ut sit vera quidem, sed non Essentialis; uno verbo refellendi sunt. Etenim satis constat, Reale non tantum opponi commentitio: sed etiam pro Natura rei, de quâ agitur necessariò intelligendum esse. Proprietates autem Divinæ naturæ, sunt ipsa Deitatis Essentia adeoque ipsa Deitas. Reale igitur idem est, quod verum & Essentiale, & Realiter idem quod verè & Essentialiter, nec ulla subterfugia quæri possunt.* Hactenus Sadeel; ex cujus assertione constat, Reale ipsi hoc in Articulo, nihil esse aliud, quàm Essentiale. Iam verò Sadeel Unionem duarum Naturarum in Christo hoc loco dicit esse Realem. Ergo, Essentialem etiam esse fateatur necesse est, si modo superior ipsius ratiocinatio ullius alicujus debeat esse momenti.

pag. 152. b. Editionis in fol. Anni 1593.

Hoc si negaverit, & Reale tantùm commentitio opponi responderit, tùm totam illam machinam, quam supra ipse adversus terminum (REALE & REALITER) extruxit, ipsemet labefactat, diruit evertit.

Deinde & illud probè notandum, quòd & Communionem Idiomatum,& Unionem Naturarum unius ejusdemq; generis esse, hoc loco disertè affirmat. Iam verò supra scripsit, ex sententia scripturæ, Scholasticorum & Patrum, non nisi verbalem Communicationem Idiomatum statui posse ac debere. Consequens ergo est,& quidem ex ipsâ hypothesi Sadeelis, Unionem quoque duntaxat verbalem esse,hoc est,reipsâ nullam, vel saltem nudam Naturarum *παράστασιν*: id quod hoc Syllogismo confirmo.

Qualis est Unio, talis etiam est Communicatio Naturarum.

At verò Communicatio Naturarum est tantum verbalis,

Ergò ipsa quoque Unio tantùm est verbalis.

Major propositio tùm ex nostra tùm Adversarii sententia est *αὐτόπιστος*, uti patet ex præsenti ipsius asseveratione. Minor rursus autorem habet Sadeelem, qui supra expressè scripsit: *Communicatio proprietatum, quam proponunt Scholastici* (quorum etiam doctrinam hac in parte pro sua agnoscit Sadeel) *est verbalis.* pag. 150. Editionis majoris.

Constat

Conſtat proindè Concluſioni ſua etiam certitudo, nempè Unionem ipſam tantum eſſe verbalem. Qualis ſi eſt, certè non iam Naturarum ac proprietatum, ſed nominum ac verborum duntaxat Communicatio: hoc eſt, merum ac nudum verborum ludibrium, & inanis titulorum ſtrepitus appellari debet. Sic ergò veteratoriè imponit Lectori Sadeel, & muſcerdam pro pipere obtrudit, evacuans & ſubruens univerſum myſterium Unionis Hypoſtaticæ duarum Naturarum in Chriſto: quemadmodum fuſius illud demonſtratum fuit, ſuprà pag. *360.* Obſervent hoc ſtudioſi Theologiæ, & Spiritum Calvinianum indè noſſe diſcant.

Progreditur jam Sadeel, & illum ſibi errorem (Sic enim loquitur) refutandum ſumit, quo Caro Chriſti omnium actionum τȣ̃ λόγȣ Inſtrumentum eſſe dicitur.

Ratio I.

Λόγ☉ eſt Infinitus & æternus, In & cum humana natura, propter Vnionem perſonalem:

Sed non est infinitus & æternus per Humanam naturam: Quod idem de Omnipræsentia dicendum est: nempè λόγον esse Omnipræsentem, In & Cum Humana natura, sed non per Humanam naturam. Hoc enim est non inexplicabile modò, verùm etiam dictu horribile, Humanam naturam, quæ finita est, suisq; dimensionibus circumscripta, esse Instrumentum divinæ Omnipræsentiæ & Infinitatis.

RESPONSIO.

DVm Gens Calvinistica subindè quæstionem ex quæstione serit: & modo hos, modò alios dubitationum scrupulos profert, certè turbulentam conscientiæ suæ fluctuationem manifestè prodit: quæ, quia nihil habet certi, cui innitatur, hinc inde cespitet, & tricas ex tricis eruat, hoc est, errores erroribus cumulet, necesse est. Exemplo potest esse præsens argutatio Sadeelis, quæ pluribus fermè erroribus quàm verbis scatet. Placet illos sigillatim decerpere.

Primùm igitur negans λόγον exerere proprietates suas PER assumtam Carnem tanquam per Organum: non nobis tantùm, sed principaliter ipsi Spiritui sancto in Scripturis affirmativam teneri, dicam manifestè scribit. Quæso enim te, mi Sadeel, quando Christus Luc. 8. 45

& 46.

& 46. sensit ex sacrosāncto suo corpore divinam illam vim esse egressam, quæ mulierem sanguinis profluvio laborantem pristinæ sanitati restituit: Num vim hanc miraculosam, quæ extra controversiam Divinitatis est proprietas, λόγ☉ per corpus hoc suū exeruerit nec ne? Si negaverit Sadeel, habebit reclamantem ipsum Spiritum sanctū, qui citato loco Christū sic de sua carne loquentem introducit: Quis est, qui me tetigit? (Tacta a. fuit nō Divinitas, sed Humanitas Christi) Tetigit me aliquis, scio enim virtutem ex ME egressam esse. Quæ verba Cyrillus l. 4. in Levit. explicans: *Quia*, inquit, *mulier intellexit, quæ esset Caro sancta sanctorū, iccirco accessit & ipsa: Ipsa quidē carnem sanctā attingere nō audet, nondū enim mūdata erat: Sed fimbriā tetigit vestimenti, quo sancta Caro tegebatur, & Fideli tactu virtutem elicuit EX CARNE, quâ plagā, quam patiebatur, sanaret.*

Sic palam contradicit Sadeel Orthodoxis patribus, qui PER humanam naturam assumtam, λόγον divinæ suæ potentiæ operationes exeruisse, perspicuè affirmant: ut Athanasius, Dial. 5. contra Apollinaristas: *Sicut anima in Corpore, sic DEUS λόγ☉ unitus homini edit prodigia, non separatus à natura assumta, placuit ei in ea cū ea & PER EAM, potentiā suam divinā exercere.*

Et

Et Tractatu de Incarnatione verbi, eiusq; Corporali ad eos adventu sic habet. *Qui mente non videt Christum, saltem ex OPERIBUS CORPORIS eum addiscat, & exploret, an Humana ea sint, an divina existimanda. Quod si humana videantur, subsannet si libet. Sin autem non humana, sed DEI comperiantur, omittat risus & subsannationes, & potius admirationi habeat, PER rem tàm vilem* (Corpus) *DIVINA nobis manifestari.*

Alter error est, quod somniat Sadeel, si λόγος per assumtam Humanitatem exerat Omnipræsentiam: necesse esse, ut pari modo exerat etiam Aeternitatem & Infinitatem. At verò Idiomatum divinorum, quando foràs ea progrediuntur vel respectu assumtæ Humanitatis, vel respectu aliarum creaturarum, non parem ac similem esse rationem: sed quædam esse actu secundo ἐνεργητικὰ: quædam non item: suprà immotis rationibus fuit demonstratum, pag. 230. 246.

Tertius error est, quod scribit λόγον esse æternum & Infinitum quidem, In & cum humana natura, propter Unionem, sed non esse æternum & infinitum

tum per Humanam Naturam. Quæ ſanè oratio ſi non de ἐνεργεία, ſed de οὐσία τοῦ λόγου accipiatur, quemadmodum ſanè verbum ὑπαρκτικὸν: eſt: innuit: minus tolerari vel poteſt vel debet, λόγος enim ſive in, ſive cum, ſive per Humanam naturam aliquid operetur, ſemper ratione οὐσίας eſt æternus & infinitus. Sin verò reſpondit Sadeel, ſe intelligere actum ſive ἐνέργειαν: tùm ne ſic quidem vera erit Oratio Sadeelis. Siquidem non modò non per, ſed & non in, ſive cum Humana natura exerit æternitatis ἐνέργειαν. Aeternitas enim & Infinitas ſic cum ipſa λόγου Eſſentia ſimplicisſimè convertuntur, ut nullum unquàm actum ſecundum, ſive ἐνέργειαν exerat. Tota proindè hæc Oratio ad analogiam fidei nuſpiam quadrat: nedum ad evertendam Omnipræſentiam Chriſti Hominis, vel minimum roboris momentiq; obtinet.

Quartus error eſt, quod non modò *Inexplicabile, ſed & dictu horribile eſſe aſſerit, ſi Humana Natura, quæ finita eſt, ſuisq; dimenſionibus circumſcripta, ſtatuatur eſſe Inſtrumentum divinæ Omnipræſentiæ & Infinitatis.* Exhorreſcat verò pius quiſque

ad

ad hanc horribilem vocem Sadeelis: Quod si enim dictu Horribile est, Humanam naturam quippè finitam, & dimensionibus suis circumscriptam, esse Instrumentum divinæ Omnipræsentiæ & Infinitatis: Certè dictu etiã horribile erit, statuere Humanam naturam quippe finitam, & suis dimensionibus circumscriptam, esse Templũ Filii Dei, esse Templum inhabitantis universæ plenitudinis Divinitatis: Coloss. 2.19. esse περιβολὴν amiculum Divinitatis, Athanasius: esse δοχεῖον RECEPTACVLVM τῆς σοφίας καὶ θεότητος. Epiph. in Ancorato. Item: λόγον esse Corpore ἀμφιεσμένον indutum. Ignat. Summatim loquendo, Dictu horribile erit, *Verbum* esse Carnem factam: sive λόγον in, imò intra personæ Unitatem assumsisse humanam naturam: Siquidem hæc finita, illa infinita. Iam verò Finiti ad infinitum nulla est proportio.

En tibi flosculos & emblemata, quibus hoc hominum genus Sacramentarium, coram universa Christi Ecclesia, impietatem animo conceptam, tectè quidem & Sophisticè, sed satis impiè & blasphemè prodere solet.

Sed

Sed audiamus porrò Sadeelem, de propoſita quæſtione philoſophantem: *Fateor*, inquit, *omnia quidem ad opus Redemtionis pertinentia, facta eſſe à λόγῳ, in Carne, & cum Carne. Sed affirmo non omnia facta eſſe per Carnem, ceu per inſtrumentum: ut cum λόγος excitavit Carnem ſuam à mortuis: id fecit quidem in Carne, & cum Carne, quam nunquam deſeruit: ſed non id fecit per Carnem.*

RESPONDEO. Sperat Sadeel vano verborum ſtrepitu, & fuco Sophiſtico ſe nobis illudere poſſe, non minùs, ac ille apud Plautum volebat ſolo ſplẽdore clypei oculorum aciem in hoſtibus perſtringere. Vult enim videri Sadeel credere, λόγον in & cum aſſumta Humanitate miracula edidiſſe: ac proinde illam habuiſſe ſeſe inſtar Inſtrumenti non bruti, ſed vel maximè efficaciter operantis. Hoc enim innuit emphaſis verborum, *Cum humana natura*. Verùm ſi quæras, Quomodo hæc verba intelligat: Mox tanquàm ſorex proprio indicio ſe prodit, reſpondens, Sic cum Carne ſua λόγος edidit miracula ſua, quatenus eam nunquam deſeruit.

Ludit

Ludit nimirum astutè in re seria. Nihil enim magis dicit, quàm quòd λόγος divina miracula edat in & cum Humana naturâ: non quòd ea ad hæc ipsa divina ἐνεργήματα ullo modo efficaciter concurrat: sed duntaxat, quòd λόγος, qui solus sine cooperatione humanæ naturæ, divinas operationes edat, sit personaliter unitus cum λόγῳ. Quo pacto Humana natura ne quidem Instrumentum sive Organon divinarum illarum actionum constituitur: sed actiones illæ divinæ alteri tantùm Naturæ, Divinæ nimirum adscribuntur; non verò toti personæ: id quod Nestorianam hæresin nimis manifestè resipit. Et hæc est una Sophistica ludificatio, viro Theologo maximè indigna.

Sed subest & altera, quæ sic habet: *Multa ac præclara miracula Christus edidit, adhibita Carne, tanquam instrumento, ex quo illud apud Veteres*: Homo tangit, Deus sanat. Illud nimirum sentit & statuit Sadeel, quod passim in scriptis Sacramentariorum occurrit: nempè Humanam Christi naturam eatenus esse organum λόγου in divinis operationibus, quatenus nimirùm vel voce, vel

tactu

tactu, vel aliis externis gestibus concurrit in miraculis: haud magis ac Apostoli concurrebant in miraculorum exercitio: ita quidem ut tantùm humana, non verò divina præstare potuerit, hodieq; possit.

Talem verò Sophisticationem & Scriptura sacra & Orthodoxa Antiquitas prorsus ex agro & finibus Ecclesiæ exterminandam esse jubent. Quod si enim humana natura in operationibus divinis & miraculosis humana tantum præstitit, neque ullam virtutem divinam exeruit: Cur quæso Petrus Actor. *10, 38.* affirmat, ideò Christum Spiritu sancto & potentiâ unctum fuisse (nempè circa humanitatem: Divinitas enim nunquam inungi potuit) ut circumiens in tota Iudæa curationem faceret in populo? Cur Servator ipse, divinam virtutem ex suo sacrosancto corpore, in sanatione hæmorrhousæ egressam esse asserit? Cur antiquitas docuit, quòd λόγος communes faciat, tanquam cum sua carne, divinæ suæ Majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, sanare infirmos. Cyril. de Incarnat. unig. *7*. Et quòd CARO Domini non secundum propriam suam efficaciam sive actionem, sed propter unitum sibi λόγον

DIVINA; operetur, λόγῳ PER eam manifestante propriam virtutem sive actionem.

Quorum tùm scripturæ tùm Antiquitatis testimoniorum evidentiâ moti, firmiter credimus, Miracula per Christum facta, & quidem ipsam divinam virtutem edendi miracula non soli Divinitati, sed & Humanitati esse tribuendam: hoc tamen discrimine, quod virtus hæc edens miracula, Originaliter sit τοῦ λόγου propria; atque sic principatus miraculorum Christi resideat penes Deitatem: minùs principaliter, vi Unionis, competat Christo, quâ homo est, hæc ipsa virtus sive potentia, quâ etiam unctus est secundum carnem, ut humana ejus natura sit organum & instrumentum istorum miraculorum, non solùm externi ministerij respectu: sed etiam ratione divinæ virtutis illius & potentiæ: qua in Incarnatione personaliter secundum hanc carnem suam inunctus est: uti supra ostensum, pag. 92. & sequentibus.

Neque tamen propterea Naturæ ipsæ & Naturarum Operationes naturales ac propriæ confunduntur. Etsi enim in ἀποτελέσμασι istis θεανδρικοῖς, si ad proprietates naturarum, earundemq; distinctionem respicias, libenter concedimus, quamque

que Naturam agere ex se ea, quæ NATURALITER sibi sunt propria: interim tamen vi & beneficio Unionis, Humanam naturam in realem κοινωνίαν operationum divinarum pervenisse, vel indè irrefragabiliter demonstrari potest: quod secundum scripturas caro Christi verè est vivifica, Ioh. 6, 55. quod sanguis Filij DEI nos emũdat ab omni peccato. Ioh. 1, 7: quòd sanguis Christi purgat conscientias ab operibus mortuis: Hebr. 9, 14. quòd CORPUS CARNIS Christi reconciliat nos. Colos. 1, 22. Certè actiones istas & hujus generis alias, merè divinas, non verò humanas esse quisque sanus facilè intelligit. Iam verò, quia scriptura eas carni, Sangvini, Corpori Carnis Christi disertè adscribit: manifestum evadit, in operationibus istis divinis, Humanam naturam non humana tantùm, sed & divina verè operari; eotamen observato discrimine, de quo jam modò dictum.

Neque verò indè duæ divinæ virtutes emergunt: sed una numero est & manet virtus divina. Etsi enim virtus hæc non est Carni NATURALITER propria: tamen per Unionem ipsi

Digitized by Google

communicata est personaliter : ut verè jam in eo differant miracula Christi ab Apostolorum miraculis: quod hi virtute merè aliena fecerunt prodigia : Christus autem virtute sua propria.

De Resuscitatione corporis Christi sic credit & statuit Religio Christiana, Resurrexisse Christum à mortuis virtute non modò illa communi toti Trinitati: sed virtute etiam propriâ, nō tantùm quò: ad essentialem illam, quæ est divinitatis τȣ̃ λόγȣ propria: sed etiam quoad communicatam illam virtutem ac potentiam vivificam, quam in Unione cum λόγῳ Humana natura verè ac realiter accepit. Etsi enim corpus tùm propter profundissimam exinanitionem, ad vivificationem sui non cucurrit: Anima tamen à divina hac actione resuscitationis carnis suæ excludi minimè potest: secundum illud Iohan. *10, 18*. Ego potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo resumendi eam.

Ratio II.

Hoc modo ἐνέργεια & ἐνέργημα confunduntur. Opus enim Redemptionis est ἐνέργημα & ἀποτέλεσμα: sed non est ἐνέργεια, cùm sit potiùs ipsarum ἐνεργειῶν effectum.

RE-

Responsio.

En verò tibi acumen & ſubtilitatem plusquàm Magiſtralem: petitam ex meditullio linguæ Græcæ. At verò ô miſeram Theologiam noſtram, ſi ſecundum Lexicographorum ſubtilitates (ſæpius vanitates,) judicari debeat. Quanquâm ne hoc quidem diſcrimen à Sadeele productum Lexicographis eſt adſcribendum, ut qui ἐνέργημα & ἐνέργειαν pro Synonymis habent, & utramque vocem, tùm pro δυνάμει ſive virtute aut efficaciâ agendi, tùm pro ipſo effectu & apoteleſmate accipiunt, Certè in 1. Cor. 12, 6. Apoſtolus uſum donorum ſpiritualium, quem in edendis miraculis Apoſtoli exerebant, nominat ἐνεργήματα: Hilarius verò teſte ipſo Beza rectè vertit ἐνεργείας.

Deinde poſito & conceſſo hoc diſcrimine, nihil tamen propterea cauſæ noſtræ decedit. Nam & ἐνέργεια & ἐνέργημα ad Chriſtum ſecundum utramque naturam pertinent. ἐνέργεια certè & ἐνέργεια verè divina eſt, poſſe conculcare caput ſerpentis: At hoc ſemini mulieris adſcribitur: ἐνέργεια divina eſt, poſſe vivificare, purgare à peccatis, mundare ab operibus mortuis, reconciliare DEO: At verò hæ ἐνέργειαι

à Spiritu Sancto tribuuntur Carni, Sanguini, & corpori Carnis Christi: uti paulò ante ostensum. Vana proindè & elumbis planè est hæc distinctio ἐνεργειῶν & ἐνεργημάτων, in hoc mysterio.

Ratio III.

Si Realiter communicatur ἐνέργεια? Non sunt igitur Naturarum in Christo diversæ ἐνέργειαι. Quod si ita est, Monotheletæ ab inferis jam sunt revocandi.

RESPONSIO.

IAm paulò antè fusiùs demonstratum, unam numero esse & manere virtutem DIVINAM: licet Divinitati Essentialiter sive Naturaliter: Humanitati verò personaliter conveniat. At verò interim & illud ostensum per communicationem Realé Divinæ hujus virtutis, Humanitati communicatam, non confundi vel Naturas ipsas, vel Naturarum operationes naturales ac proprias; quemadmodum Monotheletæ somniabant; *οἱ μὲν γὰρ μιὰν θέλησιν κηρύττοντες, μίαν ἄντικρυς καὶ φύσιν κηρύττουσι*, ut Sophronius Hierosolymitanus patriarcha rectè in Synodo Hierosolymitana pro-

na pro.

na pronunciavit. Conſulantur ea, quæ paulò antè ad Rationem primam ſunt reſponſa: ut & pagina 144.

Ratio IIII.

Nomen Inſtrumenti hîc uſurpatum repugnat Reali proprietatum Communicationi: Cùm enim duo ſint Inſtrumentorum genera: Vnum παθητικὸν tantùm ut ferrum: Alterum, quod propriam habet actionem: cujusmodi eſt paſtor Eccleſiæ prædicans Evangelium, ut credamus. Neutrum verò genus Reali Communicationi competit. Ergo.

Responsio.

QUid quæſo præter vaniſſimas Rationis argutias vel ſtoliditates potiùs profert Diſputator? Siccine ergo nullum aliud ex ſcripturis dari poteſt Organum, quàm quod ad duo iſta genera à Sadeele producta exactè congruat? Sic nimirum διὰ τὸ ἐλλιπὲς Sophiſticari ipſi libet. Statuimus autem 1. diſtinguendum eſſe inter Inſtrumenta ſive Organa Separata, qualia ſunt artificum inſtrumenta, quæ à perſonis artificum ſejuncta ſunt; & quæ ad hoc myſterium non niſi per deteſtandā

ſive

ſive malitiam, ſive ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας ac-commodari poſſunt: Et inter inſtrumenta non ſeparata: hoc eſt, conjuncta: Ubi tamen rurſus infinitum dari poteſt diſcrimen. Etſi n. Doctor ſive miniſter Eccleſiæ in prædicatione Evangelij vocem ſuam ac miniſterium quaſi mutuatur Spiritui Sancto: & ſic vox hæc ſive actio Miniſtri verè conjuncta eſt cum operatione & virtute Spiritus Sancti: Siquidem (ordinariam viã ſi ſpectes) Spiritus Sanctus nõ ſine hac prædicatione Evangelij, ſed per eam Converſionem & fidem operatur: adeò ut vox hæc ſit vox ipſius Spiritus Sancti, per Miniſtrum loquentis: ſecundum illud, Qui vos audit, me audit: nullatenus tamen hoc ſimile ad præſentem quæſtionem explicandam ſufficit. Unde Tertium quoddam & à reliquis inſtrumentorum generibus omnibus toto genere diſcrepans oritur: Quod nominare poſſumus perſonale. Humanæ enim naturæ per Unionem λόγος divinam illam ſuam virtutem verè ac realiter communicavit, ut in edendis miraculis uteretur quidem Humana natura tanquàm organo, ſed non ut organo ἀπράκτῳ quoad divinas ἐνεργείας, ſed longè efficaciſſimo: ut licet non Naturaliter &

ex

ex proprietate sua: tamen personaliter, virtute Unionis & Communicationis hujus, Caro Christi præstet divina planè miracula: uti fusius hactenus ostensum fuit.

Ratio V.

Cùm ea quæ in terris præstanda erant in Christi carne, plenè & perfectè fuerint suis temporibus præstita: nunc ipsius Carnis præsentia in terris PERPERAM requiritur.

Responsio.

Quæ verò mi Sadeel est ratio Consequentiæ: Christus in terra suis temporibus plenè ac perfectè præstitit ea, quæ præstanda erant.

Ergo ejus nunc in terris præsentia secundum Carnem perperam requiritur.

Pari logicâ sic argumentari possem: Spiritus Sanctus hisce in terris in festo Pentecostes præstitit ea, quæ ratione effusionis donorum super Apostolos præstare debuit, Ergo Spiritus Sancti hisce in terris præsentia secundum carnem perperam requiritur.

Si excipiat Sadeel, à præsentia Spiritus Sancti ad præsentiam carnis Christi

in Cœlis. Quibus phrasibus Omnipræsentiæ Majestatem Christi Hominis irrefutabiliter stabiliri, tùm supra pag. *175.* & sequentibus, ostendimus: tùm infrà cap. 4. in diexodo Loci primi ex professo erit demonstrandum.

Locus Epistolæ ad Hebræos, *si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset*, supra pag, *167.* adversus Calvinianorum vanissimas cavillationes ita assertus fuit: ut ne in speciem quidem ipsorum causam vel tantillum juvare queat.

Sic quæ de Regni Christi qualitate disserit, infra capite quarto examinabimus.

Disputa-

Disputatio ἐλεγκτικὴ

SADEELIS ADVERsus distinctiones, quibus in explicando hoc mysterio uti solemus.

ACcedit Sadeel jam ad Refutationem earum Distinctionum, quibus hactenus invictè omnes ἀντιφάσεις sive Contradictiones, quas nobis impingere, sed falsò student Adversarij, elisimus & propulsavimus.

Ac initiò quatuor erroribus obruere conatur eam distinctionem, quâ Corpus Christi tribus distinctis modis considerare solemus: 1. quidem secundum Naturæ proprietates: Deinde secundum eas dotes, quas in modum Corporum clarificatorum ex resurrectione possidet, & tandem, secundum divina illa & increata ac infinita dona, quibus mox in primo Conceptionis modo illud verè ac realiter inunctum fuit. Sed placet Sadeelem κατὰ πόδα sequi.

Er-

Digitized by Google

Error I.

Inter nos quæritur, An vi Vnionis Hypostaticæ Humana natura habeat divinam maiestatem: Ecce autem Maiestatem numerant pro uno membro suæ divisionis. Ergo petunt principium.

RESPONDEO. Tum demùm obtinet principij petitio, quando idem probatur per se ipsum, ut si quis responderet, Ideò Maiestatem divinã habere Carnem Christi, quia habeat eam, nullis assignatis rationibus. Hoc verò à nobis non fit, sed probamus Maiestatem eiusmodi scripturarum testimonijs, ad quæ Sadeel & universa cohors Sacramentaria ad stuporem usque obmutescere cogitur. Notavimus ea supra pag. 81. & seqq. & inde argumenta pro nostrâ affirmativâ extruximus prorsus immota & irrefutabilia.

Error II.

Quando dicunt se considerare humanam Naturam in tertio modo secundum Maiestatem, quam accepit ab Vnione Hypostatica: non considerant Naturam tantum sed personam.

RESPONDEO. Considerari quidem personam, sed non secundum utramque naturam: verùm secundum alteram, Humanam

manam videlicet: ſecundum quam, divinam illam Maieſtatem à λόγῳ in Unione accepit: ita quidem ut tertius ille reſpectus directè accommodetur ad humanam naturam: licet in perſona conſideratam. Aliud enim eſt Conſiderare perſonā, aliud conſiderare alterutram naturam in perſona: prius illud totum Compoſitum, hoc eſt, utramque Naturam: poſterius hoc partem compoſiti in Compoſito, nempè alteram tantùm naturam in perſona reſpicit. Manet ergo Tertius iſte modus adhuc ſartus & tectus.

Error III.

Nunquam Scriptura Maieſtatem tribuit Humanæ Naturæ in abſtracto.

RESPONDEO. Nunquam Sadeel legit ſcripturam, alioqui contrarium deprehendiſſet. An non Maieſtas divina eſt, vivificare: At hoc in abſtracto (ſed in perſona) Carni Chriſti tribuit ſcriptura. Ioh. *6, 55.* Purgare conſcientiam ab operibus mortuis, & emundare ab omni peccato, eſt Maieſtas divina: Ac verò hoc in abſtracto tribuit ſcriptura ſanguini Chriſti Hebr. *9, 14.* *1.* Ioh. *1, 7.* Reconciliare genus humanum

num DEO patri, eſt Maieſtas divina: At hoc in abſtracto Corpori Carnis Chriſti tribuit ſcriptura Coloſs. 1, 22. Sic quòd omnis plenitudo Divinitatis in Chriſto inhabitare dicitur Corporaliter: vel ipſa verborum emphaſis de Humana Natura iſtud intelligendum eſſe evincit: quòd nimirum divina Maieſtas habitet in aſſumta carne, tanquam in Templo ſuo ſecundum illud Athanaſij, lib. de natura humana ſuſcepta contra Apollinarium: *Cum dicit Apoſtolus, quòd in Chriſto habitet omnis plenitudo Deitatis Corporaliter, plenitudinem illam IN CARNE habitare intelligendum eſt.*

Error IIII.

Diſtinguunt Maieſtatem Humanæ Naturæ à Glorificatione: atque ita diſſentiunt ab Apoſtolo: qui cum Maieſtatem Chriſti nobis deſcribit, profert ipſam glorificationem. Phil. 2, 9: Propterea DEVS eam ſummè exaltavit &c.

RESPONSIO.

FAllit argumentũ Sophiſmate παρὰ τὸ πῆ ϗ ἁπλῶς. Nõ enim ſimpliciter diſtinguim⁹ Maieſtaté Humanæ naturæ, quã in primo

primo Conceptionis Christi & Unionis momento accepit, à Glorificatione, quam in Ascensione & sessione ad dexterã DEI patris, eidem Humanitati obtigisse asserimus: ac si gemina sit Maiestas, Una Unionis: altera Ascensionis propria. Una enim numero utrobique est Maiestas, una gloria, sed distinguimus eam duntaxat ratione usurpationis. Etsi enim à primo conceptionis momento, Humana natura inuncta fuit infinitâ Spiritus plenitudine, inq; ea habitavit universa plenitudo Deitatis Corporaliter: ita quidem, ut si κτῆσιν spectes, sublimius evehi ad divinæ Maiestatis & gloriæ fastigium haud potuerit: Interim tamen hæc ipsa evectio, propter interventum servilis status, & usurpationis plenariæ abdicationem ad tempus nõdum expressè in scripturis exaltatio insignitur: Quæ ipsa tamen exaltatio sive glorificatio, non novæ alicuius Maiestatis κτῆσις acquisita: sed pristinæ, iam in Unione acceptæ χρῆσις manifestata est ac dici debet. Utrobique ergo & exaltatus & glorificatus esse, piè recteq; Filius Mariæ creditur: semel in ipsâ naturarum Unione, quæ tempore Conceptionis facta est: Iterum in ascensione ad Cœlos; Istic divi-

divinæ majeſtatis jura ac poſſeſsionem adeptus eſt: hìc uſurpationem plenariam, & nullo æternitatis momento ampliùs abdicandam exercere cepit.

Notandus verò hoc loco obiter Spiritus vertiginis & contradictionis in Calvinianis: Nam antehac ſemper nobis Confuſionem Articulorum Unionis & Seſſionis ad dextram patris objecerunt: Nunc verò Sadeel immutato ſtatu, diſtinctionem nobis Majeſtatis, (in Unione ſcilicet acceptæ) & Glorificationis (reſpectu ſeſſionis ad dexteram patris conſideratæ) objectat. Sic ergo Andabatæ iſti nuſpiam inter ſe concordant. Cæterùm cum Sadeele progrediamur & quibusnam machinis diſtinctiones noſtras reliquas evertere conetur, expendamus. Ubi tamen cùm Sadeel ſubindè principium petat, & Sophiſmata jam antè diſcuſſa ac profligata, tanquàm ἀξίωματα repetat, breviores eſſe poterimus, notatis duntaxat Refutationis hujus noſtræ paginis, quæ uberiorem ſingulorum σοφισμάτων diexodon proponunt.

Digitized by Google

I. DISTINCTIO PER se & κατ' ἄλλο.

Argumentum I. Generale.

NVllæ distinctiones quæ tollunt ipsa subjecta, inter quæ distinguere videntur, sunt Theologicæ: ac ne distinctiones quidem.

Sequentes distinctiones ad confirmandam Corporis Christi Omnipræsentiam adhibitæ, tollunt ipsa subjecta, inter quæ distinguere videntur.

Non sunt igitur Theologicæ distinctiones, ac ne distinctiones quidem.

Minor ita probatur: Si Corpus est Omnipræsens, jam non est Corpus: quia hoc est de ratione Corporis, ut sit finitum & circumscriptum certis dimensionibus. Rursus: Hoc est de ratione Deitatis, ut essentialis ejus proprietas (quæ est ipsa Essentia) nulli rei creatæ communicetur.

RESPONSIO.

Minor propositio est falsissima, inque ejus confirmatione Adversarius per crassam Ignorationem Elenchi, Sophisticè petit principium. Etsi enim de quovis alio Corpore humano ac naturali verum est, quod ejus Ratio minimè permittat, ut sit finitum

finitum & circumſcriptum certis ſuis dimenſionibus: & ſimul etiam ſit ubique: falſiſſimum tamen hoc eſſe de Corpore Filii DEI, jam aliquoties invictè fuit demonſtratum: cumprimis verò ſuprà pag. 319. uſq; ad paginam 333. Eſt enim Corpus hoc non modò verum corpus, quale etiam in omnem æternitatem, ſalvis & illæſis manentibus proprietatibus, manet: Sed eſt Corpus unigeniti Filii DEI, in cujus hypoſtaſi ſubſiſtens, extra, ſupra & ultra omnẽ locum, ſubſiſtit: non quidem ex naturali ſua proprietate, ratione cujus eſt ac manet finitum, ſuique terminis circumſcriptum: Sed ex Unione Hypoſtatica cum λόγῳ.

Pari ratione quomodo Eſſentialis proprietas λόγȣ, Carni Chriſti communicari potuerit, jam modò eſt oſtenſum: cũprimis in Refutatione Argumenti primi, quod Sadeel adverſus Realem Communicationem Idiomatum protulit, vide pag. 391.

Argumentum II. Generale.

Diſtinctiones, quibus utuntur Vbiquitarii, inferunt contradictionem: Volunt enim hoc efficere, ut Corpus realiter & ſimul ſit finitum & infinitum.

Responsio.

Calumnia hæc eſt, non argumentum. Quis enim ex noſtris unquam vel dixit vel ſcripſit, Corpus Chriſti ſimul eſſe finitum & Infinitum. Verùm hæc quoq; calumnia ſupra exploſa & profligata fuit: pag. 267. 271. 315. 321. &c.

Argumentum III. Generale.

Diſtinctiones (Ubiquitariorum) *ſunt inexplicabiles. Quare non ſunt habendæ pro diſtinctionibus.*

Responsio.

Sophiſma παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Sunt diſtinctiones iſtæ inexplicabiles rationis humanæ judicio & acumini: quales ſunt etiam reliqui articuli Religionis Chriſtianæ ſinguli & Univerſi: neque tamen propterea falſi. Cæterùm non ſunt inexplicabiles Fidei Chriſtianæ, quæ explicationem hujusmodi myſteriorum quærit, non in principiis philoſophicis aut rationis noſtræ dictamine: ſed in oraculis ſcripturarum, quibus pio ac fideli obſequio ſeſe ſubjicit, licet ratio ſublimitatem eorum comprehendere ac dijudicare nequeat.

Notetur autem hoc loco rurſum Axi-

oma

Digitized by Google

oma Calvinisticum, quo in disputationibus, de summis Christianæ fidei Articulis, gens Sacramentaria uti non veretur: ut: *quæcunque distinctiones sunt inexplicabiles: non sunt habendæ pro distinctionibus.*

Quod sanè axioma absurdissimas quasque hæreses egregiè stabilit & confirmat: imò arma quasi suppeditat hæreticis, quib⁹ omnes Articulos fidei infringere ac subruere queant. Exempli gratia: In Articulo de Unitate Essentiæ divinæ, & Trinitate personarum: Hæreticis contradictionem objicientibus (Unum videlicet non posse esse tria, & vicissim) Ecclesia hactenus respondere consuevit, hac adhibitâ distinctione. Unitatem in divinis considerari ratione Essentiæ: Trinitatem verò, ratione personarum: ac proindè nullam implicari ἀντίφασιν: siquidem alio atque alio respectu DEUS unus & trinus dicatur. Hanc distinctionem Hæretici facilè elident, si axioma hoc Calvinisticum obverterint: *Nullæ distinctionis, quæ sunt inexplicabiles, habendæ sunt pro distinctionibus.* Nam distinctionem hanc, qua in Trinitatis Articulo utimur, tàm est inexplicabilis, quàm unquam inexplicabiles esse possunt eæ distinctiones, quibus in Articulo de persona Christi uti solemus. Quod ipsum de re-

liquis etiam Articulis per omnia est statuendum.

Argumentum IIII. Generale.

Distinctiones (Ubiquitariorum) *id volunt efficere, cujus Contrarium manifestè extat in Scriptura:* (nempè Corpus Christi esse Ubique; cui tùm historia Euangelica, tùm omnia scripta Apostolorum contradicunt: ut perspicuum fuit, ex scripturæ locis supra citatis.)

Quare, non sunt Theologica.

RESPONSIO.

Antecedens est manifestè falsissimum. Utrumque enim scriptura affirmat: *1.* quod Christus Corpore suo secundum Naturalem sui conditionem in loco fuerit, de loco in locum verè progressus: & hoc respectu non simul fuerit ubique. *2.* Quòd Christus hoc ipsum Corpus suum extra & supra omnem locum in illocalem τῦ λόγυ ὑπόστασιν evexerit: & nunc per sessionem ad dexteram patris, hoc ipso Corpore suo impleat omnia. Ephes. *4, 10.* dominetur à mari usque ad mare, in medio inimicorum suorum: Psal. *72, 8.* & *110, 2.* ambulet in medio septem candelabrorum aureorum, hoc est, septem Ecclesiarum Asiæ Apocal. *1, 13.* Quem personalem

præ.

præſentiæ modum dùm ignorat Sadeel, & Naturalem duntaxat urget; fit ut nimis ineptè, & parùm Theologicè de tanto Myſterio diſſerat. Vide ſupra pag. *66. 67.* & *205. 206.* &c.

Et hæc ſunt pulchella iſta argumenta, quibus Sadeel generaliter adverſus Diſtinctiones noſtras, ſed nimis infeliciter, inſurgere voluit.

Verùm placet Unico Syllogiſmo, futilitatem omnium iſtorum argumentorum ampliùs retundere: qui ſic habet;

Quæcunque diſtinctiones fundamenta ſua habent in ſcripturis, & ſecundum earum mentem ac ſententiam ad docendum adhibentur: quin & Orthodoxæ Antiquitatis conſenſu gaudent: eæ non tollunt ipſa ſubjecta, inter quæ diſtinguunt: non inferunt Contradictionem: non ſunt inexplicabiles (nempè fidei:) non contradicunt ſacris literis.

Atqui diſtinctiones noſtræ, quibus affirmamus, humanam naturam eſſe Omnipotentem, Omniſciam, Omnipræſentem, Vivificam, Adorabilem, non per ſe, ſive ſuâ naturâ: ſed ex Vnionis gratiâ: &c. ſua habent fundamenta in Scripturis: & ſecundum earum mentem atque ſententiam ad docendum adhibentur;

quia & Orthodoxæ Antiquitatis consensu gaudent.

Ergo Distinctiones nostræ non tollunt ipsa subjecta, inter quæ distinguunt: non inferunt contradictionem: non sunt inexplicabiles: non contradicunt S. literis.

Majoris evidentia per se lucet. Minorem confirmat Apostolus, quando Roma. 9, 5. asserit, *Christum, quâ DEUS est (Naturâ) esse adorandum & benedictum in secula:* At verò Phil. 2, 9. affirmat, *Christo juxta exaltatam naturam per gratiam donatum esse (ἐχαρίσατο) ut adoretur ab universa creaturâ.*

Sic Epistola ad Hebræos dicit, Christum *sortitum esse*, vel ut textus Græcus habet, *hæreditasse excellentius nomen præ Angelis.* cap. 1, 4.

Sic Apocal. 5, 12. audit Iohannes vocem dicentem: *Dignus est Agnus, qui occisus est, ACCIPERE virtutem, divitias, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem.*

Jam verò illud ἐχαρίσατο, & κεκληρονόμηκεν, & λαβεῖν, de Christo secundum divinam Naturam tàm non intelligi potest, quàm non per gratiam, sive hæreditatem, aut donationem in tempore illi aliquid propter absolutissimam naturæ perfectionem, donari aut dari potuit. Relinquitur

quitur ergo divina isthæc ἀξιώματα, sive divinam hanc majestatem, Christum in tempore per gratiam, & sortem sive hæreditatem accepisse, respectu assumtæ humanitatis: ac proindè Unam eandemq; numero divinam ac infinitam Majestatem competere divinitati Christi, PER NATURAM sive ESSENTIAM: Humanitati verò PER GRATIAM sive DONATIONEM, ex unione cum λόγῳ. Suffragatur Orthodoxa Antiquitas: ut Cyrillus lib. 8. Thesauri. cap. 1. *Vt homo PER GRATIAM à Deitate accepit, quæ ut DEVS NATVRALITER habebat.*

Et lib. 4. in Iohannem, cap. 24. *Quando vivificam appellat Carnem suam, non ita illi, ut sibi, sive proprio Spiritui vim vivificandi attribuit: Nam PROPTER SEIPSVM Spiritus vivificat, ad cujus virtutem Caro PER VNIONEM conscendit.*

Damascenus lib. 4. cap. 3. *Caro ejus secundum SVAM NATVRAM inadorabilis est, ut Creatura: VNITA autem DEO verbo, PROPTER ipsum, & IN ipso adoratur.*

Et eò tendunt singulæ ac universæ distinctiones, quibus in hac disputatione uti solemus: nempè ut ostendant, illud, quod λόγῳ per naturam & Essentiam

competit: Humanitati aſſumtæ per Gratiam Unionis competere: quemadmodum fuſiùs in ſpeciali conſideratione Diſtinctionum iſtarum oſtendemus.

I. DISTINCTIO: PER Se & κατ᾽ ἄλλο.

PRimam hanc diſtinctionem multis erroribus laborare ſcriptitat Sadeel noſter: qui quales ſint, lubet cognoſcere.

I. Error

Abutuntur, (Ubiquitarii) *hoc loquendi genere nempè κατ ἄλλο: cuius hic proprius eſt uſus, ex ratione Theologicè diſſerendi, ut, quoniam in Chriſto eſt Aliud & Aliud, ἄλλο καὶ ἄλλο, & non Alius & Alius: iccirco cùm Chriſto Homini tribuuntur ea, quæ propriè Deitati conveniunt: & viciſſim Chriſto DEO tribuuntur ea, quæ Humanæ naturæ conveniunt: ea intelligantur eſſe dicta κατ᾽ ἄλλο ut cùm Filius Hominis dicebatur eſſe in cœlo, ratione τοῦ λόγου aſſumentis: & Domi-*

nus

Digitized by Google

nus gloriæ dicitur crucifixus, ratione naturæ Humanæ assumtæ.

Responsio.

Quemadmodum Euphorbus in Pythagora renatus esse perhibetur: Sic in Sadeele Zuinglii detestanda ἀλλοίωσις surrexit: ut & in illo, & in hoc Diaboli respondere cogamur insidiis. Et ut hoc manifestiùs pateat, initiò notanda venit æquivocatio phraseως, κατ᾽ ἄλλο. Nam gens Calviniana præter & contra scripturarum mentem, ac Orthodoxorum Patrum sententi*am*, τὸ κατ᾽ ἄλλο, *per* ἀλλοίωσιν καὶ ἀντίδοσιν τῶν ὀνομάτων, vel quod idem est, per verbalem communicationem Sophisticè imò impiè interpretatur: Ut, Exempli gratiâ, quando dicitur, DEVS est passus: ibi Calviniani hanc phrasin κατ᾽ ἄλλο, hoc est, respectu humanitatis sic intelligendam esse contendunt, ut passio nihil ad Deitatem pertineat, adeò quidem, ut ne verbalis quidem communicatio dici possit, respectu Naturæ divinæ: sed ad *SOLAM HVMANITATEM*, cujus proprium sit pati, referatur: ac proindè in hac propositione subjectum (DEVS) per ἀντίδοσιν τῶν ὀνομάτων sit explicandum per Humanam Naturam, quæ Deitati sive DEO sit unita.

Hanc explicationem falsam & hæreticam

reticam esse, neque ex ratione Theologicè, sed ex deceptrice illa arte Sophisticè ac hæreticè differendi, promanare, constanter asserimus, Hàc enim stante explicatione, corruit Articulus ille Symboli Apostolici, quo credere nos profitemur in Iesum Christum FILIUM DEI UNICUM DOMINUM NOSTRUM, qui passus est sub Pontio Pilato: Non verò, Cujus natura humana passa est.

Proinde nos & scripturam sacram, & Symboli Apostolici Articulos secuti, unâ cum Orthodoxis patribus, particulam hanc distinctivam κατ᾽ ἄλλο, ut & id genus alias, longè aliter interpretamur. Nam particulæ hæ distinctivæ, non tantùm Naturam monstrant, cujus proprium est, quod toti personæ tribuitur: sed Causam quoque significant, quare alteri naturæ tribuatur, videlicet quia cum ea Personaliter unita sit.

Ubi tamen illud observationem probè meretur, quòd pro diversitate trium distinctorum communicationis Idiomatum generum, alius est distinctivarum illarum particularum, κατ᾽ ἄλλο, & similium usus in primo, alius in tertio Communicationis Idiomatum genere. In primo enim, (uti jam dictum) ad distinguendas natu-

naturas, earundemq; proprietates asserendas adhibentur: In tertio verò genere demonstrant, ea quæ supra Conditionem humanæ naturæ sunt, propter Unionem tamen Hypostaticam ipsi Humanæ Naturæ verè competere.

Exemplis ijsdem, quibus Sadeel uti voluit, rem liceat illustrare, Quando affirmamus Filium DEI esse passum, κατ' ἄλλο, pertinet hæc phrasis ad primum genus Communicationis Idiomatum, ac proindè particula adjecta distinctiva, καθ' ἄλλο ostendit, secundum quam Naturam, Passio hæc toti personæ Christi verè ac realiter, non ἀλλοιωτικῶς competat. Nam licet τὸ pati solius humanæ naturæ sit Idioma, quia tamen λόγος Humanitatem personaliter sibi univit, iccircò propria quoq; ejus, per ἰδιοποιίαν, uti veteres loquebantur, sibi univit, ut jam non alterutra Natura sola passa esse dicatur, sed tota persona, quæ est Christus subsistens in duabus Naturis, & sic ipse quoque FILIUS DEI IN HAC IPSA CARNE SUA.

Quo pertinet Anathematismus ille quartus Synodi Ephesinæ, *Si quis in duabus subsistentiis eas voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur & Evangelicis, dividit, vel, quæ*

de

Digitized by Google

de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso: aliquas quidem ex his, velut homini, qui præter DEI verbum specialiter intilligatur, aptaverit: illas autem, tanquàm dignas DEO, soli DEI patris verbo deputaverit, Anathema sit.

Et idem Cyrillus in Epistola ad Nestorium: *Sic* λόγον *dicimus passum esse, non quòd DEUS verbum in sua natura passus sit plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera:* θεὸς γὰρ ἀσώματος καὶ ἀπαθής ἐστι: *sed quia Corpus illud, quod ipsius proprium factum est, passum est: ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus, fuerat enim in eo corpore, quod patiebatur, DEUS, qui pati non poterat.*

Quoad alterum Exemplum, phrasis, *Filius Hominis, qui in terris cum Nicodemo loquebatur, simul est in cælo:* Ioh. 3, *13:* pertinet ad tertium Genus Communicationis Idiomatum: Ubi si de veritate ejus quæratur: rectè respondemus, veram eam esse, non καθ' ἀυτὸ, hoc est, per se, & ex proprietate humanæ naturæ: sed κατ' ἄλλο, verùm non sensu Calviniano, quòd videlicet per Filium Hominis ἀλλοιωτικῶς intelligendus sit λόγος: sed sensu Orthodoxo: quòd nimirùm hic ipse Filius Hominis, sive Humana

mana natura Christi, quantumvis Localiter erat in terris cum Nicodemo: simul tamen verè fuerit in Cœlo, imò ubique: sed κατ' ἄλλο: hoc est, non ex proprietate suæ naturæ: sed ex Unione Hypostatica, per quam assumta est Humanitas illa, non in locum aliquem: sed in illocalem λόγȣ ὑπόστασιν: ubi loca omnia infinitis parasangis transcendit: & cum assumente λόγῳ, in cœlo ac in terra ubique semper fuit præsentissima.

Quibus ita observatis manifestum est, Sadeelem bis turpiter errare: primùm quidem, quòd phrasin κατ' ἄλλο, per ἀλλοίωσιν Zuinglii explicat: deindè, quod in exemplis duobus allatis: quemadmodum etiam in illis, quæ ex Damasceno & Cyrillo subjicit, Sophisticè confundit primum & tertium Genus Communicationis Idiomatum.

Unde illud Corollarii loco elicimus; Sacramentarios etsi videri volunt primum communicationis Idiomatum genus aliquousque admittere: quando nimirùm nobiscum loquuntur, rectè affirmari de tota persona, quæ alterius naturæ sunt propria: ac proindè veram esse phrasin, Filius DEI est passus: sed κατ' ἄλλο:

Inte-

Interim tamen illos hoc non verè & ſyncerè credere, dùm nimirum per perſonam, ἀλλοιωτικῶς eam tantum & SOLAM naturam intelligunt, cujus proprium eſt unum quodque prædicatum.

Quæ porrò adverſum neſcio quos diſputat Sadeel, ut qui ex philoſophicis principijs, Myſterium Unionis Perſonalis explicare conati fuerint, ea nihil ad nos. Subſcribimus enim hac in parte *Sadeeli*, non eſſe hac in diſputatione admittendam *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*. Atque utinam ſibi ipſe hanc præſcripſiſſet regulam, Sic enim de Localitate, viſibilitate, palpabilitate, infinitate, Circumſcriptione, dimenſionum naturalium proportione, quantitate, & id genus Phyſicis principiis aliis, nobis hactenùs non moviſſet Controverſiam.

II. Error Primæ diſtinctionis.

Secundus error, Petitio principij. Non enim quæritur inter nos, an hoc ſit Humanæ Naturæ proprium, ut ubique ſit, & Omnipræſens, ſed quæritur, An Humana Natura aſſumta à λόγῳ, ſit ubique, quia ὁ λόγος eſt Ubique.

Illi

Illi verò (Ubiquitarii) *ita distinguunt: Humanam Naturam, per se, non esset Vbique, sed assumtam à λόγῳ, ubique esse. Quod quidem nihil aliud est, quàm repetere id, quod est in quæstione petitum.*

Responsio.

Quis verò jussit Sadeelem sic pervertere statum controversiæ? Hoc enim quæritur hoc loco inter nos & Adversarios: An per Realem Communicationem Idiomatum, & sic ipsius quoque Omnipræsentiæ, Humanæ naturæ proprietates tollantur & aboleantur: & ut Sadeel nobis suprà objecit, Eutychiana Naturæ humanæ Deificatio stabiliatur? Ubi respondemus negatè, hac suffulti distinctione, quòd Communicatio hæc non sit Essentialis aut Physica: ac proindè Idiomata divina, ut Omnipræsentia, &c. non competant Humanæ naturæ *καθ' αὑτὸ* per se: sed *κατ' ἄλλο*, secundum aliud, nempè respectu Unionis cum *λόγῳ*. Iudicet hic, qui judicare potest, nùm in hac responsione nostrâ petatur principium.

III. Error, primæ distinctionis.

Tertius error: Ἀντίφασις Contradictio.

NOTA. Totum hoc argumentum, & universa ejus probatio, iisdem penè verbis supra fuit proposita à Sadeele, in argumentis, quibus militare voluit adversus Communicationem Idiomatum. Vide Refutationem Argumenti primi, pag. 391.

Insigne verò mendacium, & intolerabilis calumnia est, quòd Sadeel scribere non exhorrescit, nos statuere, Corpus Christi ex Unione Hypostatica factum esse Infinitum: Quod nostris nunquàm in mentem venit. Quare sine adversario pugnat, & cum larvis rursus dimicat Sadeel. Vide supra pag. 267. 271. &c.

IIII. Error, primæ distinctionis.

Quartus error, Ἀδολεσχία. Cùm enim objicimus: Si Corpus Christi est Omnipræsens, indè sequi utriusque Naturæ Confusionem. Respondent illi: Corpus non esse Vbique Per se: quod idem est, ac si dicant, Id quod seorsum est, non confundi, hoc est, id non confundi, quod confusum non est. Nec enim id, quod per se, & seorsum conside-

ratur

ratur, confundi potest eo respectu. Aliquid enim requiritur, cum quo possit confundi.

RESPONSIO.

Rursum cum larvis digladiatur Sadeel, & per malitiosam Sophisticam, distinctionibus nostris eum affingit sensum, quem nemo nostrum, vel per febrim somniavit unquàm. Quis enim unquàm dixit vel scripsit, phrasin, PER SE, *idem notare, ac si quis dicat, Id quod seorsum est.* Hoc nimirùm nobis per Calumniam affingit Sadeel, ut, dum alia ratione nequit, saltem mendaciis & calumniis doctrinam nostram exosam reddere queat. Constans verò est nostrorum sententia, quòd phrasis, PER SE, nunquàm opponatur ipsi Unioni hypostaticæ: (nam extra hanc Caro Christi ne ἰσχναῖς quidem ἐπινοίαις, uti Damascenus loquitur, cogitari debet) sed opponitur proprietatibus Essentialibus Humanæ naturæ in Unione consideratis: ut quando quæritur: Num Communicatio Omnipræsentiæ finitatem naturæ humanæ tollat? Respondemus negatè: petitâ ratione ex hac ipsa distinctione, quòd Humana natura, Christi, in ipsa etiam Unione, non per se, hoc est, ex proprietate suæ naturæ, sed

κατ' ἄλλο, hoc est, per Gratiam Unionis, & subsecutam Communicationem Idiomatum divinorum, non quidem Essentialem, sed veram ac realem, sit Omnipræsens. Quod distinctionis genus si novum videtur Sadeeli, uti certè novum sibi videri, ultrò fatetur: culpam sanè nos præstare non tenemur. Nam qui ad clarissimum veritatis splendorem oculos contumaciter claudere pergit: eum, mirum non est, magis magisque cæcutire, & tandem densissimis Ignorantiæ tenebris, justo DEI judicio, penitùs excæcari.

V. Error Primæ distinctionis.

Distinctio hæc est ἀσύστατος: neque unquàm potest vel mente intelligi, vel ullis verbis explicari. Ecquis enim intelligere possit, Corpus Christi per se esse finitum, manere finitum, & fieri infinitum,

RESPONDEO: Neque quisquam nostrum hoc vel dixit, vel scripsit. Calumniatur ergò, non disputat Sadeel.

Sed quærit Sadeel: *Quidnam istud* PER SE *significat? Quæritur enim inter nos: An hoc Individuum, hoc Corpus, hæc Humana natura, hæc*

hac Caro, nempè Christi, sit ubique, nec ne?

Respondent (Ubiquitarii) *non esse per se. Si, Per se, significat, sine λόγῳ, istud, Per se, nunquàm fuit, nec unquàm erit, ac proindè non debuit poni in distinctione. Si, Per se, significat naturalem proprietatem humanæ naturæ à λόγῳ assumtæ: Ergo Humana natura à λόγῳ assumtâ habet hanc naturalem proprietatem, ut non sit Ubique, ac propterea non est Omnipræsens vi Unionis Hypostaticæ.*

RESPONSIO.

Unde initium faciam, ut recenseam errores & Sophismata Sadeelis, vix reperio: usque adeò numerus eorum memoriam obruit. Initiò enim astutè simulat, ac si ignoret, quidnam istud, *PER SE*, nobis significet: Et tamen nihilominùs impugnare conatur id, quod se nescire simulat: id quod virum bonum non decet. Quoad geminam illam, phraseos *PER SE*, explicationem, à Sadeele productam; prior sanè nostra non est, ac proindè responsione etiam nostra non indiget. Posterior verò eatenus nostra est: quatenus docemus, phrasin *PER SE*, respicere naturales proprietates Humanæ naturæ, in ipsa etiam hypostasi τοῦ λόγου consideratæ. Nam nunquàm *PER SE*, hoc est, ex proprietate sua habet

Caro Christi, ut sit Omnipræsens. Quòd verò indè colligit Sadeel: *Ergo Humana natura à λόγῳ assumta, habet hanc naturalem proprietatem, ut non sit ubique, ac propterea non est Omnipræsens vi Vnionis Hypostaticæ*; Sophisma committit disparatarum quæstionum. Aliud enim est, quando quæro, An Humana Natura, in hypostasi τοῦ λόγου manens, (quemadmodum sanè semper manet, neque extra eam unquàm considerari potest vel debet) ex proprietate Naturæ suæ sit Ubique: Aliud, quando quæro an Omnipræsentiam ex Unione cum λόγῳ, & communicatione Idiomatum verè ac realiter acceperit, salvis nihilominùs manentibus proprietatibus naturalibus. Priore respectu considero Naturam humanam, & quidem in Unione, quid nam illa possit ac habeat ex proprietate suæ naturæ: ac proindè hic respondeo, Eam non esse Ubique, per se, hoc est, ex proprietate sua *NATURALI*. Posteriore vero respectu considero eandem Naturam humanam, itidem in Unione, sed non, quid tantùm ex proprietate sua possit & habeat: sed quidnám ea ex Unione cum infinito λόγῳ acceperit, per Communicationem, non Essentialem (hæc enim proprietates humanæ

Natu-

Naturæ aboleret & tolleret) ſed veram ac realem, quæ quidem proprietates ipſas ſalvas, ſartas tectas relinquit: Sed inſuper humanam naturam in longè ſuperiorem imò planè divinam Conditionem evehit: quàm ex proprietate ſuæ Naturæ unquàm pervenire potuiſſet. Hic certè eam Omnipræſentem eſſe pronuncio, ſed κατ᾽ ἄλλο, hoc eſt, reſpectu Unionis cum λόγῳ.

Hanc geminam conſiderationem Humanæ naturæ in ipſa Unione conſideratæ, dum non obſervat Sadeel, & Actum Naturalem, cum Actu perſonali Sophiſticè confundit: fit, ut & ſemetipſum & alios, tùm obſcuritatis, tùm errorum laqueis, hac in diſputatione, involvat & irretiat.

Quòd tandem quærit Sadeel: *An illa ratio humani Corporis, quâ eſt in certo quodam loco, ſit in Corpore Chriſti ſecundum Vnionem Hypoſtaticam?* illud ob ambiguitatem phraſeωs ad inſidias ſtruendas ſolùm accommodatum eſt. Phraſis enim iſthæc, ſecundum Vnionem Hypoſtaticam, duobus modis poteſt accipi: primùm quidem ut idem velit, ac ſi quæratur, An Humana natura

etiam *IN VNIONE* ſit ex proprietate ſuæ naturæ in certo quodam loco, ſive πȣ̃. Quo reſpectu Affirmatè reſpondemus. Retinet enim Humana natura in ipſa quoque Unione ſuas proprietates ſalvas & integras: Deindè verò ſic intelligi poteſt phraſis iſthæc, ac ſi velit & innuat, Humanam naturam *VI* ſive *VIRTVTE VNIONIS* eſſe in certo ſive uno quodam loco. Quo ſanè reſpectu, Negatè ſimpliciſſimè reſpondemus. Nam quemadmodum humana natura non eſt aſſumta in locum aliquem: ſed in illocalem hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ: ſic neque ex Unione habet, ut ſit in loco: ſed potiùs indè verè accepit, ut quantumvis *NATVRALITER* ſit in certo quodã loco, ſive πȣ̃: interim tamen *PERSONALITER* ſit in illocali hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ, extra & ſupra omnem locum evecta: & ſic cum λόγῳ aſſumente ubiq; præſens: adeò, ut niſi hoc cõcedatur, Neſtoriana revocetur hæreſis: quemadmodum invictis argumentis hoc fuit demonſtratum: ſuprà pag. 50, & ſeqq.

VI. Error primæ diſtinctionis.

Vt

Vt rectè usurpari possit istud κατ' ἄλλο, necesse est aliquid proponi in concreto de ipsa persona: ut scriptura dicit, Christum fuisse antequàm Abraham fieret: κατ' ἄλλο, hoc est, secundum Divinam Naturam, Humana natura inseparabiliter unitam. Et vicissim dicit, DEVM acquisivisse Ecclesiam suo sanguine, κατ' ἄλλο, nempè secundum humanam naturam, τῷ λόγῳ inseparabiliter unitam.

RESPONSIO.

Flosculus hic est & rivulus Zuinglianæ ἀλλοιώσεως, de quâ in refutatione primi erroris satis superque dictum. Deinde rursum confundit Adversarius primum & tertium genus Communicationis Idiomatum. In primo enim genere verum est, quôd phrases sive locutiones semper sint cócretivæ: hoc est, toti personæ tribuatur, quod alterius naturæ est proprium. Unde etiam explicatio fit κατ' ἄλλο: sed non sensu Calvinistico: verùm Orthodoxo, qui jam modò satis perspicuè est explicatus, vide Refutationem primi erroris. In tertio verò genere Communicationis Abstractiva vocabula, directè humanam naturam (sed non extra, sed intra Unionem) notantia locum habent, ut, 1. Iohan. 1, 7. *SANGVIS* Iesu Christi filii *DEI* emundat

 nos

etiam *IN UNIONE* sit ex proprietate suæ naturæ in certo quodam loco, sive πȣ̃. Quo respectu Affirmatè respondemus. Retinet enim Humana natura in ipsa quoque Unione suas proprietates salvas & integras: Deindè verò sic intelligi potest phrasis isthæc, ac si velit & innuat, Humanam naturam *VI* sive *VIRTUTE UNIONIS* esse in certo sive uno quodam loco. Quo sanè respectu, Negatè simplicissimè respondemus. Nam quemadmodum humana natura non est assumta in locum aliquem: sed in illocalem hypostasin τȣ̃ λόγȣ: sic neque ex Unione habet, ut sit in loco: sed potiùs indè verè accepit, ut quantumvis *NATURALITER* sit in certo quodã loco, sive πȣ̃: interim tamen *PERSONALITER* sit in illocali hypostasi τȣ̃ λόγȣ, extra & supra omnem locum evecta: & sic cum λόγῳ assumente ubiq; præsens: adeò, ut nisi hoc cõcedatur, Nestoriana revocetur hæresis: quemadmodum invictis argumentis hoc fuit demonstratum: suprà pag. 50, & seqq.

VI. Error primæ distinctionis.

Ut

Vt rectè usurpari possit istud κατ᾽ ἄλλο, necesse est aliquid proponi in concreto de ipsa persona: ut scriptura dicit, Christum fuisse antequàm Abraham fieret: κατ᾽ ἄλλο, hoc est, secundum Divinam Naturam, Humana natura inseparabiliter unitam. Et vicissim dicit, DEVM acquisivisse Ecclesiam suo sanguine, κατ᾽ ἄλλο, nempè secundum humanam naturam, τῷ λόγῳ inseparabiliter unitam.

RESPONSIO.

Flosculus hic est & rivulus Zuinglianæ ἀλλοιώσεως, de quâ in refutatione primi erroris satis superque dictum. Deinde rursum confundit Adversarius primum & tertium genus Communicationis Idiomatum. In primo enim genere verum est, quòd phrases sive locutiones semper sint cócretivæ: hoc est, toti personæ tribuatur, quod alterius naturæ est proprium. Unde etiam explicatio fit κατ᾽ ἄλλο: sed non sensu Calvinistico: verùm Orthodoxo, qui jam modò satis perspicuè est explicatus, vide Refutationem primi erroris. In tertio verò genere Communicationis Abstractiva vocabula, directè humanam naturam (sed non extra, sed intra Unionem) notantia locum habent, ut, 1. Iohan. 1, 7. *SANGVIS* Iesu Christi filii *DEI* emundat

Digitized by Google

nos ab omni peccato. Ioha. 6, 55. Caro mea verè est cibus. Sic Theodoretus, Humanam Christi naturam dicit esse σύνθρονον Divinitati: Et Chrysostomus ac Theophylactus: Humanam naturam, & Carnem nostram sursum sedere asserunt, & adorari ab Angelis & Archangelis.

Jam cùm hæc Essentialiter & Naturaliter Naturæ humanæ non conveniant: (Natura enim Carnis per se vivificare non potest, ut Cyrillus inquit) certè κατ' ἄλλο, hoc est, respectu Unionis, & Communicationis Idiomatum competere, necessario concedendum est, nisi Spiritum Sanctum abstractivis locutionibus utentem, manifestè mendacii arguere malimus.

Ubi tamen semper observandum per Abstractum, non notari aliquam vel separationem Naturæ humanæ extra Unioné: vel talem Communicationem, quæ candé Naturam humanam constituat subjectum divinorum Idiomatum. Sub hoc utroq; enim commento (neutrum enim vel docemus vel credimus) Syllogismus Sadeelis, quem subjungit, Sophisticè ludit. Quod utrumq; si negetur, & purior substituatur explicatio Abstracti: tùm in fumum evanescit universa Sadeelis Sophisticatio.

II. DI-

Digitized by Google

II. DISTINCTIO,

τῷ εἶναι, & τῷ ἔχειν. Sive, τῇ οὐσίᾳ, & τῇ ἐξουσίᾳ.

Adversus hanc distinctionem tribus potissimùm rationibus insurgit Sadeel.

I. Ratio Sadeelis.

Primùm non satis propriè ita dicitur: Humanam naturā habere Omnipræsentiam. & ipsas Deitatis proprietates: Quia non satis rectè dicitur, Humanam naturam habere Deitatem, sive Deitatis proprietates, quæ sunt ipsa Deitas: cùm potiùs Humana natura haberi ab ipso λόγῳ dicenda sit, quippè ab ipso assumta.

RESPONSIO.

Quî sic verò mi Sadeel? Unde probas ista non satis propriè prædicari de assumta Humanitate? Sed fortassis de propria & usitatâ prædicatione tibi sermo est. Si sic: lubens equidem subscribo. Nam propositiones istas, *Caro Christi est vivifica, Corpus Christi est omnipræsens*, non proprias sive regulares, sed inusitatas esse, Religio Christiana statuit. Sin verò de inusitata hac prædicatione tibi sit di-

sit disputatio, & contendas, minùs propriè, hoc est, minùs verè Humanam naturam habere Omnipræsentiam, & ipsas Deitatis proprietates: oppono tibi Apostolum, qui in Christo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ *ABSCONDITOS* esse: imò in Christo omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare *CORPORALITER* affirmat. Coloss. 2, 3 & 9.

Nam illud τὸ absconditum esse, & corporaliter inhabitare, ad assumtam humanam Naturam esse referendum: tùm analogia fidei flagitat: tùm Orthodoxæ etiam Antiquitatis consensus egregiè confirmat. Nam in divinitate λόγου Sapientiam & Scientiam omnem esse absconditam, nemo pius dixerit. Siquidem Idiomata divina cum ipsa Essentia simplicissimè sunt quiddam ταὐτὸ: non verò, tanquam *ALIUD* quiddam in ea sunt Abscondita. Sic illud *CORPORALITER* inhabitare, subjectum (Logicum) nempè Humanam naturam denotat. Quis ergò tàm vecors, & ab omni pietate alienus foret, qui Humanam naturam divina isthæc Idiomata habere, negare auderet? Hilarius certe lib. 9. & 10. de Trinit: *In Christo, inquit, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt abscon-*

Digitized by Google

absconditi. Insunt igitur. Et Leo Magnus, Serm. 10. de Incar. *Totum Corpus IMPLET tota divinitas. Et sicut nihil deest ipsius Maiestati, cuius inhabitatione repletur habitaculum: sic nihil deest Corpori, quod non suo habitatore sit plenum.*

Cæterùm releganda hoc loco est significatio physica verbi *HABERE*, sub quâ Sadeel Sophisticè latitans, fingit, nos statuere, Humanam naturam ita habere divina Idiomata, ut Subjectivè & Formaliter ei insint. Quo sane sensu, Humanam naturam Idiomata divina non habere ipsi ultrò largimur. Sic enim Eutychiana Naturarum statueretur exæquatio. Interim verò Humana Natura *PERSONALITER*, vi Unionis & Communicationis Idiomatum verè ac realiter accepit, & proindè habet, Idiomata divina, imò secundum Aphorismum Apostoli, est habitaculum totius plenitudinis Divinitatis. Unde Ignatius scribere non dubitavit: *DEUS* λόγος *nascitur ex virgine, Corpus* ἀμφιεσμένος indutus. Et Cyprianus Serm. de Nativit. *Miror quomodo Incorporeus DEUS Corporis tegumentum induerit.* Hinc Athanasius, Corpus vocat περιβολὴν amiculum Divinitatis: Et Epiphanius

phanius, τὸ δοχεῖον Receptaculum τῆς σοφίας καὶ θεότητος.

Viderit proindè Sadeel, quo pacto primam hanc suam Rationem confirmare queat. Nos ad secundam pergimus.

II. Ratio.

Ea est natura divinarum proprietatum, ut in illis Habere idem sit, quod Esse. Quare si Humana Christi natura est Omnipræsens τῷ ἔχειν: est igitur τῷ εἶναι, Αδύνατον.

Responsio.

Gemina fallacia: Prior Confusionis: posterior Aequivocationis. Initiò enim Antecedens verum est de eo, quod proprietates divinas Essentialiter habet: quemadmodum λόγος eas obtinet. Falsum verò de eo, quod per κοινωνίαν proprietates illas accepisse, & sic (non subjectivè, non formaliter, sed Communicativè) habere eas dicitur. Quid? Quòd ne in rebus quidem naturalibus Antecedens verum est. Nam Exempli gratia: Ferrum ignitum habet proprietates Ignis, ut urat & luceat: neq; tamen est vel ipse Ignis, vel ejus proprietates. Confundit ergò Sadeel τὸ personale, cum eo quod est Essentiale.

Deindè

Digitized by Google

Deindè rursum ludit Adversarius sub Aequivocatione vocabuli Habere, de quâ paulò antè satis dictum.

Sed instat Sadeel. *Vt sit τὸ ἔχειν, necesse est, manere τὸ εἶναι, hoc est, Essentiam, quæ ipsi habitui substernatur. At in hac distinctione τὸ ἔχειν, tollit τὸ εἶναι. Nam ea est Essentia Corporis, ut sit finitum, & habeat suas dimensiones: Quod si is est habitus Corporis Christi, ut sis Vbique: Ergo Habitus tollit Essentiam.*

Respondeo. Error oritur ex æquivocatione verbi *HABERE*, quod vel de subjectivâ ac Essentiali inhæsione intelligitur: quemadmodum hoc loco Sophisticè accipitur à Sadeele. Tùm enim verum est, quod τὸ ἔχειν, & τὸ εἶναι simul necessariò esse debeant: vel accipitur, de Reali Communicatione, sive personali Inhabitatione: ut hoc loco à nobis ex sensu scripturæ usurpatur. Ubi τὸ ἔχειν & τὸ εἶναι (scilicet τὸ εἶναι ἐσιῶδες) non sunt convertibilia: quemadmodum convertibilia non sunt: Ferrum ignitum habet Calorem & Lucem: Ergo Ferrum est ipse ignis.

Porrò si axioma hoc Sadeelis simpliciter verum esse debeat: certè confusionem, imò potiùs exæquationem naturarum ex Unione consequi.

statu-

statuendum erit. Nam supra in Ratione prima scripsit Sadeel, *Humanam naturam haberi à λόγῳ*. Unde sic argumentor.

Τὸ ἔχειν necessariò præsupponit *τὸ εἶναι*.
At λόγος habet Naturam Humanam.
Ergò λόγος est ipsa Natura Humana.

Utraque præmissarum Sadeelem agnoscit Auorem. Ergo & Conclusio.

III. Ratio.

Si quæro, sitné Corpus Christi ubique, quæro de Essentia & Habitu simul. Si fatearis hanc esse Corporis Christi essentiam, ut habeat suas dimensiones, nec sit ubique: undénam gentium, obsecro, nobis advehis istum Habitum, hanc ἐξουσίαν ἀντιφατικῶς cum essentia repugnantem. Enimverò istud dici sine contradictione non potest: Corpus Christi quatenus est Corpus, habere suas dimensiones: sed quatenus est unitum τῷ λόγῳ, non habere. &c.

RESPONSIO.

Quis verò nostrum ad quæstionem Sadeelis, quæ agit de Essentiâ & Habitu Ubiquitatis sive Omnipræsentiæ simul, unquàm affirmatè respondit? Certè Negativam hactenùs sanctè defendimus: nempè

Corpus

Corpus Christi neque esse ipsam Essentialem Omnipræsentiam: neque Habere Omnipræsentiam tanquàm Habitum aliquem inhærentem. Siccine ergo licet quidvis confingere, & adversæ parti imputare id, cujus contrarium illa manifestè tenet & tuetur? Sic quis nostrum unquàm dixit, Corpus Christi, quatenus est unitum τῷ λόγῳ, non habere suas dimensiones? Manifestum hoc esse mendacium, à Sadeele excogitatum, & per insignem injuriam nostris Ecclesiis afflictum, ipsi noverunt & fateri coguntur Sacramentarii, dummodò candoris ac honestatis aliquid adhuc ipsis est reliquum.

Corrigitur autem utrumq; mendacium istud, substitutione verioris doctrinæ. Ac primùm τὸ ἔχειν sive τὸ Habere latiùs patere, quàm ipse pateat habitus: ac proindè nō semper præsupponere ipsum inhærentē Habitū, jam antè ostensum fuit ex eo, quòd λόγος dicitur Habere Humanam naturam: neque tamen hæc Humana natura est Habitus λόγου. Ratio est: Quia Unio non est Essentialis, sed personalis. Cujus generis ipsa quoq; est Communicatio Omnipræsentiæ.

Digitized by Google

Deindè verò Corpus Christi in Unione geminum obtinet respectum, ac conditionem: Naturalem Unam, ratione cujus illud semper habet ac retinet suas dimensiones: Personalem alteram: cujus respectu, retentis etiam naturalibus dimensionibus, in illocali hypostasi τῦ λόγυ, illud est ubique & Omnipræsens. Quod quomodo nullam ἀντίφασιν sive contradictionem involvat, supra aliquoties ostensum. Vide pag. 66. 67. 205. 293. 325. &c.

Quibus observatis, Syllogismi à Sadeele producti Minor propositio est falsissima: & præter Diabolicam Calumniam, eamque geminam, nihil continet. Calumnia enim est, quòd nos statuamus, Corpus Christi unquàm non terminari suis dimensionibus. Calumnia itidem est, quòd asseramus, Corpus Christi, quatenus est unitum τῷ λόγῳ, esse infinitum. Unde qualis emergat Conclusio, facilè quivis æstimare potest.

Digitized by Google

III. DISTINCTIO,

φυσικὸν & ὑπερφυσικόν.

Distinctionem hanc sic informat Sadeel: *Distinguunt etiam,* (Ubiquitarii:) *Corpus Christi, Physicum non esse ubique: ὑπερφυσικὸν verò, esse.*

Scelus committit Sadeel mox à limine hujus distinctionis. Calumniatur enim nos geminum statuere corpus Christi: Unum physicum: Alterum ὑπερφυσικόν: quorum hoc sit ubique: illud verò non item. Ecquis verò nostratium Theologorum tale quid unquam vel docuit, vel scripsit? Illud quidem constanter hactenus à nobis fuit ostensum & propugnatum: Corpus Christi semper esse in certo vel loco vel πȣ̃, physicè: hoc est, ratione proprietatum naturalium: rursus idem numero corpus esse ubique, hyperphysicè: hoc est, ex gratia Unionis personalis cum λόγῳ. Siccine verò geminum Christì corpus constituitur, physicum & Hyperphysicum? Siccinè diversi respectus, diversas mox inferunt Essentias? Bardè profectò & inscitè nimis sic colligit Sadeel: qnanquam

dubium est nullum, ipsum reclamante propria conscientiâ, ex mero odio ista scribere voluisse.

Deindè notanda simul est æquivocatio phraseos, (Corpus physicum) sub quâ Adversarius Sophisticè latitat. Nam physicum Corpus initio potest intelligi de tali Corpore, quod Philosophi κινητὸν mobile: Apostolus verò ψυχικὸν καὶ φθαρτὸν animale & Corruptibile nominat. 1. Cor. 15, 44. & 53. Quale certè Corpus physicum, Christum post Resurrectionem habere, simpliciter negamus: Siquidem ne nostra quidem Corpora, post Resurrectionem erunt talia: sed πνευματικὰ Spiritualia. Deinde verò physicum Corpus ἐν πλάτει intelligi potest, pro vero Corpore humano, & ut Sadeelis utamur termino, quod est τόδε τι, actu existens, hoc est, quod proprietatibus suis Essentialibus est manetq; præditum. Quale Corpus Christus certè hodieque in statu Exaltationis & Sessionis ad dexteram DEI patris, retinet: ac proindè hoc respectu ubique sive Omnipræsens esse, neutiquàm statuitur: At verò interim alio respectu, & quidem eo, qui est Unionis personalis proprius, idem Christi Corpus, quantumvis naturâ suâ in certo quodam sive

ſive loco ſive πῶς manens, ſimul in perſona Filii DEI, intra quam illud eſt aſſumtum, eſſe Ubique ſive Omnipræſens: hactenus aliquoties demonſtravimus.

Sed videamus quibusnám Rationibus, veriùs Sophiſmatis, adverſus doctrinam hanc noſtram inſurgat Sadeel.

Ratio I.

Si Corpus Chriſti non eſt ubique Naturâ & Eſſentiâ ipſâ. Ergo eſt ubique per accidens: Et vi conſequentis, eſt DEVS, non naturâ, ſed per accidens, ἀδύνατον. Nam ſoli DEO convenit ubique eſſe.

RESPONSIO.

Fallit argumentum παρὰ τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως. Nam præter duo iſthæc, nempè Eſſentialiter ſive Naturaliter, & Accidentaliter, dari poteſt etiam Tertium, nempè Perſonaliter: quod Myſterii hujus proprium eſt: & neque Eſſentiale ſive Naturale, neq; Accidentale dici poteſt aut debet. Qui modus perſonalis quomodo Naturam Humanam verè ac realiter reddat κοινωνὸν participem divinorū τοῦ λόγου Idiomatum: neque tamen propterea

ſiones Naturales & Circumſcriptio corporis Chriſti, non obſtare poſſunt, quò minus idem corpus, ſed alio reſpectu ſit Omnipræſens: quemadmodum in Refutatione Argumenti Decimi contra Omnipræſentiam corporis Chriſti, abundè ſatis & irrefragabiliter fuit evictum. Vide pag. *292. 319. 325.* Sin verò *τὸ ἀντιφυσικὸν* intelligatur de eo, quod eſt ſupra & ultra, proprietates Humanæ Naturæ, tùm certè *τὸ ἀντιφυσικὸν* & *ὑπερφυσικὸν* pro Synonymis accipiuntur: ac proinde pari ratione de Humana Natura prædicantur. Quemadmodum ſanè multi ex patribus, In corpore Chriſti, multa contra Naturam fieri, affirmare non dubitarunt: quibus tamen, ut Hieronymus loquitur, non Naturæ mutatio ſive deſtructio, ſed potentia & virtus DEI oſtenditur. Certè, quando caro Chriſti dicitur eſſe vivifica Ioh. *6, 54.* illud ſupra, ultra, imò etiam contra Naturales carnis humanæ proprietates affirmatur. Nam in æternũ non fit, ut *SECUNDUM* has proprietates ſuas caro poſſit eſſe vivifica, aut Omnipotens, aut Omnipræſens. Nam ſecundũ illud Oecumenii ex Chryſoſtomo, ad cap. *1.* Hebr: *Magnum hoc, & nedum humanam naturam, verùm etiam omnem*

 excedit

Digitized by Google

excedit creaturam. Quatenus DEVS *est, æternum habet thronum. Psalm. 45. Sed quod ut* DEVS *habebat, accepit ut* HOMO. *VT* HOMO *igitur audit: Sede ad dextris meis.*

Et secundum illud Cyrilli: lib. 4. in Ioh. cap. 22, *Quod si* PRAETER *naturam Caro in cœlum ascendit, quid prohibet, ne similiter* PRAETER NATVRAM *vivificet.*

Cæterùm adversus Responsiones jam datas sic insurgit Sadeel. *Inquiunt* (Ubiquitarii) *aliud est Natura Corporis, aliud. Modus præsentiæ ipsius corporis: qui quidem modus potest esse incircumscriptus, liceat natura corporis circumscripta maneat.*

Respondet Sadeel: *Nos agimus de corpore Christi, quod est, τό δε τι, ac propterea actu existens. Ex quo efficitur, Naturam Corporis Christi sine modo præsentiæ, sive existentiæ ipsius Corporis Naturæ convenienti, considerari non posse.*

Responsio.

Primùm illud τό δε τι Actu existens ita nudè positum, Nestorianismum manifestè resipit. Nam uti supra etiam ostensum, Corpora τό δε τι actu existentia, proprium constituunt ὑφιστάμενον: id quod de Natura humana Christi, vel cogitare impium

impium fuerit. Proindè ex naturâ & existentiâ Corporis Naturalis τόδε τι, actu existentis: velle colligere ad existentiam corporis Christi, planè est hæreticum. Nam Natura Humana Christi non habet Actu propriam existentiam: sed subsistit in alio ὑφισαμένῳ, nempè in ὑποστάσει τοῦ λόγου intrà quam ea est assumta. Unde etiam longè aliam, & toto quidem genere diviniorem ac sublimiorem Existentiam Natura Humana habet: ad quam nullum Corpus aliud, τόδε τι Actu existens, in omnem æternitatem pertingere potest. Quod dum non observat Sadeel, ineptè planè, imò impiè de hoc mysterio disserit.

Est verò simul axioma Calvinisticum hoc loco notandum, quod ex ore Sadeelis sic sonat: *NATVRA Corporis Christi, sine modo præsentiæ, sive existentiæ* ipsius corporis Naturæ convenienti, *considerari non potest.* Evertit nimirùm hoc axioma Calvinisticum totum mysterium Unionis Hypostaticæ duarum naturarum in Christo. Nam si Natura Corporis Christi considerari non potest, nisi secundum modum existentiæ ipsius Corporis Naturæ convenientem: sequitur ἐξ ἀνάγκης, Eandem Naturam Corporis Christi, non nisi Localiter

Digitized by Google

ſive in loco exiſtere: Siquidem hic modus xiſtentiæ Naturæ corporis Chriſti eſt conveniens.

At verò ſi Localiter tantùm ſive in loco exiſtit: certè non exiſtet in ὑποστάσει τοῦ λόγου, quippe quæ eſt illocalis, & intrà ſe tàm non loca, ſive locorum διαστήματα recipit: quàm non partem extra partem ullam admittere poteſt.

Si hoc: tùm expirat omnis Unio perſonalis duarum Naturarum in Chriſto in unam ὑπόστασιν, ſive in unum ὑφιστάμενον.

Et hęc ſunt iſta axiomata, quibus pugnantes Adverſarii contra Omnipræſentiam corporis Chriſti, ſimul impugnant, ſubruunt, & penitùs evertunt ipſam Unioné.

Corrigendus autem eſt hæreticus iſte error ſubſtitutione veræ illius doctrinæ, quâ ſupra oſtendimus, In uno eodemque corpore Chriſti duo ſemper neceſſariò eſſe conſideranda, 1. Corpus ipſum in ſuis proprietatibus naturalibus: Deindè hujus ipſius corporis Exiſtentiam perſonalé. Priore modo ſi conſideretur, tùm ultro largimur, proprietates corporis Chriſti eſſe, ut ſit circumſcriptum & finitum: non quidem loco; ſed Naturæ ſuæ terminis: & tale ſem-

per

per maneat in ipso etiam statu Gloriæ & Exaltationis. Vide pag. *293.* & *325.* Posteriore verò modo si consideretur corpus Christi, & attendatur, Ubinam illud suum τὸ εἶναι suam Existentiam habeat: certè modus Existentiæ orietur jam alius, nempè Personalis ille, qui hoc ipsum corpus Christi, quamtumvis naturæ suæ Terminis finitum, extra & ultra locum omnem in hac illocali ὑποστάσει τοῦ λόγου considerat. Neque enim Naturaliter circumscriptum esse: & Personaliter ubique esse, sunt ἀντιφατικῶς opposita: uti Sadeel subindè nugacissimè infert. Vide pag. *69. 325* & seqq.

Sed pergit Sadeel, & eam nostrorum Theologorum responsionem, qua corpus Christi, neque sine Quantitate, neque secundum modum Quantitatis, sed juxta modum Unionis Personalis, Omnipræsens esse, affirmant, hunc in modum impugnat: *Obsecrò, quid potest esse, nisi secundum illum modum, quo esse dicitur? Quid potest esse quale, nisi secundum modum, qui necessarius est, ut sit quale? Quid potest esse quantum, nisi secundum modum necessarium, ut quantũ sit? &c.*

RESPONSIO.

Omnia largimur, de actu præsentiæ corporis Christ Naturali: ratione cujus, uti nõ

abiq.

ubique, ſed vel in loco, vel in aliquo πῦ illud eſſe creditur: Ita etiã nõ ſine Quantitate, ſed cum Quantitate, & cum debitâ dimenſionum συμμετρίᾳ, ibi eſſe creditur, Sed quid hoc ad Actum illum Perſonalem? Annè pari ratione ac reſpectu Perſonalis præſentia, ſecundum modum ſive proprietates Corporis erit definienda? Minimè verò: Siquidem hunc actum Omnipræſentiæ perſonalem, non ex naturæ ſuæ conditione obtinet: ſed ex Unione cum λόγῳ, & exiſtentiâ in illocali ὑποστάσει τοῦ λόγου, illum eſt ſortita. Manet proindè ſuâ naturâ Corpus Chriſti Quantum: & ubi eſt ſecundum hãc corporis naturalem conditionem: ibi non ſine, ſed cum Quantitate præſens eſt. Iam verò cùm non ſit omnipræſens idem corpus, ex naturali ſua conditione: ſed ex ſupernaturali illo & prorſus illocali exiſtentiæ termino: nempè aſſumtione in illocalem ὑπόστασιν τοῦ λόγου: minimè profectò ſequitur: ut ſi Omnipræſens ſit, mox cum Quantitate, & ſecundum modum Quantitatis naturalis ſit Omnipræſens, Omnipræſentia enim non ſequitur naturam Corporis: ſed ipſius Unionis perſonalis ſingularitatem omnis locationis phyſicæ prorſus expertem: Quemadmodum

modum ex ſequentibus fuſiùs hoc patebit, & ſupra aliquoties etiam oſtenſum: uſque adeo, ut qui dicit, Corpus Chriſti non poſſe Omnipræſens eſſe, niſi cum Quantitate & ſecundum modum Quantitatis: is non diſſerere, ſed delirare videatur: quippe oppoſitum in adjecto manifeſtè ſtatuens: Siquidem Quantum eſſe, & ſecundum modum Quantitatis Omnipræſens eſſe, Contradictoriè ſunt oppoſita. At verò Quantum eſſe, ex naturâ Corporis: & Omnipræſens eſſe, non ſecundum modum Quantitatis: ſed ſecundum modum Unionis Perſonalis, nullo pacto contradictionem implicant: Quia oppoſitio non fit ſecundum idem, & eodem reſpectu: vel ut Philoſophus loquitur, ὡσαύτως. Quæ dùm non conſiderat Sadeel, vel certè conſiderare non vult, manifeſtum eſt ipſum diſſerendo nugari, & dicendo nihil dicere.

Et ut Lector amans veritatis manibus quaſi palpare queat, nugatoriam futilitatem diſputationis Sadeelianæ, illud velim tantùm obſervet: Si, ſecundum hypotheſin Adverſarii, Corpus Chriſti non poſſit eſſe Omnipræſens, niſi ſecundum modum, quo res ipſa eſſe dicitur: Conſequens erit, ut deinceps ſtatuamus, Ipſam quoque Unionem, ejuſdemque modum

eſſe

esse carnalem, Naturalem, Essentialem. Ratio consequentiæ est, quia ipsa caro Christi, secundum modum quo esse dicitur, est Carnalis, est Naturalis, est Essentialis. Sic nimirùm Rationis suæ glossulis ipsam Unionem conspurcant, dum Omniptæsentiæ Majestatem corpori Christi sacrilegè suffurari conantur Adversarii: parùm attendentes, Unionem hanc duarum Naturarum in Christo, ejusdemque effectum, nempè Communicationem Idiomatum, uti divinum planè & ἄῤῥητον mysterium: sic etiam præter rerum seriem, non secundum modum Corporis: sed modo planè divino, cœlesti & spiritualissimo factam esse.

Sed instat Sadeel. *Sic tolli ipsum modum Vnionis Personalis: Quandoquidem hic sit ejus modus, & hæc ratio, ut ambæ Naturæ servent suas proprietates. Ex quo fiat, ut Corpus Christi juxta modum, quo unitum est verbo, debeat servare suas proprietates, suamq; naturam: ac proindè debere manere finitum. Quod si verò fiat Omnipræsens, non jam manere finitum.*

Responsio.

Eâdem chordâ semper aberrat Adversarius, & ex Naturali Corporis Christi condi-

conditione, colligit ad naturalem etiam ejus præsentiam, quæ est, ut sit maneatque finitum & circumscriptum. Quâ in parte nos non habet contradicentes. Sed quid præterea? Annè Corpus Christi ex Unione cum λόγῳ præter naturalem hanc ejus cõditionem, nihil divinius & sublimius est sortitum? Minimè verò, sed per subsequentem Effectum Unionis hujus, nempe Communicationem Idiomatum, infinitâ Spiritus plenitudine illud est inunctum: adeò ut tota Divinitatis plenitudo in eo inhabitet Corporaliter, ut sit evectum ad dextram virtutis ac Majestatis divinæ, & habeat omnia subjecta sub pedibus suis, ut impleat universa, &c. Et hæc quidem omnia salvis nihilominùs manentibus proprietatibus naturalibus verè habeat. Quæ sanè quamdiu negat Sadeel, certè non tàm Omnipræsentiam Corporis Christi, quàm ipsam Unionem personalem penitùs negat, imò funditùs subruit & evertit: uti supra demonstratum. pag. 80. & seqq.

Quæ porrò blaterat Sadeel, ea ex meris mendaciis sunt extructa. Mendacium enim est, ideò nos statuere corpus Christi realiter esse cum pane, quia est Omnipræsens: Mendaciũ est, ad hanc Unionem corporis Christi cũ pane asserendã, excogitasse

nos

nos Omnipræsentiam Corporis Christi: vide pag. 7: Mendacium denique est, quod ceu consequens ex præcedentibus flosculis extruitur, nempè Corpus Christi esse cum pane, Unione Personali.

Quæ præterea subjicit Sadeel, ea nostram magis confirmant, quàm infringunt sententiam. Hoc ipsum enim nos pugnamus, Modum Quantitatis non posse esse modum Unionis: Et rursum, Modum Unionis, non tollere modum Quantitatis. Neque quisquàm nostrum hoc unquàm negavit: neque etiam argumentum nostrorum, quod hoc loco impugnat Sadeel, hoc vult, quod Humana Natura sit unita verbo, vel secundum Quantitatem, vel sine Quantitate: sed hoc pacto, tanquàm ἐνστάσει quapiam, nostri demonstrare voluerunt futilitatem collectionis Sacramentariæ, quando sic argumentantur: Si Corpus Christi est Omnipræsens, tum erit Omnipræsens, aut secundum Quantitatem: aut sine Quantitate. Non secundum Quantitatem: quia Quantitas Localitatis potiùs argumentum est. Non sine Quantitate: quia Corpus Christi est verum Corpus. Ergo, planè non est Omnipræsens. Hujus collectionis absurdissimam vanitatem rectè nostri demonstrarunt, accommodando hypothe-

hypotheses hasce futilissimas ad ipsum Unionis negocium: ad quam infringendam non minus eæ, ac contra Omnipræsentiam militant. Proindè non nostram argumentationem, sed propriam impugnat, & expugnat Sadeel.

Tandem quæ disputat Sadeel de Localitate, de circumscriptione, de dimensione corporis Christi: ea ex professo fuerunt explicata & discussa supra aliquoties: ut subindè ista repetere, religio nobis sit. Consulat Lector, pag. 288. 289. 292. & seqq. 325. & seqq.

Pari ratione objectum illud, de Tempore accuratè refutatum, in examine Instantiæ quartæ Argumenti primi contra Omnipræsentiam corporis Christi. Vide pag. 241. & seqq.

IIII. DISTINCTIO
κτήσει & χρήσει.

Exagitat hanc quoque distinctionem Adversarius, tribus potissimùm usus rationibus.

Ratio I.

Proprietas divinæ naturæ, non est aliquid adventitium, & aliud ab ipsa Deitate: sed ipsa proprietas est Essentia: adeò ut DEVS non solùm habeat Omnipræsentiam: sed sit ipsa Omnipræsentia atque infinitas.

Responsio.

Quis verò hoc negat mi Sadeel? Anne rursum Idolum aliquod, vel monstrum potiùs opinionis fingis, adversum quod pugnes? Sermo nobis est & disputatio de Humana natura: An nimirum caro Christi divinâ illa Majestate, quam ex Unione cum λόγῳ, & hanc consequente Idiomatum communicatione, verè ac realiter accepit, semper usus fuerit? Ubi negativam nostram impugnaturus Sadeel, contendit. Distinctionem inter κτῆσιν & χρῆσιν non posse locum habere in ipsâ Deitatis Essen-

tia.

tia. Sic nimirum de cepis rogatus, respondet de alliis: & statum controversiæ malitiosè pervertit.

Ratio II.

Proprietas divina est res simplicissima: Ergo in ea non potest κτῆσις distingui à χρήσει. Quare si humana natura habet usum proprietatis divinæ: habet igitur & κτῆσιν.

RESPONSIO.

Nihil ad rem facit & istud argumentũ: & turpis planè repetitur παρέλεγχος: proprietates intra simplicissimam DEI Essentiam non admittunt distinctionem κτήσεως & χρήσεως. Ergo, neque in assumta Humanitate, eadem Distinctio locum habebit. Jam supra enim aliquoties ostensum, etsi Idiomata divina intra ipsam DEI ὀσίαν sunt quiddam simplicissimum ζαυτὸ, ac distinctionem nullam recipiunt: quando tamen ea considerantur, vel ad assumtam Humanitatem, vel ad reliquas creaturas: tùm non quidvis de quovis Idiomate prædicari: Sed distinctionem illa recipere, uti respectu ἐνεργειῶν sive Effectuum: Ita etiam ratione prædicationis. Quid? quod semetipsum circa

 finem

finem hujus distinctionis refutat Sadeel, expressè scribens: *Caterùm si quis de Christo dicat, eum semper gloriam & Majestatem habuisse, κτήσει, quatenus DEUS est, licet suam Majestatem non semper exeruerit: ille verum dixerit.* Fatetur enim his verbis Sadeel, κτῆσιν & χρῆσιν ita esse distincta: ut non semper positâ κτήσει, ponatur & χρῆσις: quanquam vice versâ semper positâ χρήσει, ponitur ipsa quoque κτῆσις. Quemadmodum sanè de Humana naturâ verissimum esse affirmamus, Si Humana Natura habeat usum proprietatis divinæ: habeat etiam κτῆσιν, (non quidem Essentialem illam, qualis λόγῳ competit: sed veram ac realem sive personalem, quæ resultat ex reali communicatione Idiomatum): Quo ipso sensu hęc etiam distinctio à nobis usurpari solet.

Ratio III.

DEUS non potest amittere usum suæ Omnipræsentiæ & Omnipotentiæ.

Responsio.

Nam potest quidem amittere Omnipotentiæ suæ usum: sed potest tamen eundem,

dem, quoad certum quoddam Effectum retrahere. Ut Exempli gratia: Creatio hujus Universi, est Usus & Effectus Omnipotentiæ DEI. Hunc usum semper quidem DEVS ab æterno habuit, ut potuerit citius creare mundum: At verò eundem retraxit: quatenus non ab æterno Mundum condidit. Sic consummatio hujus Universi erit usus & Effectus Omnipotentiæ. Hunc usum nunquam amisit: sed semper ab æterno Deus habuit: ita quidē ut potuisset ante aliquot secula usum hūc exeruisse: sed retraxit. Ratio est: Quia usus Omnipotentiæ, quoad hoc vel illud Opus, dependet à liberrima voluntate DEI: quanquam intra ipsam ejus οὐσίαν κτῆσις & χρῆσις nullatenùs sunt distincta. Cæterùm quid hoc rursum facit ad præsentem statum controversiæ? Nihil magis, quàm baculus in angulo: usque adeò, ut distinctionem hanc κτήσεως & χρήσεως impugnaturus Sadeel, simul omnem Rationis & κτῆσιν & χρῆσιν amisisse videri queat.

Digitized by Google

V. DISTINCTIO PER Apparitionem & Disparitionem.

Distinctionis hujus usus Orthodoxis nullus est alius, quàm ut ostendant, non esse de necessitate sive proprietate corporis Christi clarificati: nedum corporis evecti ad infinitam & omnipotentem dextrã virtutis ac Majestatis divinæ: ut (quemadmodum Calviniani nimis crassè somniãt) semper sit visibile ipso actu, & conspici necessum habeat ab iis, quibus illud præsens adest; quippè quod Luc. 24, 31. potuerit ἄφαντον fieri. Quemadmodum infra in diexodo Loci undecimi, adversus φλυαρολογήματα Sadeelis ad oculum demonstrabimus.

Proindè quando distinctionem hanc Sadeel accommodat ad ea, quæ Evangelica historia de vero ac locali abitu, discessu, reditu Christi narrat: quasi statuamus non verè ista in corpore Christo evenisse: Certè non disputatoris, sed maledici calumniatoris munere præclarè fungitur. Nihil enim tale nobis in mentem venisse, vel ipse novit, & fateri cogitur Sacramentariorũ manipulus.

VI. DI.

VI. DISTINCTIO per Abdicationem.

Septem rationibus hanc etiam di-ſtinctionem vellicat & allatrat Sadeel, quæ ſi Sophiſmata & convitia ſuſtuleris, nihil magis virium momentique obtinebunt, quàm id quod ex mendaciis totum eſt conſutum. Sed juvat tamen paucis eas ordine examinare.

Ratio I.

Primùm manifeſtò repugnant Apoſtolo, cùm dicunt: Humanam naturam eſſe humiliatam. Loquitur enim Apoſtolus de ipſo Chriſto in concreto. Perperam ergò dicunt in Abſtracto, Humanam Chriſti naturam ſeſe humiliaſſe. Dicendum eſt igitur, τὸν λόγον ſeipſum exinaniviſſe, non per ſe, ſed σχετικῶς, id eſt, propter hypoſtaticè ſibi unitam carnem.

RESPONSIO.

Quo ſenſu vocibus abſtractivis hac in diſputatione utamur, jam aliquoties fuit oſtenſum. Nullam enim fingimus Abſtra-

 ctionem,

ctionem, quâ Humana Christi natura extra personam λόγου consideretur: sed in abstracto consideramus vel humanam vel divinam naturam, quando aliquid de alterutra prædicatur, quod ad eam est referendum, licet in ipsa personali Unione subsistentem. Sed de hoc non litigemus. Utamur ergò hac vice phrasi Sadeeliana, quæ subjecti loco ponit Christum: quemadmodum sanè Apostolus ipse subjectum hoc disertè expressit, Phil. 2, 5. Verùm hic jam quæritur: Cùm Christus semetipsum exinaniverit: secundum quam naturam sese exinaniverit? Non certè secundum divinam: quippè in quam non ulla potest cadere ϰένωσις exinanitio: quemadmodum neque ulla Exaltatio. Relinquitur ergo secundum assumtam humanitatem Christum & humiliatum & exaltatum fuisse: quemadmodum hoc infra, in Loco secundo Capitis quarti, invictis rationibus confirmabimus. Quid vero hoc loco per σχέσιν, sive σχετικὴν Exinanitioné τοῦ λόγου intelligat Sadeel, Oedipo divinatore opus foret. Sed nimirùm phraseως obscuritate γλαύκωμα voluit Lectori objicere, ut ceu fascino quodam excæcatus, veritatem videre nequeat. Sed vanitas hujus Sophismatis mul-

tis multis modis patet. Primùm enim non de Exinanitione λόγυ, sed Christi agere Apostolum, ipsa verba textus evidenter cõfirmant. Frivolum ergò, quando hanc exinanitionem de assumtione humanæ naturæ, sive Incarnatione τȣ̃ λόγυ, interpretatur Sadeel. Nam de Christo, & sic de λόγῳ jam incarnato, non demùm incarnando agit Apostolus, & de eo jam incarnato affirmat, quòd semetipsum exinaniverit formâ servi assumtâ &c.

Deinde cujus hoc loco est Exinanitio, ejusdem etiam est subsequens Exaltatio? Nam ille ipse Christus secundum eam naturam exaltatus fuit, secundum quam prius sese exinaniverat. Demonstret ergo jam Sadeel, & qui ejus placita demirantur ac exosculantur: qualis σχετικὴ exaltatio sit λόγῳ adscribenda. Nam ad hunc usque diem eam non definiverunt Adversarii. Verùm de his & id genus aliis nostræ sententiæ fundamentis infrà copiosius. Hoc loco demõstrasse sufficiat, Exinanitionem hanc referendam quidem esse ad Christum: verùm secundum assumtam humanam naturam.

Ratio II.

Vocabulum Abdicandi non convenit eorum sententiæ. Si enim Humana natura Christi sese abdicavit Omnipræsentiâ ad tempus; Sequitur tunc temporis, ipsam Omnipræsentiæ autoritatem in Christo non fuisse: Quod tamen illi non assentientur. Quin etiam si Omnipræsentia est effectum necessarium Vnionis Personalis: non potest igitur esse abdicatio Omnipræsentiæ, quin sit quoque abdicatio Vnionis: Quod est ἀδύνατον.

RESPONSIO.

Error figuræ dictionis, & παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Primùm enim Abdicandi verbo qui utuntur, non in ea significatione utuntur, quâ hoc loco Sadeel illud accipit, pro omnimodâ nimirùm evacuatione communicatæ Omnipræsentiæ, Omnipotentiæ &c: tàm ratione Actus primi, quàm ratione actus secundi. Hoc sanè sensu si statueretur Christus abdicasse sese Omnipræsentiâ: sequeretur utrumq; illud, quod infert Sadeel: nempè. 1. ipsam Omnipræsentiæ autoritatem in Christo tûm non fuisse: 2, ipsius quoque Unionis abdicationem factam esse. Verùm neutrum sequitur, si (quod alterum est responsionis membrum) non ἁπλῶς, & simpliciter: sed κατά τι secundum quid, Christus Omnipræsentiæ Majestate sese abdicasse statuatur:

tur:

tur: quemadmodum ſanè nos ſemper ſtatuimus & docuimus: nempè, Chriſtum in ipſo ſtatu Exinanitionis habuiſſe & retinuiſſe ſemper communicatam Idiomatum divinorum Majeſtatem actu primo: Sed actu ſecundo (qui liberrimæ voluntatis eſt) illam ipſam Majeſtatem non uſurpaſſe: exceptis ſingularibus quibuſdam miraculoſis actionibus, quibus Majeſtatis hujus ſuæ radios quoſdam elucere, & gloriam ſuam quadantenus manifeſtare voluit, Iohan. *2, 11.* Et hæc eſt doctrina, quam Abdicandi termino Orthodoxi notare voluerunt. Quod ſi vocabulum Abdicationis non omnibus arrideat, minusq; propriè ad præſentem quæſtionem pertinere videatur: hoc certè nomine cum nemine vitilitigabimus: modò purior doctrina, ſarta tecta aſſeratur, & ſubſtituatur vocabulum κενώσεως evacuationis, exinanitionis: vel ταπεινώσεως humiliationis, vel aliud ſimile.

Ratio III.

Abdicatio infert uſum ipſius rei anteceſſiſſe. At verò ante Tempus Exinanitionis non dari poteſt Tempus, quo Chriſtus communicatâ Majeſtate uſus fuerit: Sic enim Paulus: Exinanivit ſeipſum acceptâ formâ ſervi: & Ioha. cap. 7. Nondum Chriſtus

Christus erat glorificatus. Atque omninò concipi in utero virginis repugnat Omnipraesentia &c.

RESPONSIO.

De propria vocabuli Abdicandi significatione ut pueriliter digladiemur, haud necesse est. Si ea non quadrat; quemadmodum sanè, si secundum communem loquendi usum vocabulum hoc accipiatur, significationem ejus propriam ac usitatam minus quadrare, haud inviti largimur: substituantur vocabula ἐκενώσεως & ταπεινώσεως: modò sensus Paulinus integer ac incorruptus maneat, quem paulò antè dedimus, ex cap. 2. Epistolæ ad Philippenses: & infra suo loco uberius explicabitur, & nervosius confirmabitur.

In allegatione dicti Iohannis 7, 3, 9. Nondum Christus erat glorificatus: committit Sadeel manifestum Sophisma Ignorationis Elenchi: Neque enim de ea glorificatione sermo est Evangelistæ, quæ Humanitati Christi in primo conceptionis momento verè ac realiter obtigit: & quam describit Iohannes cap. 1, 14. *Verbum* inquiens, *Caro factum est, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à patre, plenum gratia & veritate*: Et cap. 3, 34. *Non dat pater*

Filio

Filio (ſecundum aſſumtam humanitatem) *Spiritum ad menſuram*: Quam etiam glorificationem Caro Christi actu primo ſemper habuit & retinuit: Verùm ſermo eſt Evangeliſtæ de quodam ſpeciali actu & effectu glorificationis hujus: nempe de Effuſione illa viſibili Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, quæ demùm Aſcenſionem & ſeſſionem Chriſti ad dexteram DEI patris ſubſecuta eſt, tanquàm Actus ſecundus, Quem in ſenſum dicit Petrus Actor. 2, 33. *Dextera DEI exaltatus, promiſsione Spiritus Sancti accepta à patre, effudit hoc quod videtis & auditis*, Quod ipſum textus συνέπεια apud Iohannem clarè evincit & commonſtrat.

Tandem quod repetit Conceptionem in utero virginis, repugnare Omnipræſentiæ: illud ſatis operosè refutatum eſt ſupra, in diſſolutione Argumenti quinti contra Omnipræſentiam. vide pag. 296. & ſeqq.

Ratio IIII.

Chriſtus dicitur abeſſe, adeſſe & cætera ejusmodi, etiam poſt ejus glorificationem &c. Ergo vitioſa eſt diſtinctio de Abdicatione.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

Meræ tricæ & Confusiones disparatissimarum quæstionum. Primùm enim confundit Glorificationem Christi factam in ipso primo Unionis momento, cum sessione ad dexteram Dei patris: vel quod idem est, cum plenaria usurpatione communicatæ gloriæ: hoc est, Confundit actum primum cum actu secundo. Deinde confundit actum præsentiæ Naturalem, cum actu præsentiæ personali: quemadmodum supra in diexodo capitis secundi: classe secunda testimoniorum ex scripturis productorum, abundè satis demonstratum fuit. Vide pag. 15. & seq.

Ratio V.

Hæc distinctio superiorem illam evertit, κτήσεως & χρήσεως: Nam per Abdicationem ipsum usum Omnipræsentiæ humanæ Christi naturæ eripiunt.

RESPONSIO.

Non distinctio ipsa, sed significatio illa vocabuli Abdicandi, quam hoc loco Sadeel inscitè & impertinenter urget, evertit superiorem illam distinctionem, & eripit usum Omnipræsentiæ humanæ

Christi

Christi naturæ. Proindè rursum cum lemuribus pugnat Sadeel.

Ratio VI.

Esse Omnipræsentem, omniscium, omnipotentem, non potest ab actu separari. Nam qui non est omniscius actu, is necessariò quædam nescit. Atqui esse Omniscium nesciendo: hoc verò ne fando quidem auditum est. Similiter, qui dicit, Humanam Christi naturam fuisse Omnipotentem, non actu sed potentia: ille dicit, Humanam Christi naturam potuisse posse omnia: quod est pessimè ἀδολεσχεῖν, atque etiam aliquod deterius, &c.

Et post pauca: *Si quis existimat Divinam Omnipræsentiam esse potentiâ: ille existimat quoque, DEVM esse potentiâ. ἀδύνατον & blasphemum: Est enim DEVS actus purissimus.*

Responsio.

Totius hujus structuræ summa est: Omnipræsentiam, Omniscientiam & reliqua divina τοῦ λόγου Idiomata, non posse prædicari de assumta Humanitate, nisi ipso actu semper sese exerant: Ratio; Quia Deus est actus purissimus.

Sed

Sed respondemus, divina illa Idiomata, Omnipotentiam, Omniscientiam, Omnipræsentiam, &c: esse in λόγῳ perpetuum & invariabilem actum, qui respectu sui non cesset unquàm, neque distinctionem in actum & potentiam: sive in actum primum & secundum recipiat, quatenus nimirùm intra ipsam τῦ λόγυ divinam Essentiam illa considerantur. Et eatenus verum est quod Sadeel infert, *Si quis existimet, divinam Omnipræsentiam esse potentiâ: illum existimare quoque, DEVM esse potentiâ.* Cæterùm si hæc ipsa Idiomata divina τῦ λόγυ, non jam ampliùs intra ipsam ejus divinam ὀσίαν, sed respectu assumtæ Humanitatis considerentur: tùm certè falsissima est Hypothesis Sadeeliana, quâ contendit, non potuisse λόγον in humana natura usum suorum Idiomatum, vel liberè retrahere, vel liberè exercere.

Falsitas hujus hypotheseos vel indè patet, quòd DEVS in se consideratus, nihil aliud est, quàm actus perpetuus, purissimus, simplicissimus: Quatenus verò consideratur in Operibus ad extra: certum est, quod non semper in actus secundos sese proferat: id quod ex creatione Mundi patet. Mansisset enim DEUS actus purissimus,

mus, si vel maximè nullum mundum creasset. Quod verò creavit mundum, illud est liberrimi actus secundi. Sed ut ad propositam à Sadeele quæstionem accedamus, Omniscientia λόγου est actus perpetuus: quo λόγος ipse per se, & respectu sui semper omnia novit & cognoscit: Quando verò hanc Omniscientiam per assumtam Humanitatem exerit, illud liberæ est voluntatis: ac proindè tàm retrahere, quàm exerere potest. Etsi enim per Unionem Hypostaticam in humana natura sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ divinæ: imò tota plenitudo Deitatis in ea habitat σωματικῶς: quia tamen hæc ipsa humana Natura, non factum est subjectum istorum Idiomatum divinorum, ut habitualiter ac subjectivè ei insint, ac proindè Humana natura non ex se, In se, & per se sit Omniscia, Omnipræsens, Omnipotens: sed λόγος horum suorum Essentialium Idiomatum ἐνέργειαν LIBERE exerat: hinc utique liberè etiam Omniscientiæ ἐνέργειαν, sive actum secundum, tempore humiliationis in humanâ suâ naturâ exinanire potuit. Cujus exinanitionis respectu, Humana natura verè nescivit quædã, nescivit horam diei novissimi, Marc. *13, 32.*

Humilitatis abesset: neq; à λόγῳ etiam Caro uspiam esset locorum intervallis disjuncta: tamen Christus quà Homo, propter exinanitionis interventum, non viderit, non audiverit, non animadverterit ea, quæ iis in locis, à quibus *LOCALITER* aberat, gerebantur aut dicebantur: nedùm administrationem creaturarum & dominium hujus universi exercuerit, propter evacuationem scilicet pleni exercitii suæ divinæ Majestatis. Sic ergo in ipso quoq; Exinanitionis statu caro Christi verè fuit ubique Personaliter, quatenus nimirum *ἀδιαστάτως τῷ λόγῳ* ubique præsentissimè erat unita: Sed non erat ubique, eo respectu, quo nunc est: nempè ratione plenariæ usurpationis communicatæ divinæ Omnipotentiæ, in creaturam regimine, & dominii universalis administratione.

Deindè Sadeel per phrasin Actu ubique esse, intelligit, Per se, & ex naturæ suæ conditione ubiq; esse. Quà de causà etiam mox Infinitatis meminit. Verùm ut ad cavillum istud toties hactenus protritum & profligatum denuò respondeamus, opere pretium haud fuerit.

Sed his nunc missis novam quæstionē ventilandam sibi sumit Sadeel, eam nimirùm quę est de Immortalitate carnis Christi. da

sti:de quâ quid statuat Sadeel, consideratione dignum est. Sic autem ille.

Carnem Christi ius habuisse immortalitatis ex Vnione personali, non dicitur Orthodoxè. Rationem affirmati hujus profert Sadeel istam. *Quia Vnionis Hypostaticae finis erat, ut Ecclesia redimeretur: quod quia, nisi morte Christi, fieri non poterat, iccirco verbum assumsit Humanam naturam mortalem. Quem finem multis scripturarum testimoniis, & rationibus confirmat.*

RESPONSIO.

Turpi Sophismate aequivocationis & semetipsum & quaestionem involvit Sadeel. Quaestio est, An caro Christi assumta fuerit mortalis nec ne? Evolutâ jam aequivocatione vocabuli *MORTALIS*: tota controversia erit explicata. Mortale autem dicitur vel de potentiâ: ut nimirùm aliquid mori possit: vel de actu Naturali: ut nimirùm naturâ suâ, & ex proprietate naturae suae Essentiali, necessariò mori debeat. Si jam de δυνάμει sit quaestio: Utrùm nimirùm caro Christi mori potuerit: Respondemus affirmatè: Nam λόγος ideò non Angelos, sed semen Abrahae assumsit, & particeps factus est carnis & Sanguinis: ut nimirum, licet jus mortalitatis, quoad suam hanc carnem multis modis obtineret,

ret, (uti mox ostendetur) tamen liberrima voluntate, & ut veteres locuti sunt, per spontaneam οἰκονομίαν, suam hanc carnem, infirmitati huic humanæ subjicere, & mori posset, & sic finem etiam illum Unionis Personalis assequi, qui erat, ut Mediante morte redimeretur genus humanum. Quemadmodum & scripturarum testimonia & rationes à Sadeele productæ liquidò confirmant. Neque nostrum quisquam diversum unquam sensit aut credidit.

Cæterùm si quæratur: Utrum Caro Christi Actu Naturali, hoc est, ex proprietate Naturæ suæ fuerit mortalis, & sic ipsa cogente Naturæ conditione mori necessariò debuerit? Hìc certè contra Sadeelem negativè respondemus: Et hæreticam statuimus esse assertionem, *Humanam Christi naturam Ius immortalitatis ex Vnione non habuisse.* Unita certè erat Caro Christi λόγῳ, qui est ipsissima vita. Deinde, caro Christi est ex hac ipsa Unione facta vivifica, ut vitam aliis verè impertire potuerit. Tùm Caro hæc Christi fuit prorsus ἀναμάρτητος expers peccati. Quo ergò quæso pacto, Jus immortalitatis caro Christi ex Unione non habuisset. Quid? quòd Mortalitas

litas nullius hominis Essentialis est proprietas. Mors enim per peccatum introiit: & stipendium peccati mors est.

Et Adamus post lapsum, quoad corpus & Animam easdem essentiales proprietates retinuit, quas habuit ante lapsum: licet destitutas jam perfectione concreatæ Justitiæ Originalis: quæ tamen ablata fuit, non destructis Essentialibus partibus, & singularum partium essentialibus proprietatibus: sed integris (quoad ὀυσίαν) permanentibus: usque adeò, ut Mortalitas in Adamo, & reliquis hominibus omnibus nullo pacto referri debeat, inter Idiomata hominis συςαλικὰ sive Essentialia: sed tantùm inter παρεπόμενα τῇ Φύσει, quæ à substantiâ ipsa, salvâ eâ manente, abesse possunt: quemadmodum sanè post resurrectionem à nostris etiam corporibus verè aberunt: manentibus tamen iisdem essentialibus corporum nostrorum proprietatibus.

Quæ ergo hæc foret impietas, carnem Christi ita velle subjicere mortalitati, ut non modo non ex naturæ suæ conditione, quippe peccati omnis experte; sed nec ex Unione cum λόγῳ. Jus immortalitatis ullo pacto habuerit. Tanta nimirùm pietate

pietate & veneratione prosequuntur Calviniani carnem Christi, ut illi concedere & largiri nolint, quod tamen saniores quique reliquorum hominum Naturæ facilè largiuntur: ut nimirùm Mortalitas non ad τὸ εἶναι Hominis: sed ad παρεπόμενον τῇ Φύσει, propter peccatum nimirùm, pertineat.

Tandem exagitat Sadeel similitudines de animi deliquio, & anima rationali infantis: Et quærit Sophisticè: *Num Omnipræsentia sit Forma Essentialis humanæ naturæ, & ejusdem definitionem ingrediatur?* placet nimirùm Sadeeli consentanea non refutare: sed consentaneis malitiosè substituere dissentanea, & ea postmodum odiosè exagitare. Quem in finem nostri similitudinibus istis utantur, obscurum nemini esse potest: Non sanè, ut parem velint esse rationem Omnipræsentiæ in humana naturâ: quæ est, Rationis in Infante. Discrepantiam enim & similitudinem nos ipsi agnoscimus. Verùm hic est allaturum similitudinum usus unicus: ut nimirùm obtineant, quòd actus primus non semper necessariò sit cum secundo conjunctus. Quandoquidé & infans à primo suo ortu habet animã rationalé, & sic primũ intelligendi actum: licet nó ratiocinetur actu secundo.

Sic in animi deliquio, nihilominus Anima rationalis verè adeſt homini: licet actum ſecundum nullum tùm exercere videatur. Proindè ſecundum quid, & non ſimpliciter, Similitudines iſtæ ad hanc diſputationem accommodantur: quæ ſi ideò rejiciendæ ſint, quia in illis diſſentanea occurrunt; nulla profectò ſimilitudo in tota rerum natura ad Chriſtum adaptari poterit: quarum tamen aliquas ſcripturam ipſam uſurpare, nimis manifeſtum eſt. Sed hoc ut dixi Sophiſtarum eſt proprium, ut cùm ſimilitudines, ex ea parte, cujus gratiâ proferuntur refutare nequeant, diſſimilitudines & diſſentanea conquirant & magnificè exaggerent; quemadmodum hujus artis Magiſtrum infra deprehendemus Sadeelem.

VII. DISTINCTIO NATURALITER ET Perſonaliter.

Hanc quoque diſtinctionem exagitat Sadeel, ut ſic nihil intentatum relinquat, quod ad demonſtrandam & confirmandam Majeſtatem Filii Hominis quicquam facere

facere posse videtur: usque adeò Humanæ naturæ Christi hostes & inimici sunt Calviniani. Sed videamus ipsius rationes.

Ratio I.

Personale dicitur propriè, non id, quo persona constat, sed id, quod ad ipsam personam constitutam, & ad τὸ ὑφιστάμενον refertur. Ita fit, ut dictio PERSONALITER *propriè de ipsa quidem* PERSONA *dici debeat: non autem de altera ex naturis.*

RESPONSIO.

Haut ignorat Sadeel, τὸ personale, sive personaliter, duobus modis intelligi, vel eo modo, quo jam explicavit Sadeel, ut nimirum secundum propriam suam significationem notet personam certam, sive certum ὑφιστάμενον: Quo sanè sensu, τὸ personaliter, ad Humanam naturam nunquam à nobis accommodatur. Vel eo modo, quo ostendit, prædicari aliquid de Humana natura, verùm non respectu sui ipsius: sed ratione Unionis Personalis. Quo sensu determinatio voculæ (Personaliter) non facit ex Natura humana propriam personam: sed ostendit tantùm, hanc

 Omni-

modum λόγῳ sua Idiomata verè ac realiper communicavit Humanæ naturæ: sic hæc vicissim τῷ λόγῳ suas proprietatates communicaverit: Et quæ nam hujus diversitatis sint fundamenta, vide pag. 445. & seqq.

Quoad posteriorem cavillationem, quæ corpus Christi in unione tantùm uno respectu, Naturali videlicet, considerat: responsum fuit plus millies hactenus. Consulatur pagina 293. & 325.

Sed pergit Sadeel & quorundam interpretationem (quoad voculam Personaliter) repetit & explicat; Vbi tamen nihil magnoperè observationem meretur, nisi quod veteres errores recoquit, nempè *Humanam naturam in verbo sustentari*: Deindè: *Si Humana natura sit Omnipræsens personaliter, debeat etiam dici æterna Personaliter.* Quos errores hactenus etiam refutavimus: priorem pag. 60. & 272. posteriorem verò pag. 229. 245. &c.

Ratio II.

Constat Persona Christi ex utraque natutura: non igitur Persona debet opponi alteri Naturæ: quia

quia sublata altera ex Naturis, non potest stare Naturarũ Unio, ac proindè jam non esset Persona. Quandoquidem ita de hoc mysterio loquendum est, ut Naturaliter, *ad naturam,* Personaliter, *ad personam referatur.*

RESPONSIO.

Rursum cum liripipio capitis sui pugnat Sadeel, & fingit hostem, ubi nullus est. Nam τὸ Personaliter ἀντιφατικῶς opponi alteri Naturæ, nemo unquàm ex nostratibus affirmavit. Aliud est τὰ ὑπαλλήλως subordinata distinguere: aliud verò Naturam personæ, & vice versa, Personam Naturæ contradictoriè opponere. Prius illud nos facimus: & Naturam humanam tùm ratione suarum proprietatum naturalium consideramus, & quidem in ipsa Unione: Ubi naturaliter ea est in quodã vel loco, uti fuit tempus exinanitionis vel in quadam πῦ, ubi nunc est post resurrectionem: tùm verò eandem consideramus ratione existentiæ in λόγῳ: Ubi personaliter, hoc est, respectu ET VI Unionis personalis, Natura humana subsistit & existit extra & supra, ac ultra omnem locum. Proindè rursum sub æquivocatione voculæ Personaliter, insidias struit Sadeel.

Sadeel. Quid? quod ſibiipſi Contradictionis laqueum manifeſtè injicit. Nam paulò antè faſſus fuit, non improbandam eſſe locutionem, quâ Humana natura dicitur Perſonaliter unita τῷ λόγῳ. Iam ſi ſecundum præſentem aphoriſmum Sadeelis τὸ perſonaliter opponitur alteri Naturæ, videlicet Humanæ: Ediſſerat quæsò, quo pacto illa cum λόγῳ Perſonaliter uniri potuerit?

Et profectò animi morbum plus quàm hæreticum ſatis prodit Sadeel, dùm ſcribit, *Sic loquendum eſſe de hoc myſterio, ut* Naturaliter *ad Naturam*, Perſonaliter *ad perſonam referatur*. Sic enim τὸ perſonaliter, ne quidem reſpectu Unionis, ad Naturam humanam referri debet, quippe quæ Natura eſt, non verò perſona. Quo pacto, nùm & quomodo Humana natura, perſonaliter dici queat unita τῷ λόγῳ, deliberent Sacramentarii. Illud jam in confeſſo eſt, quamdiu hanc hypotheſin Sadeelis ſalvare perrexerint, illos non perſonalem, ſed Naturalem Unionem, hoc eſt, planè nullam credere & confiteri.

Corrigitur autem error iſt nimis hæreticus, in hunc modum, ut ſtatuamus τὸ Naturaliter in hac diſtinctione referri

ad

ad proprietates naturales: sed τὸ personaliter ad ipsum Unionis hypostaticæ mysterium. Ut, si dico, Humana Christi Natura est Omnipræsens, non Naturaliter, sed personaliter: idem volo, ac si dicerem: Humana Natura est Omnipræsens non ex Naturæ proprietate: sed ex Unione personali cum λόγῳ.

Sed pergit Sadeel: & rursum quæstionem ex quæstione nectit, ut hoc pacto turbulentam Conscientiæ fluctuationem prodat. Vellicat ergò & sugillat distinctionem illam nostratium, qua geminum actum primum Corporis Christi constituunt, Unum Naturalem, Alterùm Personalem. Et sanè Sadeelis Emblemata hæc sunt:

1. Vnius ejusdemq; rei duos actus primos simul, & quod gravius est, inter se oppositos esse, ne fando quidem auditum est.

2. Primus actus Personalis non potest esse nisi personæ, nec propriè dici nisi de persona.

RESPONSIO.

Ecquis verò mi Sadeel unquam vel dixit vel scripsit, In Corpore Christi duos esse actus primos (Contradictoriè) oppositos. Nam hoc vult Sadeel, hoc contendit, hoc unicè quærit, ut fucũ facere queat

sim.

ſimplicioribus, nos duos actus primos Contradictoriè oppoſitos in humana natura comminiſci. Viri boni imò vel diſputatoris candidi officio te hac in parte fungi, affirmare non poſſum, ſi vel maximè velim. Et ut capitis tui liripipium aliquomodo tibi excutiam: quæro ex te, Num Humana Chriſti natura, unita ſit τῷ λόγῳ actu naturali, an verò actu Perſonali? ſi hanc tuam hypotheſin, pro qua jam pugnas ſalvare volueris, fatearis neceſſe eſt, Perſonaliter eam non eſſe unitam τῷ λόγῳ: Ratio: Quia actus duo primi (Naturalis & Perſonalis) ſine Contradictione ſimul ſtare haud poſſunt. Relinquitur ergo, Humanam Chriſti naturam unitam eſſe τῷ λόγῳ, Actu Naturali: & quidem ex ſententia Sadeelis. En quò evadant humana de rebus divinis ſomnia?

Sed nedum ſatis eſt ineptiarum, veriùs blaſphemiarum: nam id, quod magis auditu horrendum eſt ſubjicit: *Corpus Chriſti eſſe ubique, dici non poteſt: neque Naturaliter: Hoc enim repugnat humanæ naturæ: neque Perſonaliter: Eſt enim non Perſonæ nomen, ſed Naturæ.* Arrige verò aures ad iſthæc, quiſquis amas & Religionis Chriſtianæ, & tui ipſius ſalutem.

Stante

Stante enim hac hypothesi, corruit ac expirat omnis Unio personalis duarum naturarum in Christo. Nam (ex hypothesibus Sadeelis argumentando:) Corpus Christi uon potest dici unitum τῷ λόγῳ: quia si unitum est, vel unitum Naturaliter: At verò hoc repugnat humanæ naturæ: vel personaliter: At verò Corpus Christi non est personæ nomen, sed Naturæ. Ergo prorsus non est unitum τῷ λόγῳ. En tibi vim argumentationis Sadeelianæ.

Ratio III.

Cum dicunt Humanam Christi naturam accepisse à λόγῳ, ut sit ubique, non quidem naturaliter, sed personaliter: admittunt ἀδολεσχίαν. Nam si naturaliter haberet Omnipræsentiam, eam aliundè non posset accipere.

Responsio.

Imò verò Sadeel nugacissimè ἀδολεσχεῖ. Nam hoc ipsum quod impugnat, satis evidenter confirmat, nempè Omnipræsentiam, quam Naturaliter Caro Christi non habet, necessariò aliundè debuisse accipere, nempè à λόγῳ: ut eam habeat, non naturaliter, sed personaliter. Quod si enim

Digitized by Google

enim Naturaliter haberet, non debuiſſet aliundè accipere. Quanquam in eo Sophiſtam egregium agit Sadeel, quando ſcribit, nos dicere, *Humanam Chriſti naturam accepiſſe à λόγῳ, ut non ſit ubique Naturaliter.* Sic nimirum confundendo ea, quæ à nobis diſtinctè proferuntur, noſtram doctrinam variis ſuſpicionum nebulis obſcurare & pervertere conatur. Quod num virum diſputatorem, & Theologum deceat, judicent ipſi Adverſarii.

De Calvinianâ illa explicatione, qua phraſis iſthæc, Corpus Chriſti eſt ubique, ſic exponitur: *Corpus hoc eſt Chriſti, qui eſt ubique*: egimus mox ab initio hujus Tractatus, in Refutatione Epiſtolæ Sadeelis ad principes Germaniæ. Vide pag. 26. & ſeqq.

VIII. DISTINCTIO
Modo Majeſtatis.

Hujus etiam diſtinctionis errores quoſdam comminiſcitur Sadeel, ſed veterem duntaxat cramben plus millies hactenùs coctam recoctam, repetentes.

Error I.

Primus error: In vocabulo præsentiæ, quia Maiestas est alio modo præsens, quàm sit Corpus, nec magis potest esse Corpus realiter præsens, modo Maiestatis, quàm Maiestas potest esse præsens, modo Corporis.

Responsio.

Error iste oritur ex æquivocatione phraseos (modo Majestatis) Quæ vel idem significat ac si quis dicat, Corpus Christi eodem modo esse præsens, quo adest ipsa Majestas τȣ̃ λόγȣ: Quo sensu eam Sophisticè præter nostram mentem ac sententiam accipit Sadeel: & sic non cum nostrâ doctrinâ, sed cum capitis sui figmento pugnat. Et sanè verè sequeretur id, quod infert Sadeel, Si Humanam naturam Christi eodem modo, quo Majestas τȣ̃ λόγȣ est Omnipræsens, præsentem adesse statueremus: ut nimirùm Majestas etiam τȣ̃ λόγȣ eodem modo præsens adesset, quo modo adest corpus ipsum. Verùm, uti dixi, hæc opinio nunquam nostris in mentem venit: quippè quæ Eutychianam confusionem modis omnibus stabiliret. Vel significat phrasis isthæc id, pro quo nos pugnamus: nempè corpus Christi, quod suæ naturæ terminis semper est & manet circumscri-

ptum,

Digitized by Google

ptum, sit cum λόγῳ ubique præsens, Modo Maiesttis, hoc est, vi ac virtute illius Majestatis, quam cum assumta humanitate λόγος vere ac realiter communicavit. Ubi tamen maximum est & manet discrimé, inter modum Omnipræsentię, quo λόγος, & quo assumta Humanitas est Omnipræsens. Etsi enim una numero est Omnipræsentia: ea tamen λόγῳ competit per Essentiam: Humanæ verò naturæ per Unionis & communicationis gratiam. Undè diversus etiam præsentiæ modus, alius respectu λόγȣ: alius respectu corporis Christi oritur. Quod dùm non attendit Sadeel, fit ut rem, cum modo rei, inscitè & turpiter confundat.

Error II.

Constituunt (scilicet Ubiquitarii) ***realem corporis præsentiam, sine modo naturali. Etenim realis præsentia Corporis, sine vera corporis ipsius existentia: & vera Corporis existentia sine propriis dimensionibus ne cogitari quidem potest.***

RESPONSIO.

Macte audacia Sadeel, sic ibis ad astra. Quid.n.? Anne corp⁹ Christi omnipręsens esse nequit, nisi modo Naturali? Edissere ergo nobis, Quo modo corp⁹ Christi per unioné adsit τῷ λόγῳ? Nùm naturali? si sic,

tùm Unio ipsa erit Naturalis. Si non? Tùm corruit & evanescit stolidū Sadeelis principium, nempè, Corporis Christi præsentiam, sine modo naturali definiri haud posse. Ulterius quærendo progredior? Quo modo Corpus Christi sit in dextera DEI? Nùm naturali? Si affirmatè responderit Sadeel, sequetur, Sessionem ipsam ad dexteram DEI esse Naturalem: Sin negatè: sequetur principium hoc ipsius esse elumbe, futile, nugatorium.

Corrigitur autem error in hunc modum, ut distinguamus, inter corpus ipsum, & inter Corporis præsentiam, eamque geminam: Naturalem, & Personalem. Corpus certè Christi ubi ubi est, ibi verū est, manetque Corpus, suasque retinet dimensiones, imò manet propriis naturæ suæ terminis finitum ac circumscriptum: Modus verò præsentiæ est alius atque alius. Nam quando in uno loco fuit hisce in terris, quando de loco in locum verè, non simulatè, fuit progressus: quando nunc etiam in statu gloriæ & Majestatis, versatur in certo quodam πȣ̃ cœlesti: hæc omnia competunt Corpori Christi Naturaliter, ac proindè etiam sic præsens adesse dicitur: Modo Naturali. Quando verò Corpus Christi (idem numero, essentiâ & proprietatibus manens,)

nens,) in ὑποστάσει τοῦ λόγου, supra, ultra & extra omnem loci & localitatis conditionem, Ubique esse dicitur & creditur: tùm hæc omnipræsentia ei non cõpetit ex Naturæ conditione, ac proindè sic ubique adesse dicitur, Modo non Naturali; Sed Personali: quia nimirùm Corpus Christi ex personali Unione cum λόγῳ, illocalem hunc existentiæ modum, est sortitum.

Error III.

Si nomine Maiestatis intelligant Maiestatem divinam: hoc est: Deitatem ipsam: sequeretur, Corpus Christi esse Deitatem ipsam.

Responsio.

Vetus & hoc est delirium, aliquoties hactenus, cumprimis verò suprà in Refutatione argumenti primi Sadeelis contra Omnipræsentiam, pag. 224. & seqq. explosum. Quæro autem ex Sadeele, Utrum vivificatio sit Majestas divina? Utrum adorationis cultus, sit divina Majestas? Utrum omnis potestas in cœlo & in terra, sit Majestas divina?

Affirmativam certè teneat, necesse est, nisi fortè omni pietati & Religioni nũcium remittere malit. At verò vivificatio-

Digitized by Google

nis Majestatem divinam, suæ carni (in abstracto) adscribit ipse Servator: Ioh, 6, 55. Sic adorationis Majestatem divinam Apostolus ei adscribit Naturæ, quæ obediens facta est patri usq; ad mortem crucis: Humanæ nimirùm: Phil. 2, 10: Sic omnem potestatem in cœlo & in terra, adscribit ei naturæ Christi Apostolus, secundum quam à patre excitatus est ex mortuis: Humanæ nimirùm: Ephes. 1, 20, & 21. Anne vero hinc statim arguet Sadeel, Corpus Christi esse Deitatem ipsam? Nimis profectò bardè imò hæreticè: quin potiùs vel nolens admittere cogetur eam distinctionem, quam supra loco citato dedimus: Ut nimirùm illud tantùm sit DEUS, quod ex proprietate naturæ suæ, & sic per Essentiam est vivificum, est adorabile, est omnipotens: non item, quod tantùm personali κοινωνίᾳ, vivificationem, Adorationis gloriam, Omnipotentiam participat. Cujus Responsionis rationem damus hanc: Quia DEUS non participatione vivificæ virtutis, adorationis Majestatis, & Omnipotentiæ, est vivificus, adorabilis, Omnipotens: Sed per sese, adeoque propria sua & naturali vi atque essentiâ. Jam verò Caro Christi, non est ex proprietate, sive vi sua naturali vivifica, adorabilis, Omnipotens:

tens: sed tantùm ex unione alterius naturæ: nempè divinæ, pervenit in κοινωνίαν vivificationis, Adorationis, Omnipotentiæ, Ergo; impossibile est, ut ob personalem participationem divinæ hujus Majestatis, Humanitas Christi facta dicatur DEUS. Plura videantur loco jam supra citato.

Sed oggerit Sadeel. *Cuicunque tribuitur Deitatis modus: illi quoque tribuitur Deitas, quæ est simplicißima: secundum illud vulgatum axioma. De quibus enunciantur proprietates sive conditiones Essentiales, de iisdem enunciantur ipsa Essentia.*

RESPONDEO. Error committitur παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Vera enim sunt isthæc axiomata Sadeelis non simpliciter, sed κατά τι, secundum quid, si nimirùm proprietates Essentiales enunciantur de re aliqua secundum modum Essentiæ. Tùm certè verissimum est, Si Essentiales proprietates τοῦ λόγου, enunciantur de humana naturâ, secundum modum Essentiæ: Tùm Humanam naturã esse *DEVM*. At verò quãdo Modus prædicationis mutatur: & proprietates divinę prędicãtur de assumta Humanitate, nõ modo Dei proprio, hoc est, Essentiali: Sed modo Unionis personalis proprio.

prio, qui propria relinquit propria, neque transfundit in aliud ſubjectum: tùm nullatenus ſequitur: Humanam naturam eſſe DEVM. Quia uti jam antè oſtenſum, Illud tantùm *DEVS* eſt. & dici debet, quod per Eſſentiam divinas illas proprietates obtinet: id quod de Humana naturâ, quamtumvis in Unione, & Seſſione ad dextram patris, conſideratâ, in æternum affirmari nequit.

Quæ porrò repetit Sadeel, de finitate, circumſcriptione, dimenſionibus Corporis Chriſti &c: ea hactenus ſufficienter ſunt diſcuſſa & explicata. Nolumus Lectori crebra iſtorum repetitione, moleſtiam faceſſere.

Pari ratione quæ hoc loco immiſcet, de præſentia corporis Chriſti in Sacramento Cœnæ: deq; phraſibus, *IN, SVB*, & *CVM* pane, quas per inſignem malitiam de Locali quapiam incluſione ſive inhabitatione Corporis Chriſti, contra Orthodoxam & Patrum & noſtrorum ſententiam explicat: ea in Tractatu de Sacramentali Manducatione Corporis Chriſti, à Sadeele fuſius pertractantur. Proinde & nos iſtorum refutatione hoc loco ſuperſedebimus: & fortaſsè (ſi ita bonis viris conſultum videbitur) in Refutatione dicti Tractatus

Digitized by Google

ctatus Sadeeliani, ea sub incudem revocabimus.

Peto autem peramanter à Lectoribus, ut ea, quæ hactenus adversus disputationem Sadeelis ἐλεγχτικὴν contra Omnipræsentiam Christi Hominis directam, ex verbo DEI in medium proposuimus, apud se accuratè reputent, & indè impietatem ac futilitatem dogmatis Calvinistici dijudicare ac fugere discant.

CAPUT IIII.

AGgreditur nunc Sadeel Refutationem eorum argumentorum, quibus nos pro asserendâ Majestate Filii Hominis, Christi Servatoris nostri, adversus impiam Calvinianorum gentem hactenus satis per DEI gratiam, feliciter pugnavimus: ac deinceps pugnabimus: de victoriâ nullatenus dubitantes. Videbimus proindè, qualem sese hac in palestrâ Adversarius præstet.

PRIMA OBIECTIO eorum qui dogma Ubiquitatis tuentur.

Triplicem proponit Syllogismum nostratium. Primus sic habet;

Humana natura assumta est à λόγῳ in Vnitatem personæ: & Vnio personalis est inseparabilis. Ergo, Vbicunque est ὁ λόγος, ibi est Humana natura. Est autem ὁ λόγος ubique. Natura igitur humana Christi ubique est. Vel sic: Christus non est totus sine Humanitate: Ergo si totus Christus est ubique, Humanitas ejus ubique est.

Respondet Sadeel 1.

Fallit Consequens: Primus error παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, quia verbum EST, *non potest utrobique eodem modo accipi.*

RESPONDEO. Quis verò hoc negavit unquàm? Nùm fortè latet Sadeelem, nos hoc ipsum verbum EST, non utrobique eodem modo: sed aliter de λόγῳ, aliter de assumtâ humanitate, (quoad hanc quidem quæstionem de Omnipræsentia) enunciare. De λόγῳ quidem Essentialiter: de Humanitate verò Personaliter. Ac proinde opus minimè fuisset, tàm prolixè & operosè probare id, de quo nulla est controversia. Sed

Digitized by Google

Sed fortè dissertatione hac sua, nimis ociosâ, illud suspicionis in nostram doctrinam devolvere voluit, ac si statueremus, Humanam naturam eodem modo, nempè Essentiali esse Ubique, quo λόγος ipse sit ubique: Quem in finem etiam τὸ Realiter & τὸ Essentialiter hoc loco semper conjungere voluit, ac si ex nostra doctrina duo isthæc planè essent συνώνυμα & ἰσοδυναμοῦντα. Cuius tamen cavilli vanitas, facilè patet ex iis, quæ hactenus pro reali asserenda Communicatione in medium attulimus. Ostensum enim fuit, Communicationem Omnipræsentiæ dependere ab ipsa Unione hypostatica, ac proindè imitari naturam originis suæ, ut quemadmodum Unio Naturarum est Realis, non tamen Essentialis: (quandoquidem non coalescunt in unam Essentiam) ita quoque ex Unione promanans Communicatio Omnipræsentiæ, non sit quidem Essentialis (quasi Humana natura vi propriæ suæ essentiæ, quemadmodum λόγος, sit Omnipræsens) nihilominùs autem sit realis: nempè Personalis: ut Christo secundum Humanitatem, Omnipræsentiæ, quemadmodum reliquorum etiam divinorum τοῦ λόγου Idiomatum κοινωνία reverà competat, vi Unionis, quæ Personalis est.

Videt

Videt proindè Sadeel, nos in hoc ipso argumento nostro, Verbum *EST* non eodem modo utrobique accipere: ac proindè præter causam Fallaciam Ignorationis Elenchi nobis objici.

Et profectò hinc itidem manifestum evadit, Nos, sustentationem omnium non pari modo adscribere τῷ λόγῳ & assumtæ Humanitati. λόγος enim quâ naturâ *DEUS* est, per Essentiam suam adest omnibus, sustentat, fovet, regit omnia, secundum Scripturarum & Augustini testimonia. Et hoc modo Humana natura nunquàm in omnem æternitatem continet, sustentat, regit, fovet omnia. At verò cum eadem Humana natura, ex Unione cum λόγῳ devenerit in κοινωνίαν hujus omnipræsentis gubernationis sive dominii cœli & terræ: ita quidem, ut ei subjecta sint omnia, quæ tùm in hoc tùm in futuro seculo nominari possunt: & nihil omissum, quod ei subjectum non sit: Phil. *1, 20. & 21.* Hebr. *2, 8.* nefas certè ac piaculum fuerit, ab eâdem Omnipræsente gubernatione omnium creaturarum excludere velle Humanitatẽ: prę sertim cùm hęc ideò descenderit in inferiores partes terrę, & ascẽderit ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν supra omnes

cœlos,

Digitized by Google

cœlos, ut omnia impleret: licet non vi ſuæ naturæ & ſic ex Eſſentiâ: tamen ex beneficio, gratiâ & virtute arctiſsimæ Unionis cum λόγῳ, dominium hoc teneat & exerceat.

Sed obſtrepit Sadeel, *Humana Chriſti natura nuſquàm eſt niſi ſuſtentata: quandoquidem à λόγῳ ſuſtentatur. Non eſt igitur ubique. Quia quod eſt ubique, ſuſtentat, non ſuſtentatur. Atque hoc connexum affirmamus eſſe ἄλυτον.*

RESPONDEO. περὶ νίκης ἐπινίκιον. Quid? ſi vix ſtramineum eſſet hoc tuum connexũ? uti certè eſt. Faxo ut intelligas. Ac initiò quidẽ nuſpiã in Scripturis phraſis hæc de Unione hypoſtatica reperitur: *Humana natura à λόγῳ ſuſtentatur*, (quanquam ſi ſano ſenſu intelligatur, à nobis ea non rejicitur) ſed iſthæc potiùs occurrit: Verbum Caro factum eſt: Et, DEVS manifeſtatus eſt in Carne, & Filius Dei aſſumſit ſemen Abrahæ, Iohan. *1, 14. 1.* Tim. *3. 16.* Hebr. *2, 16.* Quæ ſanè phraſes oſtendunt, Humanam naturam non ita ſuſtentari à λόγῳ, quemadmodum reliquæ creaturæ ab eodem ſuſtentantur. Sic enim nullum relinqueretur diſcrimen inter gradum præſentiæ Eſſentialem, & Perſonalem: Ἀδύνατον & blaſphemum. Relinquitur

linquitur ergò, vi ſcripturarū, Humanam naturam ita aſſumtam eſſe á λόγῳ, ut jam unam cum eo Perſonam, ſive unum ὑφιςάμενον conſtituat. Cujus unionis Perſonalis Effectus eſt, ut jam aſſumta Humanitas in ὑποςάσει τȣ̃ λόγȣ ſubſiſtens, ſuſtentet & contineat Cœlum & terram, & quæ in eis ſunt: Et ſic ſit ſimul & ſubſtentata, & ſuſtentans. Suſtentata quidem, reſpectu λόγȣ, qui Humanam hanc naturam, quàm intra ὑποςάσεως ſuæ gremium & complexum aſſumſit, in omnem æternitatem nunquā deponit. Suſtentans verò quatenus una eſt perſona cum λόγῳ, & ſic omnia habet ſubjecta ſub pedibus ſuis, Pſal. 8, 8. neque quicquam omiſſum, quod ſubiectum non habeat. Hebr. 2, 8. ac proinde dominatur in medio inimicorum. Pſal. 110, 2, à mari uſque ad mare, & ad terminos uſque terræ Pſal. 72, 8. &c. Vbi tamen illud ſemper obſervandum eſt diſcrimen, quod λόγος ſuſtentet omnia virtute ſua Eſſentiali ut Deus: Humana verò natura ſuſtentet & gubernet omnia, non virtute quapiam naturali ſive Eſſentiali: ſed virtute illa, quam ex Vnione & participatione divinæ Majeſtatis per realem κοινωνίαν, verè ac realiter accepit. Vbi quæſo jam Sadeel connexū illud

tuum

Digitized by Google

tuum ἄλυτον? Sic nempe ſolutum ac planè diſſolutum jacet exanime, ut in æternum nunquam Spiritum ſit recepturum.

Et quid quæſo aliquando reſpondebis Sadeel Spiritui ſancto, qui hanc rerum omnium ſuſtentationem Chriſto, etiam quâ homo eſt, diſertè aſſcribit, in Epiſtola ad Hebræos cap. 1, 2 & 3. Textus ſic habet: *Noviſſimis diebus locutus eſt nobis in Filio, qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & Character ſubſtantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, conſedit ad dextram maieſtatis in excelſis: tanto melior Angelis effectus, quanto ſublimius præ illis nomē hereditavit.*

Ecquid enim obſecro tibi videtur Sadeel? Anne Chriſtus hæres conſtitutus eſt omnium rerum, ut omnia ſuſtentet verbo virtutis ſuæ, æternæ Deitatis reſpectu? Haud opinor hoc affirmabis, niſi ſecundum illud Leonis, ad caſtra Arianorum tranſire velis. Chriſtus enim iuxta Deitatem ſuam creator eſt potius rerũ omnium, quàm ut eaſdem hæreditate demùm poſsidendas acceperit. Relinquitur proindè, Spiritum ſanctum hoc loco reſpexiſſe ad Incarnationis myſteriũ, & verba facere de filio, non abſolutè in ſola ſua Divinitate conſiderato: ſed incarnato, ita ut iuxta aſſumtam carnem, hanc rerum omnium

mnium hæreditatem ſive dominium ſit adeptus: ſecundum promiſsionem illam Pſalmi 2, 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ.* Nam, uti piè Theophylactus in hunc locum annotat, *Hæredem dixit David, ut filii proprietatem exprimeret, qui nequeat à Dominatione depelli. Verùm quo pacto hunc fecit Dominum: nempè VT HOMINEM.* Hanc proindè hæreditatem jure filiationis ſortitus eſt Chriſtus, eò quòd Chriſtus homo una planè & indiviſa eſt cum ipſo DEI filio perſona, & ſic verè Filius DEI: à qua appellatione Filii, humana natura aſſumta non excluditur: ſed ob perſonæ Filii *κοινωνίαν* ac unitatem includitur, juxta teſtimonium Angeli, Luc. 1, 35. *Quod ex te naſcetur, Sanctum, Filius DEI vocabitur.*

II. RESPONSIO SAdeelis ad primam Objectionem.

Secundus error: περὶ τὸ ἑπόμενον. Nec enim hæc ſunt conſectaria: Vnio Perſonalis eſt inſeparabilis: Ergo, ubicunque eſt λόγος, ibi eſt Humana natura. Sed ita connectendum eſt potiùs: Ergo, ſemper & ubique ὁ λόγος eſt conjunctus Humanæ naturæ, poſtquàm eam ſemel aſſumſit

assumsit. Sic autem ipsi Scholastici hanc obiectionem solvunt, ut dicant, argumentum hoc non procedere. Quoties eorum quæ uniuntur, unum excedit alterum.

RESPONDEO. Magnæ debentur gratiæ Sadeeli, quòd tandem aliquando liberè fatetur, unde nám principia, quibus adversus Majestatem Omnipræsentiæ Filii Hominis pugnat, sint petita: nempè ex lacunis Scholasticorum illorum Doctorum, de quibus rectè pronunciavit Megalander Lutherus noster, quòd multi Nestoriani sub Theologia Scholasticorum latitent. Cujus rei documentum valdè illustre subministrat Sadeel, petitum ex Bonaventura: quod tale est: *Si ex duobus unibilibus unum sit majoris ambitus, quàm alterum: tùm non habet veritatem, quòd ubi unum sit, adsit & alterum.* Sed respondeo & axioma istud, & argumentum ei superstructum, hoc in mysterio non modò claudicare, sed penitùs expirare. Parit enim monstrosas planè opiniones de λόγῳ, ac si ille majore quodam ambitu excedat humanitatem: imò talem Unionem confingit, non quâ λόγος personali immanentia, totiusque Deitatis suæ σωματικῇ inhabitatione, in carne sua, tanquam in proprio Templo ὁλικῶς inhabitet:

bitet: Sed quâ assumta humanitas unico in loco, (in quo nempè localiter est & versatur) τῷ λόγῳ adsit: in reliquis verò infinitis locis omnibus, λόγος, tanquàm qui majoris sit ambitus, excedat humanitatem, neque illic in ea habitet: ac proindè neque ibi sit incarnatus. Nos Aristotelicæ ac Scholasticorum unibilitati, & ambitui, ac excedentiæ, indeque extructo misello argumento Sadeeliano opponimus Aphorisnum Apostolicum, ex Colos. capite 2.9: *in Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis σωματικῶς Corporaliter*: hoc est, (adstipulante universâ Scripturâ, & Orthodoxorum patrum calculo,) Finita Humanitas infinitissimæ plenitudinis Deitatis ita *ὁλικῶς καὶ σωματικῶς* totaliter & Corporaliter, capax est, ut totus λόγος in ea insit tantùm, immaneat tantùm, neque extra eam sua hypostasi ac subsistentia ullibi esse cogitandus sit. Sic enim alicubi non tota persona Christi, quæ ex divinitate & humanitate simul personaliter junctis constat: sed pars duntaxat ejus existeret: ἀδύνατον & blasphemum. Quæ causa est, ob quam S. Patres Humanam naturam non dubitarunt appellare δοχεῖον receptaculum τῆς σοφίας καὶ θεότητος sapientiæ

& Dei-

Digitized by Google

& Deitatis: item περιβολὴν amiculum Divinitatis: quemadmodum ex Epiphanio & Athanasio supra ostendimus. Quæ tamen non ita sunt accipienda, ac si λόγος ab assumta carne ita contineatur, ut jam ad finitatem redactus, intra carnis vel locum vel substantiam coarctatus, aut in aliquam creaturam inclusus, à cæteris absit. Verùm arctissima illa naturarum περιχώρησις, & indisgregabilis perpetuáque τοῦ λόγου in assumta natura immanentia hoc pacto exprimitur: uti supra fusiùs ostensum.

Porrò in argumento nostro, non satis propriè dici, obstrepit Sadeel: Vbicunq; est λόγος: *hoc enim de virtute Sermonis (ut loquũtur Scholastici) infert præsentiã τοῦ λόγου, in locis per partes.*

RESPONDEO. Hospes in scripturis Sadeel sit necesse est, si ejusmodi adverbia Loci, de DEO etiam per ἀνθρωποπάθειαν passim enunciari ignorat. Impropriè hoc fieri, quis negat, siquidem Loci & Locorũ διαστήματα in *DEVM* minimè cadunt: adeò ut operosa probatione ejus, de quo nemo nostrũ dubitat, haud opus fuisset. Verùm non tàm voces ipsas, quàm earum vim, qua se cõstringi sentit, reformidat Adversarius. Nã Adverbiũ hoc notat Hypostaticæ unionis terminũ, in quẽ Humana natura verè

 sit

ſit aſſumta, & ubi ſubſiſtat: nempè illocalē τῦ λόγυ hypoſtaſin.

Quæ porrò ſubjicit Sadeel de proprietatibus Naturarum, de ſingularitate Unionis, de triduo ſepulchri: ea partim nihil contra nos faciunt: partim verò jam antè ſunt diſcuſſa.

Pergit Sadeel.

Multa dari poſſunt ſimilitudines, ubi quædam ἀχωρίςως & inſeparabiliter inter ſe conjuncta ſunt, in quibus tamen ſuperior propoſitio locum non habebit: idque explicat ſimilitudine Solis & Lunæ: viſionis & oculi: capitis & pedum.

RESPONDEO. Multas dari poſſe ſimilitudines, quibus contrarium oſtendatur, quis negat? Et ſanè Sadeelis datæ poſtremæ ſimilitudines planè ſunt impertinentes: Quid? quòd ipſi quoque patres argumenta, à ſimilitudinibus petita, tantùm voluerunt eſſe ſubſidiaria: non directè propoſitam quæſtionem confirmantia. Unde Iuſtinus de ſimilitudinibus etiam, quæ alioqui hoc in myſterio explicando valdè ſunt uſitatæ, in genere hanc quaſi cautelam præſcribere voluit: ἁρμόδιον τό γε παράδειγμα, κατά τι γῦν, ἀλλ᾽ ὐ κατὰ παντί.

Iuſt. expoſ. fid. p. 360.

Quem-

Quemadmodum infra de similitudinibus petitis ab unione animæ & corporis: Item à ferro ignito: fusiùs ostendetur.

Cæterùm quoad similitudinem petitum à Corpore & Luce solari: confundit in ea turpiter Sadeel Lucem ipsam, Corpori solari ingenitam cum ejusdem effectu, nempè radiis sive lumine quod in terris hisce spargit. Usus fuit alioqui similitudine hac Justinus, eamq; ad hoc mysterium satis convenienter accommodavit, in hunc modum: *Antea fassus sum, me hujus veritatis manifestam cognitionem non posse mente comprehendere. Ac ne nunc quidem pœnitet hujus modestiæ, contentus dato nobis modulo. Conferamus autem Unionem cum ampla quadam imagine, decente magnificam ex patre nativitatem. Sit λόγος sicut prima illa lux condita primo die: Humanā verò naturam, cui unitur λόγος, esse cogita, sicut est Solaris lux: nec aliam lucem esse cogita Solem ab ea, quæ priùs condita fuit. Sed Sol est velut Corpus, in quo prior illa lux undique priùs diffusa, copulata est. Hæc lux jam in hoc tempore nobis efficit spacia dierum & noctium, & anni tempora. Nam si non esset illigata corpori, sed tota in toto aëre diffusa esset, non distingueret nobis tempora, nec tales haberet motus regulares, cùm sic se habeat lux ad Corpus solare, ut jam non divellantur prima lux & Sol: sed*

Iust. expos. fid. de rect. confess. p 301. 302.

unicus Sol dicatur Lux. Ita cogitas, postquam unitus est λόγος Corpori, non jam hoc divelli: sed ut unus est Sol, naturæ tamen duæ, altera lucis, altera Corporis Solaris: Sic unus est Christus, naturæ autem duæ, altera divina, altera nostra: & sua lucis est efficacia, quæ non actu, sed ratione & cogitatione discernitur à Corpore Solari: sic proprietates quoque cujuslibet naturæ manent discernendæ, quanquàm naturæ divelli non possunt. Hactenus Justinus, qui nùm nostram, an Adversarii confirmet sententiam, æquus lector judicet.

SADEEL.

Hoc loquendi genus, commodè est intelligendum, Humana natura assumta est à λόγῳ in unitatem personæ. *Nam si hoc loquendi genere intelligunt, Humanam naturam eò evectam esse, ut sit idem quod λόγος: non Orthodoxè sentiunt.*

Respondeo. Sapere videtur Sadeel: sed nimis serò. Nam DEI beneficio nostris etiam in Ecclesiis Catechumeni noverunt: Humanam naturam non esse idem, quod λόγος est. Et nisi calumniari maluisset Sadeel, quâm disputare: hoc etiam argumen-

gumentum silentio involvere potuisset. Novit enim phrasin istam nihil notare nobis aliud, quàm Humanam naturam ita esse assumtam à λόγῳ, ut jam unam cum eo constituat personam, duabus constantem naturis.

SADEEL.

Non sequitur: Si totus Christus est ubique: Ergo etiam secundum Humanitatem. Nam Totus Christus, non est idem, quod Totum Christi: quam distinctionem à doctis Theologis propositam, firmisq; rationibus subnixam, demiror cur isti (Ubiquitarii) *repudient. Quaero enim, An non totus Christus sit DEUS: item, an non totus Christus passus sit. Si negant, divellunt unitatem personae: Si fatentur: ipsi sibi respondent, &c.*

RESPONDEO. Miror & ego, cur Sadeel distinctionem hanc ab Orthodoxis patribus recte usurpatam & explicatam, in alium sensum cum patrum doctrinâ è diametro pugnantem, detorquere ausit. Neque enim Patres inter Totum Christum, & Totum Christi aliter distinxerunt, quàm ut Totus Christus, Personam duabus naturis constantem, denotaret: Quo sensu rectè dixit Augustinus, *Totus Christus*

August. Tractat. 3. in Joh.

crucifigebatur. Totum autem Christi, illas ipsas naturas, proprietatum essentialium ratione consideratas significaret: Quo sensu idem Augustinus rectè negavit. *Totum Christi esse crucifixum*. Confirmat hanc explicationem Damascenus quoque, qui lib. 3. Orth. fid. cap. 7. & 10. sic scribit: *Christus totus DEVS & perfectus est: sed non totum: non enim solùm DEVS est, sed & homo: & totus homo perfectus: non autem Totum Homo, sed & DEVS. Nam Totum est Naturæ repræsentativum, seu significativum: Totus autem ὑποστάσεως: Quemadmodum aliud Natura est, aliud verò ὑποστάσεως.*

At verò Sadeel & reliqui Sacramentarii totum Christum interpretantur de altera tantùm Natura: Totum concedentes Christum, hoc est, Divinam naturam: non verò Totum Christi, hoc est, utramque naturam esse ubique. Quam sanè explicationem nullo modo probare vel admittere possumus: Primum enim, sic fingeretur, Persona Christi ex divinâ solummodò natura constare: atque ita solveretur ipsa Unio Carnis cum λόγῳ. Deindè, ne ipsi quoque patres semper hanc distinctionem observarunt; quin Totum Christi dixerunt, ubi dicendum fuisset, Totus Christus: ut cùm

cùm Damascenus lib.3. Orth. fidei cap.8. inquit, προσκυνῶ χριστοῦ τὸ συναμφότερον: hoc est, Utrumque Christi adoro. Præterea hanc distinctionem universa ignorat Scriptura. Quæ ergò hæc foret servitus, si ad eam nos alligari permitteremus: præsertim cum Zuinglianam suam ἀλλοίωσιν, & Nestorianam hæresin sub eâ occultent Adversarii.

SADEEL.

Christus, inquiunt, non est totus sine Humanitate. Ergo si totus Christus est ubique, Humanitas igitur Christi est ubique. Fallax est hæc argumentatio in Unione personali, quoniam ad constituendam sanctißimam hanc Unionem non requiritur vel crassa compositio partium, vel situs, vel exterior quædam τάξις.

RESPONDEO. Rectè quidem: Sed tamen requiritur ἀδιάστατος Unio ipsarum Naturarum ad constitutionem totius personæ Christi: ita quidem ut ubi ubi est ipsa persona Christi: ibi duæ sint etiam naturæ ἀχωρίστως & ἀδιαστάτως unitæ. Et hic Rhodus hic saltus est: An videlicet Unio Hypostatica non dissolvatur, quando talis fingitur Naturarum διάστασις, ut Di-

vina natura sit ubique: Humana verò natura sit in uno tantum certo loco? Qualem sanè Personæ Christi, & sic ipsius Unionis Nestorianam dissolutionem constanter Sacramentariis objicimus, quamdiu Humanam naturam non ubique & in omnibus locis λόγῳ præsentissimè adesse, negaverint. Etsi enim ad constituendã hanc Humanæ naturæ Omnipræsentiam nõ requiritur vel crassa compositio partium, vel situs, vel exterior quædam ἕξις (quæ omnia libenter largimur: siquidem nulla à nobis etiam talis crassa fingitur Omnipræsentia) Interim tamen indissolubilis Personæ Unitas & Unio necessario requirit, ut ubi ubi λόγος est, ibi humana etiam adsit natura. Ratio: Quia λόγος solus non constituit post Unionem personam Christi. Quæro igitur ex Sadeele: Num λόγος, in infinitis illis locis, in quibus Humanitas ipsi præsens non adest, constituat personam Christi, nec ne? si affirmatè responderit, largiatur necessum est, vel Personam illam constare ex duabus naturis, & quidem ἀδιαστάτως indistanter junctis & unitis: vel constare tantum ex altera naturâ, Divinâ nimirum. Si prius illud affirmaverit; tùm dicta & evicta est causa nostra: siquidem vel nolens concedere necessum habebit, Huma-

Humanam naturã non tantùm ἀχωρίστως Inseparabiliter,(id quod sed Sophisticè largitur Adversarius:) sed etiã ἀδιαστάτως, instanter τῷ λόγῳ, ubiq; adesse: ita quidem, ut in infinitis illis locis omnibus, nullam, nullam prorsus creaturam sibi habeat præsentiorem, hâc Humanitate sua. Sin posteriùs hoc concesserit: tùm jam manifesta Unionis dissolutio, & Naturarum discerptio subsequetur.

Porrò Mendacẽ oportebat esse memorem. Nam si Unio nõ facta est, secundũ exteriorem quandã τάξιν, uti (& rectè quidẽ) hoc loco scribit Sadeel: Cur quæso supra contendere nõ dubitavit: Ideò Humanam naturam cum λόγῳ non constituendã esse Ubique: quia, si unum ex Unibilibꝰ sit majoris ambitus, & excedat alterum: tùm nõ necesse sit, ut ubi unum sit: ibi sit & alterum. Hoc enim argumentum externam quandam Unionis τάξιν, in ipsa Unione, constituere: nemo tàm obesæ erit naris, quin olfaciat.

SADEEL.

Vbiquitarii itentidem inculcant. modum Vnionis Personalis non esse Localem, nec in loco, neque localiter: & tamen ita disserunt, ac si Humana natura esset in λόγῳ, tanquàm in vase: & iccir-

& iccirco necesse sit, ut Vbicunque sit λόγος, ibi quoque sit Humana natura, quam dicunt esse in λόγῳ: & ideo urgent Particulam IN.

RESPONDEO. Calumniam de Vase non moror. Ad rem ipsam respondeo, Si Sadeel & complices personalem carnis in ipsummet λόγον assumtionem in cordibus suis crederent: tùm de particula IN: imò de tota phrasi, Humanitas est assumta in λόγον, litem nunquàm movissent. Sed sic ἐπαυτοφόρῳ deprehenduntur, de unione hac frigidissimè in cordibus suis sentire.

Edisserant enim nobis: Quando Apostolus dicit, 2. Cor. 5, 19. *Deus fuit IN Christo*? & quando Johannes scribit. 1. cap. 4, 2. *Iesus Christus venit IN carne*: & rursum Paul. 1. Tim. 3, 16. *Deus manifestatus est in Carne*: nùm Localem aliquam inclusionem Spiritus Sanctus innuere voluerit? Negabunt opinor: & rectè quidem. Quod verò hoc malum fuerit, nobis, eadem particulâ IN, ijsdemque phrasibus, & quidem eodem sensu ac modo, quo Spiritus sanctus eas intelligit, utentibus mox crassas & absurdas opiniones, ac si Humana Natura esset in λόγῳ, tanquam in vase, affingere? Sed bene habet: Calumnientur quamdiu velint.

velint: pii verò qui sunt, & veritatis studiosi, facilè animadvertent, nos scripturarum sequi vestigia longè tutissima. Quid quod Orthodoxa Antiquitas frequentissimè ijsdem phrasibus est usa: ut cùm Athanasius scribit in Symbolo suo: *Verbum Caro factum est, non Conversione Deitatis in Carnem: sed assumtione Humanitatis IN Deum.*

Sic Irenæus lib. 4. cap. 79. scribit: *Quomodo Homo transiret IN DEUM: si non DEUS IN Hominem.*

Quo etiam spectat περιχώρησις illa Patrum scriptis celebrata, qua naturas in Christo dicunt sine conversione περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις, id est, in se mutuò quasi immigrare & permeare.

Sic Nazianzenus *Naturam nostram assumtam esse scribit* εἰς θεὸν *IN DEUM.*

Et Fulgentius, lib. 1. ad Trasimundum: *Idem Deus totam IN SE suscepit naturam hominis.*

Et Vigilius, lib. 1. contra Eutychen. *Carnis natura per suscipientis commixtionem IN verbi personam transijt.*

Quæ sanè phrases nihil ostendunt aliud, quàm τοῦ λόγου hypostasin esse divinum illum terminum, in quem reali

Unio-

Unione & exaltatione supra & extra omnes creaturas evecta sit assumta Humanitas.

Quæ subjicit Sadeel de æquivocatione verbi EST: mox ab initio hujus capitis sunt discussa. Et mirum est, cur Sadeel, qui alioqui subtilis vult videri Disputator, toties rem unam eandemque non sine tædio Lectoris repetere voluerit.

SADEEL.

Sic ex legibus disserendi (quæ propriè non patiuntur affirmationem nasci ex negatione) dicendum fuerat: Si totus Christus non est sine humanitate, & totus Christus est Ubique: Ergo totus Christus non est Ubique, sine humanitate: quod quidem si rectè intelligatur, verùm erit: quia in Christo ὁ λόγος nunquàm deserit Humanitatem: Sed ὁ λόγος, qui ubique est totus, semper & ubique est, Humanam Naturam sustentans, quæ est alicubi circumscripta.

Respondeo. 1. Ex legibus disserendi phrases & locutiones, quibus hoc in mysterio utamur, mutuandas esse, prorsus est absonum, & μεταβατικὸν εἰς ἄλλο γένος. Mysterium hoc totum Aristoteli & Philosophiæ universæ ex omni parte est

te est ignotum: Quo ergo pacto ex legibus disserendi phrases & locutiones explicantes hoc mysteriam, peti possent ac deberent? Bardè, stolidè, impiè.

2. Absurdam plane Logicam didicerit Sadeel necesse est, ut qui hoc loco affirmat, *Leges disserendi non pati affirmationem nasci ex Negatione.* Axioma Logicum hactenus fuit de Adversis sive Contrariis *ἀμέσοις* Immediatis: Vno ipsorum negato: affirmari alterum: ut Exempli gratia, negatâ sanitate; affirmatur morbus: negato humido, affirmatur siccum: & quidem necessario: quia Tertium dari nequit. Sed justo fit DEI judicio, ut Homines illi cum vero usu artis disserendi perdant & corrumpant ipsa quoque disserendi præcepta.

3. Veterem illam Sophisticationem repetit, quâ vitiosissimè distinguit inter Totum Christum: & Totum Christi. Cujus distinctionis insidias, quas hoc loco restaurat Sadeel, paulò antè deteximus.

4. Nova sophismata nectit, in Phrasibus: non sine humanitate, non sine Divinitate. Quarum phrasium æquivoca-

vocatio probè est evolvenda. Vel enim notant id, quod nos sentimus & docemus: nempè, Humanam naturam nunquam esse sine divinitate λόγου: & vicissim λόγον nunquam esse sine Humanitate: hoc est, semper & ubique manere duas illas naturas personaliter Unitas: ita quidem ut phrasibus istis nihil notetur aliud, quàm indissolubilis Unio duarum naturarum in Christo. Qua priore significatione, Usus istarum phrasium est reciprocus: ut videlicet. tàm affirmare liceat, Humanitatem non esse sine Deitate λόγου: quàm affirmare licet, λόγον non esse sine Humânitate assumta. Ratio. Quia hæc prior phrasεωn significatio, respicit Unicè, Naturarum in Christo Unionem.

Deindè vero phrases istæ possunt intelligi de Effectu Unionis, nempè Communicatione Idiomatum: ut dicere possim: λόγος non est Omnipotens sine Humanitate sua: λόγος non est Omnipræsens sine humanitate sua &c. Ubi phrases istæ non sensu Sadeeliano, per ἀλλοίωσιν, sunt intelligendæ, ac si nihil vellent aliud: quàm λόγον, qui est Omnipræsens & Omnipotens; non esse sine sua Humanitate, quam assumsit: sed manere cum

illà,

Digitized by Google

illâ, unitum: Interim tamen illam ipsam Humanitatem, neq; esse Omnipotentem, neque Omnipræsentem. Quæ explicatio modis omnibus est vitanda, & genti Sacramentariæ tanquàm propria ac nativa remittenda. Verùm Orthodoxus ac genuinus sensus istarum phrasium, ex doctrina de Reali Communicatione Idiomatum resultat: nempè: λόγος non est Omnipotens sine Humanitate sua: λόγος non est Omnipræsens sine Humanitate sua: hoc est: λόγος non respectu solius divinæ suæ naturæ est Omnipotens & Omnipræsens: sed & respectu assumtæ Humanitatis suæ, cum quâ Omnipotentiam & Omnipræsentiam hanc suam verè ac realiter communicavit. Quæ sanè explicatio Orthodoxa est, & cum mysterio Unionis concordat.

Sed, infert Sadeel, *Ergo pari ratione dicere possum, Christus non est sine Deitate: & Christus resurrexit: Ergo Deitas Resurrexit.*

Respondeo. Error παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nam in posteriore explicatione istarum phrasium, de quâ jam diximus, Reciprocatio locum non habet. Ratio. Quia ipsa Communicatio Idiomatum, quæ per phrases istas notatur, non est reciproca. λόγος enim sua Idiomata assumtę humanitati

manitati communicavit: Non verò Natura Humana sua vicissim communicavit Deitati, uti supra pag. 445. & seqq. accuratè hoc fuit ostensum. Proindè non licet dicere, Christus non sine Deitate sua resurrexit (quoad posteriorem hunc respectum sive explicationem) quemadmodum dicere fas est, Christus non sine Humanitate sua est Omnipræsens.

II. SYLLOGISMVS primæ Objectionis Vbiquitariorum.

Quicquid cum λόγῳ personaliter conjunctum est: illud Vbique cum verbo personaliter præsens est.

RESPONSIO SADEELIS.

Hæc propositio stare non potest. Primus error in vocabulo PERSONALITER.

RESPONDEO. Repetit Sadeel omnia ea Sophismata, quæ supra Distinctione septima proposuerat: Ubi cum sufficientissimè plæraque sint refutata, quid opus est hoc loco illa repetere?

Sic quoad errorem tertium, quo principium à nobis peti contendit, non certè nostrum

nostram impugnat sententiam: sed ejusmodi statum, qui à nobis nunquàm est formatus. Neque enim ad quæstionem illam, quâ quærit Sadeel, *Quare Humana Natura Personaliter cum verbo unita, sit ubique præsens?* Nos (uti Sadeel cavillatur) respondemus in hunc modum: Quia Humana natura personaliter cum verbo conjuncta est: Sed: Quia Humana natura per Unionem personalem assumta est, non in locum aliquem, sed *IN*, imò *INTRA* illocalem verbi hypostasin, ubi, præter & omnem loci & localitatis respectum (hypostasis enim τȣ̃ λόγȣ loca & locorum διαστήματα omnia respuit) personaliter subsistit. Quod verùm sit petere principium, judicet qui velit. Sed nimirùm inani verborum strepitu sic Lectori oculos perstringere voluit, ut tantò minùs videri posit, quid & quibus rationibus ex nostra parte pugnetur?

SADEEL.

Cùm ita dicendum esset ex legibus rectè disserendi: Ergo assumta Natura ubique cum verbo personaliter præsens est: sic efferunt: Ergo ubicunque verbum adest, ibi personaliter secum etiam assumtam naturam præsentem habet.

RESPONDEO. Et quidem meritò ſic loquuntur, docent ac credunt Ubiquitarii. Nam Ubicunque λόγος adeſt: ibi (dum modò perſonaliter adeſſe credendus) aſſumtam Humanitatem ſibi habet præſentiſſimam. Nam niſi haberet ſibi illam præſentiſſimam in omnibus locis, tùm in locis illis, ubi non adeſt Humanitas aſſumta, non adeſſet totus Chriſtus ſecundum utramque naturam: ſed pars duntaxat perſonæ Chriſti: nempè Natura divina. Quo pacto Unio non eſſet amplius ἀδιάστατος & ἀχώριστος. Nam ut talis ſit, non illud duntaxat requiritur: ut aliquo ſive uno in loco, ὑπόστασις λόγου ſibi habeat unitam humanitatem: in reliquis verò locis infinitis non habeat præſentem: ſic enim ὑπόστασις λόγου non ὁλικῶς eſſet incarnata: ſic λόγου ὑπόστασις ſtatueretur habere partem extra partem: Sic denique Naturarum Unio nō Ubique, (ubi λόγος eſt) ſecundum utriusque Naturæ præſentiam, eſſet ἀδιάστατος. Cæterùm illud cumprimis ad Unitatem perſonæ Chriſti, & ἀδιάστατον Naturarum Unionem requiritur, ut ubi eſt Chriſtus, ibi ambæ Naturæ perſonaliter & ἀδιαστάτως unitę ſimul ſint præſentiſſimæ.

De par-

De particula, *Vbicunque*, jam antè responsum.

SADEEL.

Quæ porrò subjicit Sadeel: ea hunc sensum habent: *Non opus est, ad indissolubilem Naturarum constituendam Vnionem, ut Vna Natura sit, ubicunque est altera: sed sufficit ut tantùm alicubi sint. Nam si nusquàm simul essent, tùm verè inter se distarent.* Hæc est, quantum judicare possum, prolixæ illius λογομαχίας sententia.

Respondeo. Error geminus committitur: Unus petitionis principii: Alter Ignorationis Elenchi. Hoc enim ipsum in quæstione est, quo probationis loco utitur Sadeel: An videlicet Unio Inseparabilis & Indistans sive ἀδιάστατος hoc solummodò requirat, ut alicubi simul duæ Naturæ sint præsentissimè unitæ, & sibi mutuò adsint: reliquis verò in locis omnibus non item. Diversum hactenus, & cumprimis supra pag. 50. & seqq. ad oculum demonstratum fuit: idque hoc potissimùm argumento: Quia Natura assumens est Infinita, neque habet partes extra partes. Quia igitur non cum parte λόγου, quam nullam habet: sed

cum toto λόγῳ ὁλικῶς unita eſt natura aſſumta: ideò locus aut ſpacium nullum dari poteſt, in quo unio illa non ſit, & in quo aſſumta Natura, Aſſumenti propter ipſam unionem non ſit præſentiſsima.

Deindè etiam Ignoratio Elenchi committitur, quia non illa tantùm inter ſe verè diſtant, quæ nuſquâm ſimul ſunt: ſed ea quoque, quæ alicubi ſunt ſimul, alicubi verò non. Etſi enim non diſtant ea ratione, quâ alicubi ſunt ſimul: diſtant tamen ſpaciis cæteris omnibus, quibus non ſunt ſimul.

De Similitudine Animæ quam hoc loco imperfectè & Sophiſticè pertractat & explicat Sadeel, videbimus infra Objectione VI.

III. SYLLOGISMVS primæ Obiectionis Vbiquitariorum.

Perſona verbi in quam Caro Chriſti aſſumta eſt, ad ſui exiſtentiam nec loco eget, nec tempore. Ergo quia caro Chriſti non alibi quàm in hac ipſa hypoſtaſi perſonaliter ſubſiſtit, hac ratione & reſpectu, ipſa quoque caro verbi extra & ſupra locum omnem erit in hypoſtaſi verbi.

S a.

Digitized by Google

SADEEL.

Primus error hujus Syllogismi est ἄγνοια ἐλέγχου. Nam quæritur inter nos, An Caro Christi sit Omnipræsens: illi verò traducunt sermonem à Præsentia ad subsistentiam.

RESPONDEO. Annè verò errorem huic Collectioni subesse putas, quando ex modo subsistentiæ colligitur ad modum præsentiæ? Annè oblitus es Sadeel illius tuæ regulæ, quam supra nobis prescripsisti his verbis. *Causa subsistentiæ est etiam causa existentiæ, & Realis præsentiæ*, pag. 148. b. Editionis majoris. Edissere quæso. Undè nám igitur præsentiæ modum definiri posse censeas, nisi ex modo subsistentiæ. Et profectò citiùs allatrare, quàm dissolvere poterit hanc collectionem Sadeel.

Nam quòd in subsidium misellus vocat illud: *Nemo ex Patronis Vbiquitatis unquàm dixit: Carnem Christi esse Omnisubsistentem?* RESPONDEO. Neque unquam de hoc termino lis fuit mota Orthodoxis. Et sanè si sano sensu hæc phrasis accipiatur, non abhorremus ab ea: nempè ut dicamus, Carnem Christi ubique subsistere in ὑποστάσει τοῦ λόγου, & nullibi extra eam, quia est ἀνυπόστατος: ac proindè, eam esse in hac ipsa ὑποστάσει τοῦ λόγου Omnisubsistentem.

SADEEL.

Quin etiam si subsistentia præsentiam significaret, incideret nihilominus in ipsam ἄγνοιαν ἐλέγχου. Cùm enim disceptemus de reali præsentia carnis Christi, respectu nostri: Illi disserunt de præsentia carnis Christi, respectu Personæ Verbi, in qua subsistit. Hæ verò præsentiæ longißimo intervallo inter se differunt.

RESPONDEO. Differunt quidem: sed non Contradictorie sunt opposita: sed ὑπαλλήλως potiùs subordinatæ: usque adeò, ut præsentia illa personalis, carnis Christi respectu λόγου, necessariò præsupponat Universalem illam in persona Christi præsentiam, respectu creaturarum. Nisi enim cum λόγῳ personaliter esset unita caro hæc: certè non posset personaliter ubique omnibus adesse creaturis. Quanquàm distinguendum hic probè inter statum Exinanitionis & Exaltationis, eo modo quo supra ostensum. In statu enim Exinanitionis adfuit quidem ubique Caro Christi præsentissimè λόγῳ: sed non adfuit secundum plenariam illam usurpationem communicatæ Majestatis divinæ, & gubernationis respectu creaturarum: Quo modo nunc in statu Exaltationis ipsam adesse novimus & credimus.

De

De reliquis erroribus, quos huic nostro argumento affingit Sadeel, non est ut pluribus agamus, Nam ea duntaxat repetit, quæ hactenùs aliquoties sunt discussa. Ostensum enim per Omnipræsentiam Carnis Christi non tolli proprietates ejusdem naturales: pag. 325. 391. 425. &c. Ostensum multoties, quo sensu Caro dicatur assumta in Personam verbi: Ostensum quomodo una eademquè Caro Christi posit esse imò fuerit in Loco & Tempore, & quo modo simul verè substiterit in hypostasi τῦ λόγυ extra omnem locum, extra omne Tempus: & tamen nihilominus verè in certo loco, ac certo tempore concipi, nasci, pati, mori potuerit. pag. 241. 286. & seqq. 247. 304. 325.

Notetur autem quasi παρεφυαδικῶς rursum Calvinistarum aliquod axioma, quod tale est: *Ex decreto DEI, Caro non alibi assumi, nec initium subsistendi habere potuit, quàm in utero virginis.* Siccinè ergo Terminus assumtionis & subsistentiæ Humanæ Naturæ fuit Uterus Virginis? Si hoc: Certè non assumta ea fuit in ipsam ὑπόστασιν τῦ λόγυ: neque amplius subsistet in ὑποστάσει τῦ λόγυ: Ratio: Quia ubi semel initium suæ subsistentiæ habere ce-

pit: ibi in æternum ſubſiſtet: ſiquidem Unio eſt ἀχώριςος.

Videt nimirùm quiſque, qui non planè Cæcus eſt, Sadeelem & complices, Humanæ naturæ Chriſti nullum alium largiri ſubſiſtentiæ modum, quàm Naturalem, ſecundum quem in utero Mariæ jacuit: ac proindè terminum ex quo impiè permiſcere cum Termino In, ſive intra Quem: imò hunc potiùs Terminum (in quem) penitùs negare.

Porrò ſupra etiam pag. 229. & ſeqq. oſtenſum, quæ cauſa ſit, ob quam non liceat de Humana Natura Chriſti quidvis prædicare, & eam appellare vel æternam, vel Infinitam vel increatam: quia nimirùm, etſi tota plenitudo Divinitatis in aſſumta carne habitat σωματικῶς: & Idiomata divina omnia intra ὀυσίαν λόγȣ ſunt quiddã ſimpliciſſimum ταυτὸ: tamen reſpectu aſſumtæ Humanitatis non pariter omnia agunt, ac proindè etiam non pariter omnia de ea prædicari poſſunt: ſed quædam Immediatè; quæ nimirùm certam ἐνέργειαν per eam exerunt: reliqua verò Mediatè: quatenùs nimirùm Idiomata illa ἐνεργητικὰ ſunt æterna Idiomata. Conſulat Lector locum jam citatum: Unde ſufficientiſſima patebit Refutatio.

Sic

Sic illud (*Genitum esse ab æterno,*) proprium constituit characterem, & quidem internum τῦ λόγυ: quo à patre & filio personaliter distat: & ratione cujus characteristicę proprietatis nunquàm foràs λόγ☉ progreditur, neq; quoad assumtam humanitatem: neque quoad alias creaturas. Interim tamen unio hæc hypostatica facit, ut vere dicere possim, secundum primum Communicationis Idiomatum Gradum: Hic Mariæ filius est ab æterno genitus à patre: ob unitatem personæ.

Deindè Syllogismus Sadeelis fallit confusione plurium distinctarum quæstionum: & πλεονεξία Terminorum. Sic enim ille: *Caro subsistit in verbo. At verò verbum genitum est ab æterno. Ergo Caro genita est ab æterno.* Hìc palàm est, in præmissis commisceri quæstiones de præsentia & Essentiâ: atque sic fallaciam committi secundum plures interrogationes. Major enim quærit de præsentia sive subsistentia carnis in verbo: Minor verò quærit de Essentia, quid sit verbum. Distrahitur ergò connexio Terminorum, ut puerilis, vel certè Sophisticus hinc emergat Syllogismus quatuor terminorum.

Syllo-

Digitized by Google

Syllogiſmus Sadeclis δεικτικός.

Nihil, quod cum Verbo perſonaliter conjunctum eſt: & eſt huius Naturæ, ut ſit Circumſcriptum, propriaſq; habeat dimenſiones, ubique cum Verbo vel Naturaliter, vel Perſonaliter præſens Realiter & Actu eſſe poteſt. Humana Natura talis eſt. Ergo.

RESPONDEO ad Majorem per diſtinctionem: Nihil, quod cum verbo Perſonaliter conjunctum eſt: & eſt ejus Naturæ, ut ſit circumſcriptum, propriaſq; habeat dimenſiones, ubique cum verbo præſens eſſe poteſt: quatenus illud ſecundum hanc ſuam conditionem Naturalem & Circumſcriptivam conſideratur. Quo ſanè reſpectu neque Humanam Naturam Chriſti cum λόγῳ unitam: neque cum eodem ubique adeſſe, credimus.

Quandò verò Major propoſitio conſiderat Humanam Naturam non ampliùs ſecundum Naturalem hanc ſuam conditionem: ſed ſecundum perſonalem ſubſiſtentiam: Tùm Major eſt falſiſsima. Nam quæ de Circumſcriptione, de proprietatibus naturalibus, de dimenſionibus Corporis, probationis loco affert *Sadeel*: ea faciunt duntaxat ad definiendam

Natu-

Naturalem præsentiam Corporis Christi, ratione cujus illud hisce in terris verè fuit in loco, & iam verè est in aliquo πȣ̃ cœlesti. Quæ Naturalis præsentia non tollit personalem ejusdem Corporis Omnipræsentiam: Quia hæc non Contradictoriè ei est opposita: Sed ὑπαλλήλως subordinata. Naturalis enim dependet ex propria Naturæ conditione: Personalis verò ex subsistentia Corporis Christi in illocali hypostasi verbi. Cujus nostræ sententiæ fundamenta prorsus ἄλυτα supra proposuimus pag. 50. & seqq. & ostendimus: quamdiu personalem hanc Corporis Christi Omnipræsentiam Adversarii negant: tamdiu etiam illos negare, subruere & evertere ipsam Unionem Personalem.

Nunc utrique Syllogismo & φαινομαίνῳ illi ἀπαγωγικῷ εἰς ἀδύνατον: & δεικτικῷ huic, opponimus Unicum hunc Syllogismum, sed firmum, sat immotum: quippè ex Natura ipsius Unionis petitum.

Quicquid assumtum non in locum aliquem sed in ipsam usque illocalem Filii DEI hypostasin, ubi omnis loci & localitatis cogitatio exspirat: inque ea verè realiterque subsistit: Illud eâ ipsâ assumtione evectum est ac subsistit supra, extra & ultra omnem locum. Iam

Iam verò Humana natura Christi assumta est per Unionem non in locum aliquem: Sed in ipsam hypostasin Filii DEI, ubi omnis loci & localitatis cogitatio expirat: inque eâ (illocali hypostasi Filii) verè realiterque subsistit.

Ergò Humana natura Christi hac ipsâ assumtione evecta est ac subsistit supra, extra, & ultra omnem locum.

Fundamenta probationum pete ex loco jam modò citato: adversus quæ, nùm quicquàm porrò proferre valeat gens Sacramentaria, videbimus.

OBIECTIO II.

Hoc enunciatum de Christo: Hic homo est DEUS, significat Filium DEI esse hominem actu primo, non secundo. Ergo, quemadmodum Filius DEI est Omnipræsens, ita ejus Corpus est Omnipræsens.

RESPONSIO SADEELIS.

Omnia vitiosa: Primùm enim sic dicendum fuerit: Hoc enunciatum de Christo. Hic Homo est DEUS, significat Christum actu primo non tantùm esse Hominem, sed etiam DEUM, ut illud de persona intelligatur. Alioqui si λόγος æternus DEI Filius esset Homo actu primo, & Actus ille primus dicatur respectu λόγου: certè Humana Christi natura esset æterna. ἀδύνατον.

RE-

RESPONDEO. 1. Hæc forma argumentationis, prout à Sadeele concepta, nostra non est: ac proindè non caret insidiis, uti ostendemus.

2. Sugillat Adversarius D. Lutherum nostrum, qui hæreticam quorundam fanaticorum interpretationem, quoad enunciatum hoc (*Hic homo est DEVS*,) hunc in modum redarguit in Epistola quadam de Transubstantiatione: *Sic etiam hanc falsam philosophiā in articulum Incarnationis introduxerunt. Vt quando dico: Hic Homo est Deus, hic puer seu Filius Mariæ est creator Mundi: vel hic est filius meus dilectus: has propositiones non retinent, sicut sonant: quòd DEVS & Homo, Filius Mariæ & Creator Mundi Vnum sint.* (Unum scilicet personale, non Essentiale) *Sed sic docent, &, ut ipsis videtur, longè melius: Homo est DEVS; id est Filius DEI SVSTENTANS HVMANAM NATVRAM, est DEVS. Quia necesse sit subiectum & prædicatum pro eodē supponere. Hic Filius DEI sustentans Humanam naturam in pueritia sua, est Creator Mundi: Et hoc quidem egregie dictum illis videtur.*

Et post pauca. *Quia verò Humanitas Christi nota est & præsens, ideò declinant illi* (*Sophistæ*) *hæc vocabula: Hic Homo, hic puer, &c. per hanc additionem, sustentans Humanam Naturam. Quæ adeò inepta est Oratio, quam nemo*

nemo neque docere, neque eloqui potest, & minimè Christiana: Quia negat[1] Filium D*EI* esse Hominem, actu primo: sed fingit eum sustentare Humanam naturam, velut actu secundo: *Quod est hæreticissimè dictum. Eiusmodi portenta docuerunt, qui nunc nos in hæreticorum numerum redigere conantur.* Hactenus Lutherus.

Hoc ipsum hoc loco sentit Sadeel per omnia, quanquàm non audet palàm proferre, quod sub pectore clausum fovet. Quemadmodum enim hactenus propositionem hanc, Hic Homo est Omnipræsens, sic exponit: λόγος *qui sustentat hunc Hominem, est Omnipræsens:* Ita in præsente hac propositione, Hic Homo est D*EVS*, à subjecto propositionis, quod est, (Homo) Naturam humanam tacitè secludit: & eam sic intelligit: Filius Dei sustentans humanam naturam est Deus. Quæ sanè explicatio Nestorianismum plenis velis in Ecclesiæ theatrum ducit.

Nam, quòd assumtus ille Homo, *JESVS CHRISTVS*, Mariæ Filius, propter realem Naturarum *κοινωνίαν*, verè sit D*EVS*, eò quòd Humana ejus Natura (ob quam est, & dicitur Homo) revera

revera Deitatis verbi particeps evasit: nemo negaverit, nisi qui ipsam unionem personalē; & sic Personæ unitatem negare ausus fuerit. Etsi enim Humana natura in Deitatis naturam non est conversa: ideoq; nec simpliciter DEVS appellari debet: tamen ex unione personaliter particeps facta est Deitatis λόγου, & per sessionem ad dextram potentiæ DEI evecta in plenissimum divinæ gloriæ usum, ut sit altissimo DEO σύνθρονος, quemadmodum Patres locuti sunt, & omni, etiam Angelicæ creaturæ adorabilis. Quam ob causam non verentur Patres Naturam assumtam pio sensu dicere Deificatam, ὁμόθεον. (Absit autem Eutychianum & Schwenkfeldianum delirium) vide plura suprà pag. *237.* & seqq.

Et edisserat quæso Sadeel, num Angelus dicens ad Mariam, Luc. *1, 35. Id quod ex te nascetur, Sanctum, Filius DEI vocabitur*: num inquàm ab hoc nomine Filii DEI excludat assumtam Carnem? Affirmatè si responderit: Consequens erit, non carnem humanam: sed solam divinitatem natam esse ex Maria virgine. Siquidem Angelus disertè dicit: *Quod ex te nascitur, Filius DEI vocabitur.* Evincit proinde verborum vis & Emphasis, illam Naturam ab hac appellatione

Digitized by Google

SADEEL.

Quin etiam si subsistentia præsentiam significaret, incideret nihilominùs in ipsam ἄγνοιαν ἐλέγχου. Cùm enim disceptemus de reali præsentia carnis Christi, respectu nostri: Illi disserunt de præsentia carnis Christi, respectu Personæ Verbi, in qua subsistit. Hæ verò præsentiæ longißimo intervallo inter se differunt.

RESPONDEO. Differunt quidem: sed non Contradictorie sunt opposita: sed ὑπαλλήλως potiùs subordinatæ: usque adeò, ut præsentia illa personalis, carnis Christi respectu λόγου, necessariò præsupponat Universalem illam in persona Christi præsentiam, respectu creaturarum. Nisi enim cum λόγῳ personaliter esset unita caro hæc: certè non posset personaliter ubique omnibus adesse creaturis. Quanquàm distinguendum hic probè inter statum Exinanitionis & Exaltationis, eo modo quo supra ostensum. In statu enim Exinanitionis adfuit quidem ubique Caro Christi præsentissimè λόγῳ: sed non adfuit secundum plenariam illam usurpationem communicatæ Majestatis divinæ, & gubernationis respectu creaturarum: Quo modo nunc in statu Exaltationis ipsam adesse novimus & credimus.

De

Digitized by Google

De reliquis erroribus, quos huic nostro argumento affingit Sadeel, non est ut pluribus agamus. Nam ea duntaxat repetit, quæ hactenùs aliquoties sunt discussa. Ostensum enim per Omnipræsentiam Carnis Christi non tolli proprietates ejusdem naturales: pag. 325. 391. 425. &c. Ostensum multoties, quo sensu Caro dicatur assumta in Personam verbi: Ostensum quomodo una eademque Caro Christi possit esse imò fuerit in Loco & Tempore, & quo modo simul verè subsiterit in hypostasi τοῦ λόγου extra omnem locum, extra omne Tempus: & tamen nihilominus verè in certo loco, ac certo tempore concipi, nasci, pati, mori potuerit. pag. 241. 286. & seqq. 247. 304. 325.

Notetur autem quasi παρεμφατικῶς rursum Calvinistarum aliquod axioma, quod tale est: *Ex decreto DEI, Caro non alibi assumi, nec initium subsistendi habere potuit, quàm in utero virginis.* Siccinè ergo Terminus assumtionis & subsistentiæ Humanæ Naturæ fuit Uterus Virginis? Si hoc: Certè non assumta ea fuit in ipsam ὑπόστασιν τοῦ λόγου: neque amplius subsistet in ὑποστάσει τοῦ λόγου: Ratio: Quia ubi semel initium suæ subsistentiæ habere ce-

pit: ibi in æternum ſubſiſtet: ſiquidem Unio eſt ἀχώριςος.

Videt nimirùm quiſque, qui non planè Cæcus eſt, Sadeelem & complices, Humanæ naturæ Chriſti nullum alium largiri ſubſiſtentiæ modum, quàm Naturalem, ſecundum quem in utero Mariæ jacuit: ac proindè terminum ex quo impiè permiſcere cum Termino In, ſive intra Quem: imò hunc potiùs Terminum (in quem) penitùs negare.

Porrò ſupra etiam pag. 229. & ſeqq. oſtenſum, quæ cauſa ſit, ob quam non liceat de Humana Natura Chriſti quidvis prædicare, & eam appellare vel æternam, vel Infinitam vel increatam: quia nimirùm, etſi tota plenitudo Divinitatis in aſſumta carne habitat σωματικῶς: & Idiomata divina omnia intra ȣσίαν λόγȣ ſunt quiddã ſimpliciſſimum ταυτὸ: tamen reſpectu aſſumtæ Humanitatis non pariter omnia agunt, ac proindè etiam non pariter omnia de ea prædicari poſſunt: ſed quædam Immediatè; quæ nimirùm certam ἐνέργειαν per eam exerunt: reliqua verò Mediatè: quatenùs nimirùm Idiomata illa ἐνεργητικὰ ſunt æterna Idiomata. Conſulat Lector locum jam citatum: Unde ſufficientiſſima parebit Refutatio.

Sic

Sic illud (*Genitum esse ab æterno,*) proprium constituit characterem, & quidem internum τῦ λόγυ: quo à patre & filio personaliter distat: & ratione cujus characteristicę proprietatis nunquàm forás λόγος progreditur, neq; quoad assumtam humanitatem: neque quoad alias creaturas. Interim tamen unio hæc hypostatica facit, ut vere dicere possim, secundum primum Communicationis Idiomatum Gradum: Hic Mariæ filius est ab æterno genitus à patre: ob unitatem personæ.

Deindè Syllogismus Sadeelis fallit confusione plurium distinctarum quæstionum: & πλεονεξία Terminorum. Sic enim ille: *Caro subsistit in verbo. At verò verbum genitum est ab æterno. Ergo Caro genita est ab æterno.* Hìc palàm est, in præmissis commisceri quæstiones de præsentia & Essentiâ: atque sic fallaciam committi secundum plures interrogationes. Major enim quærit de præsentia sive subsistentia carnis in verbo: Minor verò quærit de Essentia, quid sit verbum. Distrahitur ergò connexio Terminorum, ut puerilis, vel certè Sophisticus hinc emergat Syllogismus quatuor terminorum.

Syllo-

Syllogismus Sadeclis δεικτικός.

Nihil, quod cum Verbo personaliter conjunctum est: & est huius Naturæ, ut sit Circumscriptum, propriasq́ habeat dimensiones, ubique cum Verbo vel Naturaliter, vel Personaliter præsens Realiter & Actu esse potest.
Humana Natura talis est. Ergo.

RESPONDEO ad Majorem per distinctionem: Nihil, quod cum verbo Personaliter conjunctum est: & est ejus Naturæ, ut sit circumscriptum, propriasq; habeat dimensiones, ubique cum verbo præsens esse potest: quatenus illud secundum hanc suam conditionem Naturalem & Circumscriptivam consideratur. Quo sanè respectu neque Humanam Naturam Christi cum λόγῳ unitam: neque cum eodem ubique adesse, credimus.

Quandò verò Major propositio considerat Humanam Naturam non amplius secundum Naturalem hanc suam conditionem: sed secundum personalem subsistentiam: Tùm Major est falsissima. Nam quæ de Circumscriptione, de proprietatibus naturalibus, de dimensionibus Corporis, probationis loco affert *Sadeel*: ea faciunt duntaxat ad definiendam Natu-

Naturalem præſentiam Corporis Chriſti, ratione cujus illud hiſce in terris verè fuit in loco, & iam verè eſt in aliquo πȣ̃ cœleſti. Quæ Naturalis præſentia non tollit perſonalem ejuſdem Corporis Omnipræſentiam: Quia hæc non Contradictoriè ei eſt oppoſita: Sed ὑπαλλήλως ſubordinata. Naturalis enim dependet ex propria Naturæ conditione: Perſonalis verò ex ſubſiſtentia Corporis Chriſti in illocali hypoſtaſi verbi. Cujus noſtræ ſententiæ fundamenta prorſus ἄλυτα ſupra propoſuimus pag. 50. & ſeqq. & oſtendimus: quamdiu perſonalem hanc Corporis Chriſti Omnipræſentiam Adverſarii negant: tamdiu etiam illos negare, ſubruere & evertere ipſam Unionem Perſonalem.

Nunc utrique Syllogiſmo & φαινομαίνῳ illi ἀπαγωγικῷ εἰς ἀδύνατον: & δεικτικῷ huic, opponimus Unicum hunc Syllogiſmum, ſed firmum, ſat immotum: quippè ex Natura ipſius Unionis petitum.

Quicquid aſſumtum non in locum aliquem ſed in ipſam uſque illocalem Filii DEI hypoſtaſin, ubi omnis loci & localitatis cogitatio exſpirat: inq; ea verè realiterq; ſubſiſtit: Illud eâ ipsâ aſſumtione evectum eſt ac ſubſiſtit ſupra, extra & ultra omnem locum. Iam

Iam verò Humana natura Christi assumta est per Vnionem non in locum aliquem: Sed in ipsam hypostasin Filii DEI, ubi omnis loci & localitatis cogitatio expirat: inq; eâ (illocali hypostasi Filii) verè realiterq; subsistit.

Ergò Humana natura Christi hac ipsâ assumtione evecta est ac subsistit supra, extra, & ultra omnem locum.

Fundamenta probationum pete ex loco jam modò citato: adversus quæ, nùm quicquàm porrò proferre valeat gens Sacramentaria, videbimus.

OBIECTIO II.

Hoc enunciatum de Christo: Hic homo est DEVS, significat Filium DEI esse hominem actu primo, non secundo. Ergo, quemadmodum Filius DEI est Omnipræsens, ita ejus Corpus est Omnipræsens.

RESPONSIO SADEELIS.

Omnia vitiosa: Primùm enim sic dicendum fuerit: Hoc enunciatum de Christo. Hic Homo est DEVS, significat Christum actu primo non tantùm esse Hominem, sed etiam DEVM, ut illud de persona intelligatur. Alioqui si λόγος æternus DEI Filius esset Homo actu primo, & Actus ille primus dicatur respectu λόγου: certè Humana Christi natura esset æterna. ἀδύνατον.

RE-

RESPONDEO. 1. Hæc forma argumentationis, prout à Sadeele concepta, nostra non est: ac proindè non caret insidiis, uti ostendemus.

2. Sugillat Adversarius D. Lutherum nostrum, qui hæreticam quorundam fanaticorum interpretationem, quoad enunciatum hoc (*Hic homo est DEVS*,) hunc in modum redarguit in Epistola quadam de Transubstantiatione: *Sic etiam hanc falsam philosophiā in articulum Incarnationis introduxerunt. Vt quando dico: Hic Homo est Deus, hic puer seu Filius Mariæ est creator Mundi: vel hic est filius meus dilectus: has propositiones non retinent, sicut sonant: quòd DEVS & Homo, Filius Mariæ & Creator Mundi Vnum sint.* (Unum scilicet personale, non Essentiale) *Sed sic docent, &, ut ipsis videtur, longè melius: Homo est DEVS; id est Filius DEI SVSTENTANS HVMANAM NATVRAM, est DEVS. Quia necesse sit subiectum & prædicatum pro eodē supponere. Hic Filius DEI sustentans Humanam naturam in pueritia sua, est Creator Mundi: Et hoc quidem egregie dictum illis videtur.*

Et post pauca. *Quia verò Humanitas Christi nota est & præsens, ideò declinant illi* (*Sophistæ*) *hæc vocabula: Hic Homo, hic puer, &c. per hanc additionem, sustentans Humanam Naturam. Quæ adeò inepta est Oratio, quam*

nemo

revera Deitatis verbi particeps evasit: nemo negaverit, nisi qui ipsam unionem personalē: & sic Personæ unitatem negare ausus fuerit. Etsi enim Humana natura in Deitatis naturam non est conversa: ideoq; nec simpliciter DEVS appellari debet: tamen ex unione personaliter particeps facta est Deitatis λόγȣ, & per sessionem ad dextram potentiæ DEI evecta in plenissimum divinæ gloriæ usum, ut sit altissimo DEO σύνθρονος, quemadmodum Patres locuti sunt, & omni, etiam Angelicæ creaturæ adorabilis. Quam ob causam non verentur Patres Naturam assumtam pio sensu dicecere Deificatam, ὁμόθεον. (Absit autem Eutychianum & Schwenkfeldianum deliririum) vide plura suprà pag. *237*. & seqq.

Et edisserat quæso Sadeel, num Angelus dicens ad Mariam, Luc. *1, 35*. *Id quod ex te nascetur, Sanctum, Filius DEI vocabitur*: num inquàm ab hoc nomine Filii DEI excludat assumtam Carnem? Affirmatè si responderit: Consequens erit, non carnem humanam: sed solam divinitatem natam esse ex Maria virgine. Siquidem Angelus disertè dicit: *Quod ex te nascitur, Filius DEI vocabitur*. Evincit proindè verborum vis & Emphasis, illam Naturam ab hac appel-

 latione

latione non esse secludendum, cujus proprium est nasci ex Maria virgine. Quanquam ad exprimendam hanc Humanitatis exaltationem, non ponimus loco subjecti Humanam Naturam, dicendo: Humana Natura est Filius DEI: ne quis inde colligat, Humanitatem per se esse Personam: Sed subjecti loco ponimus, vel Hominem, vel Filium Mariæ, vel etiam vocabulum Christi, (non sensu Sadeeliano) sed cum addita determinatione (quam Sadeel cane pejus & angue odit) secundum Humanam Naturam: non quidem Essentialiter: sed Personaliter, ob hypostaticam Unitatem, & *κοινωνίαν* Personæ Filii & Majestatis ipsius. Nam secundum hanc Humanitatem suam Christus *κεκληρονόμηκε* sortitus est excellentius nomen præ Angelis. Hebr. 1, 4. & 5. *Cui enim Angelorum dixit unquam, Filius meus es tu, Ego hodie genui te:* Ac rursum: *Ego ERO ei pater, & ipse ERIT mihi Filius:* Filius certe non Naturalis: Talis enim est λόγος: non Adoptivus tantùm, quales Filii DEI sunt omnes pii ac fideles: Sic enim nullum esse discrimen inter filiationem Hominis Christi & piorum: Sed ratione quadam singulari: nimirùm Personali *κοινωνίᾳ* ipsius æterni λόγου, quia

natura.

naturalis ille DEI Filius assumtæ Carni se *TOTUM COMMUNICAVIT*, uti loquitur Cyrillus.

Elumbe verò est cavillum Sadeelis arguentis: *Si λόγος æternus DEI Filius esset homo actu primo: certè Humana natura esset æterna.* Fallit enim consequens: Siquidem ut actu primo λόγος sit Homo, non requiritur, ut Humanitas sit conversa in λόγον: Quo solo pacto æternitas prædicaretur de Humanitate assumta: sed tantùm personalis illa Naturarum ad se invicem *κοινωνία* requiritur: quæ facit ut non duæ, sed una sit persona Christi, & vi unitatis personæ λόγος sit caro factus, Quod nihil aliud est, quàm quod Lutherus dixit, λόγον actu primo (nō Essentiali, sed Personali) esse Hominē.

Tandem consequens propositi Enthymematis nostrū non est, sed à Sadeele confictum. Nam corpus Christi ita esse Omnipræsens, *QUEMADMODUM* Filius DEI est Omnipręsens: nobis nunquàm in mentem venit. Etsi enim una eademque numero est Omnipræsentia, quâ λόγος, & quâ assumta Caro est Omnipræsens: Modus tamen, quo utraq; natura Omnipræsens est, est dissimillimus. Divina enim Omnipræsens est Essentialiter sive Naturaliter: Humana verò tantùm personaliter: uti hactenùs multoties explicatum.

SADEEL.

Est & alius error in Consequente, cùm argumentantur ex persona Christi, ad ipsius Christi Corpus. Nam profero hoc Theorema Theologicum, omni exceptione majus. In Sancto Mysterio Vnionis Hypostaticæ duarum Naturarum in Christo Iesu, non ducitur argumentum necessarium ex persona in concreto, ad alteram ex Naturis in Abstracto, affirmando.

RESPONSIO.

Theorema hoc, non Theologicum, sed Calvinianum, est commune quoddam Asylum, ad quod in causa sua perditâ, se homines isti recipiunt. Quando enim directè respondere coguntur, secundum quam Naturam Christus in tempore sortitus sit excellentius nomen præ Angelis? Secundùm quam Naturam Christo donatum sit nomen quod est supra omne nomen? Secundum quam naturam Christus sit exaltatus, & omnia subjecta ei sub pedibus ejus, adeò ut nihil omissum, quod ei subjectum non sit. Hebr. 1, 4. & 5. Philip. 2, 9. & seqq. Hebr. 2, 8. Ibi nolunt quicquàm directè respondere: sed ad κρησφύγετον hoc de con-

concreto & Abstracto se recipiunt dicti-
tantes, loquendum esse in concreto. Ve-
rùm in re seria ipsos impiè ludere, ad ocu-
lum demonstrare libet.

Ac initiò quidem, ne ipsi quidem Cal-
viniani hoc suum egregium observant
Theorema. Nam si quæras, secundum
quam naturam Christus sit genitus à pa-
tre? Respondent secundum divinam. Se-
cundum quam naturam conceptus de Spi-
ritu Sancto? respondent secundum car-
nem: juxta quam natus sit ex Maria virgi-
ne, passus? crucifixus? mortuus & sepultus?
Ad hæc omnia singulaque respondent, se-
cundum Humanam naturam. Sic si quæ-
ras, Secundum quam naturam Christus re-
surrexit à mortuis? ascendit in cœlos? redi-
bit ad judicium? Respondent secundum
corpus sive humanam naturam. Cùm er-
gò in omnibus istis articulis circa proposi-
tas quæstiones nihil de concreto move-
ant, sed incunctanter non solum perso-
nam exprimant: Verùm etiam Naturam:
ratione cujus hæc Articulorum Symboli
enunciata de Christo prædicentur: Quî fit
ergo, quòd circa unicum articulum exalta-
tionis Christi ad dextram DEI, ita & Sadeel
& cõplices tergiversentur, & latebras quæ-
rant, in quas sese abdant, & effugia rimen-

 tur,

tur, per quæ elabantur? Nempè, quia conscientia eorum tenetur constricta, quòd ex desperatione causæ suæ, quid sentiant in corde suo, proferre in lucem non audét.

Deindè quod attinet doctrinam de Concreto & Abstracto, non repudiamus illam in vero sensu & usu; quem explicavimus mox ab initio hujus tractatus, pag. 38 & seqq.: Hoc tamen interim negari nó potest, Terminos istos Concreti & Abstracti, puriori Antiquitati fuisse ignotos, & à Scholasticis demùm introductos. Quæ doctrina, si secundum Calvinisticum Theorema à Sadeele jam propositum eò intelligatur, ut tantùm concretum, hoc est, persona nominetur, sine adjectâ determinatione Naturæ: tùm ipsimet Adversarii, circa supra memoratos Articulos, contra propriam hanc suam Regulam vitiosissimè non in Concreto, sed in Abstracto locuti sunt: uti paulò antè ostensum.

Præterea doctrina isthæc Concreti & Abstracti, hoc sensu Sacramentario usurpata, ut nimirùm fas non sit nominare naturam, è diametro repugnat ipsi doctrinæ Apostolorum. Paulus certè non contentus, quòd dixerat Christum natum esse ex semine David: addit insuper Abstractum, *Secundum carnem*. Roman. 1, 2. Petrus non con-

tentus,

tentus, quòd dixerat Christum passum esse: sed Abstractum subjicit, *In Carne*. 1. Pet. 4, 1. Servator ipse, non concretivâ uti voluit locutione, dicendo, Ego sum vivificus: sed in Abstracto loquitur: *Caro mea est vivifica*. Iohan. 6, 51. Sic rursum Paulus non contentus concretivâ locutione, per Christum sumus reconciliati: sed Abstractivam mox addit: Reconciliati sumus *Corpore Carnis Christi*, Coloss. 1, 22. Sic Iohannes Abstractivâ phrasi utitur; *Sanguis* inquiens, Jesu Christi emundat nos ab omni peccato, 1. Ioha. 1, 7. Sic Orthodoxa Antiquitas semper est usa phrasibus, quibus non duntaxat personæ concretum: sed & Naturæ humanæ Abstractum disertè exprimeretur.

OBIECTIO III.

Realis Communicatio Naturarum in Christo facta est absque ipsarum naturarum confusione. Ergo simili ratione: Realis Communicatio proprietatum facta est, servata utriusque Naturæ proprietate. Quod si proprietatum Communicatio est tantùm verbalis: Naturarum igitur Communicatio tantùm erit verbalis, ἀδύνατον.

SADEELIS RESPONSIO.

Communicatio Naturarum non satis rectè dicitur: Siquidem transitivè vocabulum communicandi usurpatur: ita ut significetur ejus actio, qui aliquid cum alio communicet. Iam si communicat Divina Natura, hoc est, seipsam communem facit: Vnde sequitur Naturarum confusio & πολυθεότης, quod absit.

RESPONDEO. Veterem Cantilenam repetit Sadeel, de Transitivâ communicatione, & Exæquatione Naturarum, quæ ex ea sequatur. Cæterùm cùm ad utrumque cavillum in doctrina de communicatione Idiomatum supra cap. 3. ex professo responderimus: haud attinet illa hoc loco, cum fastidio & meo & Lectoris repetere. Quod si Ubiquitariorum quispiam subindè eadem ad verbum, in morem Sadeelis repeteret: certè rudis & indoctus Asinus à Calviniana societate publicè proclamaretur. Verùm cum Sadeel ad nauseam usque sit ταυτολόγος: illud certè nescio cujus transmarinæ subtilitatis argumento esse debet. Vide verò amice Lector ea quæ supra respondimus, pag. 355. 375. 382. 391. 425.

De verbali communicatione Sophisticatur Sadeel, & scommata projicit in Omni-

Omnipræſentiam Filii Hominis: Quæ nos non moramur. Chriſtus ſedens ad dextram patris, videt, audit, & judicabit. Nos certè non controverſiam movemus, quomodo verba explicanda ſint: ſed nùm prædicationibus de Filio Hominis, ut quando dico, Filius Hominis eſt in cœlo, loquens cum Nicodemo in his terris, &c: ſubſit veritas: an verò duntaxat verbalis ſit prædicatio, ſine re: haud ſecus ac quando Cerberum nominavero: Ubi verba ſunt ſine rebus? Hic vel tandem candidè mentem ſuam explicet Sadeel Muſſitat quidem *verbale pertinere ad phraſeon & verborum explicationem: & hoc ſenſu τὸ Verbale non opponi Reali?* Hoc ſi verum eſt Sadeel, & ex animo credis, verbale non opponi Reali: Cur quæſo Communinicationem Idiomatum non appellitas Realem? Cur Realem Communicationem tanto odio proſequeris, tamque improbo conatu impugnas? Noſti enim τὸ Reale nobis nihil eſſe aliud: quàm id quod verum eſt, & Rem ipſam, de quâ fit prædicatio, non tantùm nominat: ſed etiam ponit. Cæterùm ſub meris præſtigiis ludit Sadeel: quibus γλαύκωμα quoddam objicere ſtudet imprudentioribus, id quod ſupra prolixè fuit explicatum. vide pag. 362. & ſeqq.

Quoad Exempla à Sadeele producta: *Petra erat Christus: & Filius hominis est in cœlo*, nihil faciunt ea ad absurdam Sadeelis dissertationem confirmandam: quâ fingit Res esse Symbola verborum: hoc est, esse res duntaxat verbales. Nam in utraque ista propositione non verba pro rebus ponuntur: nedum Res tantùm verbales: sed Res realissimæ & verissimæ enunciantur. Nam non secundum verbalem prædicationem, Christus erat Petra illa, quæ sequebatur Israelitas in deserto: sed erat verè ac realiter illa Petra Spiritualis, quæ per Corporalem & suo loco manentem petram figurabatur: uti suo loco fusiùs ostenditur. Sic Filius Hominis non per verbalem, sed Realem Communicationem Idiomatum, non verbaliter: sed verissimè ac realissimè erat in cœlo, tùm, quando cum Nicodemo in terra loquebatur. Quod ipsum agnovit Augustinus sic scribens: Serm. 14. de verbis Apostoli: *In terrâ erat, & in cœlo se esse dicebat: Et quod magis est, In cœlo Filium Hominis, ut unam demonstraret in utraque naturâ personam. Quis autem nostrûm, qui parùm advertimus, aut parùm sapimus, non potiùs ita vellet distinguere: Filius DEI in cœlo, & Filius Hominis in terra: Sed nè sic divideremus, & ita*

dividendo

dividendo duas personas induceremus: Nemo ascendit in cælum, inquit, nisi qui de cælo descendit, Filius Hominis. Filius ergo Hominis descendit de cælo: Nonne Filius Hominis in terrâ factus est? nonne Filius Hominis per Mariam factus est? Sed ô Homo, noli separare, quem volo copulare: Parum est, Quia Filius Hominis descendit: Christus enim descendit: idemq; Filius Hominis, qui Filius est DEI. Sed est & in cælo qui ambulat in terra: In cælo erat, quia VBIQVE Christus, idemq; Christus, & Filius DEI, & Filius Hominis: propter Vnitatem personæ, in terra Filius DEI: propter eandem unitatem personæ esse probavimus in cælo Filium Hominis, ex his verbis Domini: Filius Hominis qui est in cælo.

SADEEL.

Realis Communicatio proprietatum facta est absque Confusione. Ergo, quemadmodum falsa est propositio hæc: Humana natura est DEVS: Sic hæc quoque falsa erit: Humana Natura est Omnipræsens: Alioqui latior erit prædicatio in proprietatibus, quàm in ipsis Naturis, &c.

RESPONDEO. Error oritur ex Confusione primi & tertii Generū Communicationis Idiomatū: quę non, uti debebat, distinguit

distinguit Sadeel. Primum enim Genus duntaxat concretivas admittit locutiones: ut Homo est DEVS: DEVS est Homo: Tertium verò admittit etiam abstractivas, teste ipso Christo: Caro est vivifica. In primo ergo Genere quemadmodum Reciprocatio locum habet: Ita prædicatio non est latior ulla ex parte: sed æqualis & reciproca. Tertium verò Genus uti non est reciprocum, sed duntaxat respicit ὑπερύψωσιν humanæ naturæ, verùm in persona: ita latiorem etiam prædicationem, nempè Abstractivam admittit: ut dicere queam: Humana natura est Omnipræsens: Caro est vivifica: quanquam vice versa, dicere non liceat: Divina natura est in loco: Divina natura est mortalis. Ratio: Quia Communicationis Reciprocatio in Tertio hoc Communicationis genere locum non obtinet: quemadmodum prolixè & accuratè hoc fuit explicatum supra pag. 449. ubi eandem cantilenam demurmuravit Sadeel.

OBIECTIO IIII.

Qui negant Corpus Christi esse Omnipræsens, & judicant de præsentia Corporis Christi ex

regulis

Digitized by Google

regulis physicis: illi negant DEVM esse Omnipotentem.

RESPONSIO SADEELIS.

Non argumentandum est ex Omnipotentia DEI, nisi antecedat ejus voluntas, ipsius verbo patefacta.

RESPONDEO. Rectè: Et hanc DEI voluntatem, tanquàm immotam & inconcussam rupem, fundamenti loco, substernimus nostræ assertioni, quòd nimirùm λόγος & velit suam carnem esse sibi ubique personaliter præsentem: & quod possit hoc præstare, quippè Omnipotens.

Voluntatem ergò hanc confirmant sequentia Scripturarum testimonia: Matt. 28, 20. *Ecce, Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. 18, 20. *Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ephes. 4, 10. *Ideò descendit in inferiores partes terræ, & ascendit* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *ut Omnia impleret:* Et Ephes. 1, 22. *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est Corpus ipsius, qui Omnia in omnibus adimplet.* Psal. 110, 2. *Dominare in medio inimicorum. &c.*

Certè, qui ex istis, & consimilibus aliis Scripturarum testimoniis de voluntate DEI

DEI certissimus reddi nequit: is magis magisq; cœcutire & dubitare pergat.

Cæterùm hanc voluntatem de Omnipræsentia Carnis Christi contrariam non esse illi voluntati, quâ DEVS vult, Christũ verum retinere corpus: hactenus multipliciter ostensum. Neq; enim contradictoria sunt ista duo, nempè, secundum Naturæ conditionem corpus Christi esse in certo quodam vel loco, vel πȣ̃: Et simul secundum subsistentiam in λόγῳ esse ubique: Sed subalterna duntaxat sunt, & subordinata: quemadmodum ex causis oriuntur non contrariè sibi invicem oppositis: sed subalternis: Localis videlicet præsentia, ex conditione naturali, & cum cæteris hominibus communi: Illocalis verò Omnipræsentia, non ex conditione physica: sed ex hypostaticâ unione cum λόγῳ.

Ac proindè contradictiones, quas fingit hoc loco Sadeel, partim sunt apparentes duntaxat, hoc est, reverà nullæ: partim verò ex Omnipræsentia corporis Christi non sequuntur: Quales sunt: *Si DEVS vellet Humanam naturam esse Omnipræsentem: consequens esset: DEVM etiam velle, eandem Humanam naturam, non esse nostram carnem: sed esse DEVM. &c.* Quæ Sophismata & nugamenta

plus

Digitized by Google

plus millies hactenus sunt discussa, explosa & profligata: quemadmodum & ea quæ de proprietatibus corporis essentialibus, per nugacissimam ταυτολογίαν hoc loco prolixè repetit Adversarius, subindè pueriliter petens principium: nempè ex falsis hypothesibus, quas hactenus solidissime refutavimus, pristinas suas recoquens futilissimas conclusiones. piget & pudet subindè ista repetere.

SADEEL.

Verùm sic etiamnùm instant (scilicet Vbiquitarii) Potest DEVS facere, ut Corpus Christi sit finitum, & nihilominus sit Infinitum atque Omnipræsens.

Sed respondet Sadeel: *Imò verò DEVS illud non facit, quia est Omnipotens: Nam facere, duo contradictoria simul esse vera, non est potestatis sed impotentiæ.*

RESPONDEO.

1. Calumnia est, nos statuère DEVM posse facere, ut Corpus Christi sit finitum, & Infinitum: eo nimirùm modo ac respectu, quo Adversarius τὸ Infinitum accipit: nempè quòd secundum essentiam suam factum sit infinitum: quemadmodum ipsemet sese supra explicavit.

2, Con-

2. Contradictoria esse, Corpus Christi ex Naturæ conditione esse finitum ac circumscriptum: & simul ex unione personali, (non per infinitatem aliquam Essentiæ) esse Omnipræsens: jam modò refutatum est. Et stolidus est Disputator Sadeel, quamdiu subalterna sive subordinata pro contradictoriis venditat. Turpiter proindè in hac quoque responsione sua petit principium.

SADEEL.

In Vnione Hypostatica summa DEI potentia elucet, quòd factum est, ut Humana natura suis proprietatibus distincta manens, ita cum Natura divina conjungatur, ut hæ duæ Naturæ, non divulsæ, non confusæ, sed Personaliter unitæ, Personam unam constituant. &c.

RESPONDEO. Rectè quidem: Sed in eo major elucet DEI potentia, quòd sine ulla confusione Naturarum, hypostasis τȣ λόγȣ, facta est Humanæ Naturæ ὑπόστασις: quòd Tota plenitudo Divinitatis in assumtâ Carne habitat σωματικῶς: quòd Caro est vivifica facta: quòd omnia habet sub pedibus suis subjecta: quòd ideò ascendit hæc ipsa Caro Christi supra omnes cœlos, ut

los, ut omnia impleret: quòd dono accepit tale nomen, quod est supra omne nomen: quòd Caro nostra adoratur ab Angelis & Archangelis, ab universo Cherubinorum & Seraphinorum exercitu: & quidem salvis manentibus proprietatibus. Hic certè immensam DEI omnipotentiam agnoscimus, credimus, adoramus: & isthæc expendentes, parum abest, quin ecstasin mentis patiamur.

Quæ hoc loco repetit de distinctiono τῷ εἶναι καὶ τῷ ἔχειν: supra distinctione secunda satis accuratè fuerunt ventilata.

Quod postremo loco *Modum præsentiæ Corporis Christi neque νοητὸν, neque πιστὸν esse* garrit: in eo sanè subscribimus, quod νοήσει modus iste percipi nequeat: Cæterum quòd fide comprehendi non possit: illud simpliciter negamus. Fidem enim nostram satis abundè confirmāt ea scripturarum testimonia, quæ de Omnipræsentia Christi Hominis, paulò antè, in hac ipsa Objectione produximus. Nihil esse πιστὸν, quod verbo Dei repugnat, ipsi novimus. At Omnipræsentiam Christi hominis repugnare Verbo DEI, nondum probavit Sadeel, neque probabit in æternum. Petit ergò absurde principium, &, quod res est, ἀδολεσχεῖ.

OBIECTIO V.

Hæc est veterum Regula. Quæcunque Christo data sunt in tempore, secundum Naturam humanam data sunt. At Omnipræsentia data est Christo in tempore. Ergo illi secundum humanam naturam data est.

RESPONSIO SADEELIS.

1. Argumentum hoc ex veterum sententia petitum: eaq; non satis rectè intellecta, absit, ut inter ἀποδεικτικὰ argumenta recenseamus.

RESPONDEO. Credas nobis Sadeel, nos istud argumentum, ab autoritate Patrum petitum, nunquàm inter ἀποδεικτικὰ fuisse relaturos, nisi ejus ἄλυτα & prorsus irrefutabilia fundamenta ex Scripturis sacris habuissemus. Si ea nosse cupis, consule, quæ hac de re disputata sunt, supra à pagina 83. usque ad 104. De sensu hujus Regulæ nunc videbimus.

SADEEL.

Hic est sensus superioris regulæ. Ea quæ dicuntur data Christo in tempore, ea sunt intelligenda de λόγῳ in carne exhibita. Quandoquidem

dem Christus dicitur accipere, non quatenus est ὁ λόγος, sed quatenus ὁ λόγος naturam nostram assumsit. Quamobrem illa sunt accipienda de persona ipsa, non autem ad Humanam naturam in Abstracto referenda.

Respondeo. En verò tibi insignem Sophisticen: & detestandam status controversiæ permutationem. Quæstio est inter nos, & Sacramentarios, de Christo jam incarnato: Secundum quam naturam data sint CHRISTO ea, quæ in tempore ipsi, & quidem vi unionis Hypostaticæ data in Scripturis leguntur. Ad hanc quæstionem cùm disertè respondere deberet Sadeel, & ostendere, num *CHRISTO IAM INCARNATO*, data ea sint respectu divinæ, an respectu humanæ naturæ? Ille respondet, quòd λόγος assumserit naturam nostram. Nùm hoc sit disputare, & nùm virum bonum deceat ita Sophisticè ludere, judicent ipsi quoque Sacramentarii. Et ut eò meliùs judicare queant, sic habeant. Legitur in Scripturis, quòd Christo omnia sint subjecta sub pedibus ejus: quòd datũ ipsi nomen, quod est super omne nomen: quòd inunctus Spiritu Sancto non ad mensuram: quòd dignus sit *ACCIPERE* (non, ex se Essentialiter habere) fortitudinem, honorem, divitias, gloriam, &c.

Iam Quæſtio eſt, Cùm Chriſto iſthæc data in tempore, ſecundum quàm naturam Data ſint? Quodſi igitur jam aliquis ad propoſitum ζήτημα reſpondeat, λόγος aſſumſit in Tempore humanam Naturam: Quæritur num talis ad Quæſtionem aliquid reſponderit: nùm verò nugaviſſimè & perfidè nugatus fuerit?

Nos Categoricè reſpondemus, Data iſthæc eſſe Chriſto ſecundum Humanam naturam: ita quidem ut in Abſtracto Caro Chriſti ſit Omnipotens, Omniſcia, Omnipræſens, vivifica, Adorabilis. Hoc negare ſi velint Adverſarij, per Deum ipſos obteſtamur, ut duntaxat guſtum aliquem Candoris vel tandem nobis præbeant: & 1. Categoricè ediſſerant: Num & quomodo Chriſto ſecundum divinam Naturam in tempore, divina aliqua potentia & infinita gloria dari potuerit?

2. Reſpondeant ad ea noſtræ ſententiæ fundamenta, quæ ſupra pag. 83. ad 104. produximus. Nam Sadeel ſicco pede illa tranſit, haud ſecus, ac ſi nunquàm in noſtrorum ſcriptis ea vel viderit vel legerit: Id quod cauteriatæ Conſcientiæ teſtimonium eſt longè evidentiſſimum.

Miraculorum ἐνέργειαν ad DEUM patrem tanquam primum fontem principaliter

paliter esse referendam, quis nostrum negavit: at verò propterea Humanam naturam ab eâdem vel prorsus secludendam: vel tanquàm Instrumentum aliquod merè παθητικὸν esse admittendam: nullatenùs sequitur: Contrarium enim suprà in Refutatione argumenti XV. contra Communicationem Idiomatum irrefutabiliter fuit demonstratum. vide pag. 468. & seqq. Quemadmodum ibidem etiam ostendimus, quomodo & quatenus Caro Christi ad resuscitationem sui concurrerit: pag. 478.

SADEEL.

Si hoc loquendi genus Secundum Humanam Naturam, significat ipsius Humanæ naturæ proprietatem: & Christus est Omnipræsens, secundum Humanam naturam. Ergò Omnipræsentia est Humanæ naturæ proprietas.

RESPONDEO. En novum aliquod Idolum, ex æquivocatione vocabuli SECVNDVM sibi fabricat, & oppugnandum sumit Sadeel. Nam nos particulam SECVNDVM non interpretari de proprietate Humanæ Naturæ: ipsemet hactenus testimonium nobis dedit, quando terminos & distinctiones nostras, quibus Humanam Naturam non ex proprietate suæ na-

Digitized by Google

turæ Omnipræſentem eſſe contendimus, refellere conatus fuit.

Nugatoria proindè eſt tota hæc Sadeelis Sophiſticatio.

Et profectò probè obſervandum, *Sadeelem* nihil, quod vel in Speciem aliquid veritatis & roboris habere videatur, adverſus Regulam Orthodoxæ Antiquitatis, excogitare potuiſſe. Tanta nimirùm vis eſt veritatis, ut ne portæ quidem inferorum adverſus eam prævalere queant.

OBIECTIO VI.

Hæc Objectio continet ſimilitudinem petitam ab Unione Naturali Corporis & Animæ: quam cumprimis urget Juſtinus & Auguſtinus.

Quam ſimilitudinem quibus modis evertere ſtudeat Sadeel, paucis videbimus.

Primùm *ex veterum ſententiis argumenta ἀποδεικτικὰ non peti poſſe*, infert. RESPONDEO. Concedo: niſi patrum ſententiæ firmis & perſpicuis ſcripturarum innitantur teſtimoniis.

Deindè infert: *Non urgendas eſſe omnes partes ſimilitudinis: Sed id potiſſimùm ſpectandum, cujus gratia ſimilitudo proponitur.*

RE-

RESPONDEO. Concedo totum.

Tertiò contendit, *Multa dißimilia esse in preposita similitudine:* quorum & benè multa recenset.

RESPONDEO. Concedo & illud: & nunquàm non concessimus. Neque ex nostra parte opus fuisset, ut Sadeel tàm diligenter conquisivisset dissimilia: nisi hoc propriũ & sibi, & quibusvis hæreticis aliis esse testari voluisset, ut quãdo similia refutare nequeũt: sollicitè cõquirant dissimilia, & ea odiosè exagitent. Ubi tamen notandum, non tolli similia, si dissentanea tantùm proferantur: & consentanea non argumentis evertantur: sed allatrentur duntaxat Sophismatis.

Sed quarto loco conatur Sadeel, hanc similitudinem ex ea etiam parte infringere, quâ nos eam ad Omnipræsentiam Corporis Christi accommodamus: Sic enim infringit:

Si Similitudo Animæ & Corporis valet ad stabiliendam Ubiquitatem Corporis Christi. Ergò Deitas Christi est ubique, ea ratione qua Corpus Christi est ubique. Nam Anima dicitur esse alicubi, quia ibi est Corpus.

RESPONDEO. Oleum & operam hoc argumento perdit Sadeel: neq; se expedit; sed magis intricat: imò semetipsũ cõfutat,

Quemadmodum enim anima non dicitur esse alicubi, ea ratione, qua Corpus est alicubi: Anima enim alicubi est definitivè: Corpus verò Localiter: Ita sequitur etiam, quòd Deitas Christi non sit ea ratione Ubique, quâ Corpus Christi est Ubique. Deitas enim Essentialiter: Corpus verò personaliter est Ubique.

Porrò: quemadmodum corpus hominis per copulationem cum anima non consequitur, ut sit definitivo modo alicubi, sicut Anima, juxta conditionem Spirituum. Sic neque corpus Christi per personalem Unionem cum λόγῳ consecutum est, ut sit Essentiali modo Ubique, sicut λόγος est Ubique. Invertitur proindè argumentum Sadeelis: & sic inversum sententiam nostram mirificè confirmat.

Cæterùm ἐκ περιουσίας placet ostendere Sadeeli & sociis, manifestissimam diversitatem allatæ similitudinis, quoad novum illum & singularem planè præsentiæ carnis modum, quem ex Unione cum λόγῳ est sortita. Quâ in parte Unio Naturalis Animæ & Corporis omninò deficit.

Nam Anima hominis non assumit Corpus in seipsam: quia non est persona quæ-

quædam per se subsistens, antequàm formetur Corpus, ut illud deindè intra se assumat. Sed naturali quadam lege sic unitur Corpori, ut potiùs Anima sit in Corpore, subeundo & informando illud: quàm ut Corpus dicatur esse in Anima. Quæ etiam causa est, ut secundariò & per accidens Anima aliquo modo particeps fiat Localis præsentiæ Corporis, & locali translationi motuiq; subjiciatur, ut translato Corpore, simul Anima δευτέρως de loco moveatur in locum. At diversum in mysterio hoc Unionis Hypostaticæ evenit. Hìc enim non hujusmodi est Unio, quâ λόγος & Caro quadam lege Naturæ uniantur, ut neutrum assumat alterum: Sed hìc ea regnat Assumtio, ut λόγος Humanam naturam non ita in loco tantùm relinquat, quin eandem supra loci conditionem, intra suam ὑπόστασιν verè assumat & transferat. Hujus ergo assumtionis virtute, acquirit Caro hunc transnaturalem, planeque divinum præsentiæ modum, quo in hypostasi Unigeniti Filii DEI vere existens & eminens, loca universa incomparabiliter transcendit & supergreditur: ita ut personalem suam subsistentiam sive existentiam, & sic suam quoque præsentiam personalem non

habeat in hoc vel illo loco, sicut neque in hunc, sive in illum locum assumta est: (alias eidé loco maneret perpetuò affixa) sed habeat illam in ipsa purissima singulari hypostasi Unigeniti: ac nihilominùs possit localiter versari.

SADEEL.

Vocabulum Transfundendi ambiguum est, neque satis conveniens huic quæstioni.

RESPONDEO. Ambiguum illud esse novimus, ac proindè, si quando eo utimur, diligenter admodum illud explicamus: & ab Eutychiana sive Physica effusione vindicamus. Neque enim aliud hoc vocabulo notare volumus, quàm plenitudinem illam Deitatis, quam in assumta carne corporaliter inhabitare, affirmat Apostolus: & ratione cujus hęc ipsa Caro, sive Humanitas Christi, Spiritum non ad mensuram accepit: Quo Metaphorico sensu sanctos Patres in hac ipsa quæstione, Effusionis voce usos fuisse novimus: ut Cyrillum, qui scribit: *Indecens est, si quis existimat, quòd λόγος Proprium Naturaleq; Bonum: hoc est, vitam non poßit carni* INFUNDERE, &c.

Quo

Quo ipso sensu DEIFICATIONIS termino & Patres & nonnulli etiam ex nostris uti consueverunt: non sensu Eutychiano & Schwenckfeldiano: sed Orthodoxo: quo nimirùm ineffabilis illa Humanæ naturæ Exaltatio: non verò ejusdem abolitio, sive cum divinitate Exæquatio exprimitur: id quod Sadeeli ignotum esse haud potest.

Quæ verò ex Deificatione hac Humanæ naturæ (sano sensu intellecta) Absurda colligit Sadeel: ea ad unum omnia supra, ubi de Communicatione Idiomatum ex professo egimus, fuerunt refutata. Neque quicquam, quod considerationem accuratiorem mereatur, hoc loco, quamtumvis satis sit prolixus, profert Sadeel.

Priusquam verò ad alia transeamus, paucis ostendemus, quousque ex sententia ipsius Iustini Philosophi & Martyris, præsens hæc similitudo, ad mysterium Unionis Hypostaticæ congruat. Hoc enim rectè observato, manifestius evadet, Sadeelem sine causa, tanto conatu allatrare & similitudinem ipsam, & nos, qui ex sententia patrum. ea uti solemus.

Primùm igitur, sicut unusquisque homo, unus tantùm numero est homo: & tamen duab. constat distinctis naturis: Corpore

Corpore & Anima Rationali: Ita Christus etiam unus est, sive una persona, duas distinctas habens naturas, divinam & humanam personali Unione, sibi invicem conjunctas.

Deinde: Sicut Anima hominis & corpus hominis; unumquodque suam propriam habet, atque distinctam naturam, suaq; Idiomata: nec dùm homo vivit, mutatio aut commixtio fit unius naturæ in alterum: sed Corpus est, & manet Corpus, nec unquàm mutatur in Animam: & vice versa, Anima est & manet Anima, & nunquàm vertitur in Corpus: Quod ipsum de proprietatibus quoque & Animæ & Corporis statuendum est: Ita in Persona Christi, divina natura est & manet divina natura, nec unquàm in humanam aut aliam naturam mutatur. Et Humana natura est & manet humana natura, nec unquàm in divinam naturam convertitur: sed utraque natura suas proprietates retinet.

Tandem: Sicut Anima cum Corpore ita est unita, ut etsi per se, sola si esset, posset exercere & expedire suas actiones: sicut facit, cùm à corpore separata est: tamen propter unionem cum corpore, quàmdiu est in corpore, nec possit, nec velit separatim suas actiones exequi: sed communes eas

eas habeat cum corpore, & in corpore, & per corpus omnia perficiat: & tamen, per hanc communicationem actionum, neq; Anima in corpus, neque corpus in animam mutatur: aut ulla ſit commixtionis exæquatio, aut confuſio Naturarum: ipſæque Hominis actiones alio modo & reſpectu animæ: alio rurſum Corpori tribuuntur: Ita Filius DEI opera ſuæ Omnipotentiæ, imprimis officia Meſſiæ, & beneficia Salvatoris verè & reipſâ perſonaliter commune habet cum aſſumta ſua natura, & ea exercet atque efficit, non unius tantùm naturæ, vel humanæ vel divinæ actionibus: ſed in utraque, cum utraque, per utramque, & ſecundum utramq; naturam: ſervatâ tamen cujusque Naturæ differentiâ, idq; non craſſo, ac ne naturali quidem modo, ſed ſingulari & ſupernaturali: Vero tamen & Reali.

Et hactenus quidem accommodata ſimilitudo Animæ & Corporis, nihil incommodi habet: Quemadmodum Auguſtinus etiam fatetur ſcribens: *Licet hæc ſimilitudo non per omnia reſpondeat: eſt tamen ſimilitudo magna, elegans, & ad rem, intellectu difficilem, ſed cognitu neceſſariam, explicandam percommoda & nobis familiariſſima.*

OBIE.

OBIECTIO VII.

Hæc objectio proponit similitudinem de Ferro Ignito: Quæ ut rectiùs intelligatur: & postmodum ad futiles & elumbes Sophisticationes Sadeelis solidiùs & faciliùs responderi queat: paucis videbimus quomodo hoc simile à patribus sit usurpatum.

Initiò autem plærique Orthodoxi in eo conveniunt, petitam hanc esse similitudinem ex rubo illo ignito, qui, spectante Mose, totus ardebat, & tamen non comburebatur: sed retinebat suam substantiam & naturam, in quo Filius Dei apparuit Mosi: Exod. 3, 2.

Ipsam autem similitudinem, Origenes primus usurpasse videtur, lib. 2. περὶ ἀρχῶν. cap. 6. Eam verò postea D. Basilius Oratione in sanctam Nativitatem planiùs aliquantò explicavit. *Quomodo* inquiens, *Deitas est in Carne? Sicut Ignis in ferro: οὐ μεταβατικῶς non Transitivè, per alterationem & Conversionem: sed μεταδοτικῶς distributivè sive communicative. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed in suo termino sive loco manens, distribuit ipsi propriam facultatem. Quomodo autem*

tem Deus λόγος corporea debilitate non impletus est: Diximus: Sicut nec Ignis transsumit Ferri proprietates. Nigrum est ferrum & frigidum: Sed tamen ignitum, ignis formam induit, & ipsum illustratur, & fit candidum: non nigrum faciens ignem: & ipsum inflammatur, non nigram faciens flammam. Sic sane humana etiam Domini Caro particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.

Repetit eandem similitudinem sæpissimè Cyrillus: repetit eam & Damascenus, tùm alibi sæpissimè: tùm lib. 3. cap. 17. *Ferrum*, inquiens, *ignitum urit, non quod physica ratione possideat ustricem ἐνέργειαν: sed quia ex Vnione ad ignem illud acquisivit. Ita Caro Domini non secundum propriam ἐνέργειαν: Sed propter λόγον ipsi unitum divinis operationibus est locupletata.*

Cæterùm quod de præcedente similitudine proxima diximus, illam non per omnia congruere: sed κατά τι: idem de hac etiam similitudine Sadeeli libenter concedimus.

Sed videamus tamen, quos flosculos proferat Sadeel.

SADE.

SADEEL.

Si accuratè de re ipsa dicendum sit, Calor & Lumen igniti ferri, sunt mera ipsius ferri accidentia.

Respondeo. Sciens fallere conatur Sadeel: Neque enim patres Unionem caloris & ferri: sive Luminis & ferri: Sed Unionem Ignis & ferri: & sic duarum substantiarum Unionem, cum Unione personali duarum naturarum contulerunt.

Reliqua dissimilia, quæ subjicit Sadeel, facilè ipsi concedimus: neque tamen quicquam decedit sententiæ Sanctorum Patrum.

Sic plæraque Absurda sive Incommoda, quæ ex similitudine hac nimis latè extensâ, elicit Sadeel, partim ipsi ultrò agnoscimus: partim verò jam antè satis superq; à nobis sunt expensa & refutata. Nihil enim præter suas dimensiones, localitates, circumscriptiones, naturales proprietates, impertinenter hoc loco crepat Sadeel. Nolumus eadem subindè repetere, ne cum ipso delirare videamur. Et notandum ipsum non tàm adversum nos, quàm contra patrum autoritatem hac in parte pugnare, quam alioqui gens Calvinistica exosculari, admi-

Digitized by Google

demirari, & nunquam non in ore ferre solet. Sed hic ea ipsis sordet: quia similitudo hæc, Patrum mentem, cum nostra doctrinâ ex asse congruentem, nimis clarè ac perspicuè declarat. Metuit proindè sibi à ferro ignito Patrum: quod ipso igni fortius ac penetrantius urere persentiscit.

Quoad *Similitudinem Vnguenti*: nunquàm profectò eo sensu usi sunt eâ Origenes, Augustinus & alii: quo eam hoc loco accipit & exagitat Sadeel. Illud duntaxat voluerunt S. Patres innuere: Animam Christi mox ab initio conceptionis inunctam esse Spiritu non ad mensuram, ultra consortes: hoc est, infinità Spiritus Sancti plenitudine: usque adeò, ut Anima Christi vasculum quasi fuerit Unguenti illius lætitiæ, hoc est Spiritus Sancti: haud aliter, quàm Apostolus corda piorum nominat Templa inhabitantis Spiritus Sancti.

OBIECTIO VIII.

Vox Christi Lazarum suscitantis rectè dicitur vox Omnipotens, & manus Christi manus Omnipotens. Ergo simili ratione Corpus Christi rectè dicitur Omnipræsens.

RESPONSIO SADEELIS.

1. Fallit consequens propter Antecedens malè intellectum. Nam si quis vocem Christi Lazarum suscitantis Omnipotentem appellârit: is certè non considerabit Essentiam ipsius vocis. Absit enim ut Sonus & aër sit Omnipotens: Sed eam considerabit, cujus vox fuit. Similiter qui dicet manum Christi Omnipotentem esse, is non respiciet Carnem, Ossa, nervos: Sed eum intelliget cujus est manus.

RESPONDEO. Distinguendum est 1. inter ipsam Essentiam vocis, & ejusdem Omnipotentem virtutem. Nam Essentiam vocis, vel ejusdem sonum ac aërem, ratione Essentiæ esse Omnipotentem nemo nostrum affirmavit unquàm. Interim tamen hæc vox Christi Omnipotentem virtutem verè ac realiter communicatam habuit: ita ut, licet ex sese & ex proprietate sua, talia miracula nunquàm edere potuisset: jam tamen, postquam Omnipotenti λόγῳ personaliter unita est: fit, ut Filius DEI suæ divinitatis opera non seorsim extra carnem: Sed in ea, & per eam exerceat. Quod ipsum de manu Christi est statuendũ.

Deindè verò patet ex Responsione Sadeelis, ipsum plus virtutis & potentiæ Humanæ naturæ Christi non tribuere, quàm concedere cogitur ipsis Apostolis.

Quem-

Quemadmodum enim hi ſecundum externum duntaxat miniſterium concurrebant in miraculorum exercitio: Ita Sadeel Humanam quoque naturam Chriſti tantùm externo miniſterio, voce & viſibili tactu, in miraculis edendis, concurriſſe, impiè ſomniat. Quod ſi ità eſt, nihil jam Chriſtus, quà homo, quicquam in miraculis habebit præ Apoſtolis eximium: ut nec ſublimi illa unctione, de qua Petrus concionatur, ad hoc externum miniſterium ei fuiſſet opus. Unctus enim eſt ea potentia & Spiritu ſecundum humanitatem, ut juxta hanc obambulans benefaceret & ſanaret omnes oppreſſos à Diabolo. Actor. *10, 38.* Quemadmodum hoc ſupra fuſiùs oſtenſum in Refutatione argumenti decimi quinti, contra Communicationem Idiomatum, pag. *473.* Quo ipſo loco oſtenſum etiam, quomodo mulier Hæmorrhouſa ſanitati reſtituta fuerit, ex attactu fimbriæ veſtimenti Chriſti: & quidem ex ipſo textu, & Antiquitate: pag. *769.*

SADEEL.

Ipſis veteribus aſſentientibus, vel manus vel vocis eſſentia non edidit præſtantiſſima illa Chriſti miracula: ſed divina virtus.

Respondeo. Ludit 1. Jesuita rursum sub Essentiâ vocis & manus: de quo Sophismate jam modò dictum. Novimus enim ipsi, Humanam Christi Naturam ad resuscitationem Lazari, ex se suaque humanâ Essentiâ & facultate plus non posse conferre, quàm vocem accommodare: vel manum extendere, tangere, suspirare, & id genus alia externa præstare ministeria. Cæterùm per & propter Unionem placuit λόγῳ Divinam suam potentiam exerere PER assumtam naturam: id quod testimonia illa ab ipso Sadeele impertinenter citata demonstrant: nempè *Signa, quæ fecit DEVS PER ipsum*: Item: *Quoniam DEVS erat cum ipso*.

Deindè falsissimum est, ac Sanctis Patribus è diametro contrarium, quòd theandrica apotelesmata sic singulis naturis propriam actionem relinquant: ut Humana tantùm agat, quod sibi proprium est, ad divinas verò actiones edendas realiter & efficaciter non concurrat. Quamvis enim, (uti supra quoque ostensum) ad distinctionem proprietatum respiciendo, agit quæque natura ex se, quæ Naturaliter sibi sunt propria: tamen beneficio Unionis, humanam naturam in realem *κοινωνίαν* Operationum divinarum pervenire: immotis

Scri-

Scripturarum testimoniis loco suprà citato confirmatum fuit: pag. 475. 477.

Unde Cyrillus de Incar. Unigen. cap. 7. λόγος *communes facit, tanquàm cum sua carne, divinæ suæ Majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, sanare infirmos. Unde hæmorrhousa fideli tactu virtutem elicuit ex Carne, quæ se ab immunditia sanctificaret, & plagam, quam patiebatur, sanaret.*

Et Damascenus. lib. 3. cap. 17. *Caro Domini non secundum propriam suam efficaciam sive actionem, Sed propter unitum sibi λόγον, DIVINA operatur, VERBO PER EAM manifestante PROPRIAM virtutem sive actionem.*

OBIECTIO IX.

Si Christus est adorandus etiam secundum humanitatem: Ergo etiam secundum humanitatem est Omnipræsens. Antecedens patet ex sententiâ veterum.

Responsio Sadeelis.

Personam, hoc est, Christum ipsum adoramus, una Adoratione: cùm Christus sit DEUS & Homo: Sed qui Naturam Humanam SEOR-

SIM adorant, ille personam divelleret, & Naturas confunderet, & duplicem Adorationem constitueret, contra veteres Orthodoxos.

Respondeo. Cum larvis futilissimâ σκιαμαχία digladiatur Sadeel. Quis enim dicit, vel dixit, vel scripsit: Naturam humanam *SEORSIM* esse adorandam? Nemo, præter eum, quem sibi in suo cerebello fingit Sadeel, qui est in Utopia. Credidimus semper, ac etiamnùm credimus ac docemus: Totum Christum, & sic totam personam esse uno religioso Adorationis cultu prosequendam, juxta utramque naturam: & ut Damasceni utar verbis, Una Adoratione colendum esse τῦ χριςῦ τὸ συναμφότερον. l. 3. Orth. fid. cap. 8. Cæterùm hoc vult Sadeel, Humanam Christi naturam in Religiosa adoratione, quantumvis in persona τῦ λόγυ subsistentem, esse quasi seponendam, & solam Divinitatem adorandam: vel ut alii scribunt: ad Deitatem Christi ita *SOLUM* Invocationé dirigi oportere, ut, licet adoretur is, qui carnem sibi univit: Caro ipsa tamen *OBIECTUM* Adorationis esse nequeat: nec ad eam, licet unitam λόγῳ, & in Unione manentem, hæc Adoratio, per Realé istius honoris attributionem sive κοινωνίαν referri debeat.

Quæ

Quæ ſanè opinio Sacramentaria, in ipſam Unionem, & Sanctiſſimam Humanitatem Chriſti, modis omnibus eſt blaſphema. Manifeſtum certè eſt, Adorationis Gloriam neceſſarium eſſe conſequens, Divinæ Majeſtatis, ſeſsionis ad dextram DEI, exaltationis ſuper omnes Angelicas poteſtates, ſubjectionis univerſorum &c. Jam cùm hæc omnia Chriſto in ipſius Humana natura ſint data, uti ſupra firmiſsimis fundamentis obtinuimus: pag. 80. & ſeqq: utique juxta eandem Naturam divinus quoq; honos religioſæ adorationis communicatus ei ſit oportet. Teſtis omni exceptione major eſſe poteſt Apoſtolus, qui de Chriſti ad mortem crucis humiliati exaltatione ſic diſſerit: *Propterea DONAVIT ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium ac inferorum, omnisq; lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam DEI patris.* Phil. 2,10. Perſpicuum autem eſt, Chriſto non ſecundum Deitatem: (ſiquidem quâ DEUS, NATURA ſemper eſt Adorabilis) in tempore Adorabile nomen donari potuiſſe. Proindè invictè concluditur, Eum, qui naturâ ſemper eſt adorabilis, quà DEUS, in noviſsimis

temporibus per gratiam hoc dicamus adeptum, quâ Homo eſt, ut nunc etiam juxta hanc ſuam humanam naturam religioſè colatur, propter ineffabilem Unionem cum λόγῳ & diviniſsimam ipſius in dextrâ DEI ſeſsionem.

Quam ob cauſam univerſa militia cæleſtis, religioſiſsimè colit & proſequitur *AGNUM QUI OCCISUS EST*, deferens ei virtutem, divitias, ſapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam & benedictionem. Apocal. *5, 12. & 13.* Hinc in Euangelicâ hiſtoria, Homines Chriſtum etiam, quâ Homo eſt, & Filium Davidis, adoraſſe legimus. Matth. *20, 31.* Marci *10, 47.* Luc. *18, 38.* Act. *7, 56.* & *59.*

Quam ipſam Religioſam Chriſti etjam ſecundum aſſumtam humanitatem Adorationem, Concilium Epheſinum. Anathematiſmo octavo: Didymus Alexandrinus, lib. *3*, de Spiritu *San*cto: Nazianzenus in ſermone Paſchali: Athanaſius orat. *2.* & *5.* contra Arianos: & reliqui Orthodoxi patres plerique uno ore conſtanter aſſerunt & confirmant.

SADEEL.

Si ſecundum Humanam naturam adorandus Chriſtus: Ergo Humana natura eſt DEUS.

Respondeo. Fiat integer Syllogiſmus, & patebit vitium. Major igitur talis eſſe debet: Quicquid eſt adorandum, eſt DEVS. Reſpondeo veram eſſe hanc propoſitionem, κατὰ τὶ ſecundum quid: non verò ſimpliciter. Quicquid nimirùm per Eſſentiam ac naturam eſt Adorabile: illud DEVS eſt. Jam ſi ſubſumtio fiat, Minor negatiuè informari debet: At verò Humana natura, non per Eſſentiam ſuam eſt Adorabilis. Sequitur igitur concluſio: Ergo Humana natura non eſt DEVS. Ratio conſequentiæ: Quia DEVS eſſe nequit, quod ex gratiâ dono accepit Adorationis gloriam.

Hic Syllogiſmus probè obſervatus oſtendit rectè Ambroſium Divinitatem Spiritus Sancti indè probaſſe, quia ſit adorandus: nempè per naturam & eſſentiam: verè item aſſumtam Humanitatem adorare DEVM, quippè quæ non ſecundum Eſſentiam eſt adorabilis: ſed hanc gloriam ex unionis gratia cum λόγῳ dono accepit: ac proindè minor eſt λόγῳ, in ipſo etiam ſtatu gloriæ & Majeſtatis.

SADEEL.

Conſequens ſuperioris Objectionis nullius eſt momenti: Quia ex Adoratione, non rectè in-

feratur Omnipræsentia humanæ naturæ Christi.

Respondeo. Qui sic verò mi Sadeel: An non quem in necessitatibus cum fiducia invoces, præsentem credas, & preces illum tuas exaudire statuas necesse est? Sic profectò fides & Religio Christiana docet: Sic fiducia tua flagitat, ut nimirùm certò statuas, illum præsentissimè tibi adesse, cujus auxilium imploras: secundum promissiones: *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum, invocantibus eum in veritate.* Psal. *145, 18. Et, tecum sum in tribulatione, &c* Psal. *91, 15.*

Quæ de æternitate, & immensitate hoc loco blaterat Sadeel: funditus & radicitus fuerunt eversa supra, mox ab initio Capitis Tertii, in refutatione Objectionis primæ Sadeelianæ contra Omnipræsentiam, pag. *229: 244: 246.*

OBIECTIO X.

Si Solis cursus inhibitus est: Iosue, 10, manente nihilominùs eâ naturâ, quâ Sol est mobilis. Ergo nihil vetat Corpus Christi circumscriptum esse, & incircumscriptum simul.

Responsio Sadeelis.

Vitiosissima omnia: Primus error: Cùm

RE-

ex eo, quod per miraculum, idq; semel factum legitur, colligunt: scilicet, quæ sit vera perpetuaq; ratio Corporis Christi.

Respondeo. Quis verò jussit Sadeelem sic informare argumentum istud: & accommodare ad id, ad quod nemo nostrum unquàm respexit. Hic scopus unicus nostris allato hoc exemplo miraculoso fuit propositus, ut ostenderent, sine Naturæ eversione sive abolitione, divinâ mediante virtute, in creaturis multa fieri posse contra Naturam. Id quod cùm negarent Adversarii, exemplis miraculosis comprobatum fuit à nostris: inter quæ fuit & istud, petitum ab inhibito Solis cursu. Cæterùm quòd nostri inde immediatè comprobare voluerint, vel Omnipræsentiam Corporis Christi: vel demonstrare, Corpus Christi simul posse esse circumscriptum & incircumscriptum: id verò mera calumnia est. De Circumscripto & incircumscripto sufficientissimè egimus supra in Refutatione Argumenti decimi Sadeelis, contra Omnipræsentiam: pag. 325.

De reliquis duobus erroribus, quos hoc loco similitudini huic adscribit Sadeel, non necesse est, ut agamus: cùm ipsimet similitudine ista, ad confirmandam Omnipræsentiam Corporis Christi, directè non utamur.

OB-

OBIECTIO XI.

Si humana natura non est Omnipræsens: Ergo Deitas non aliter habitat in Christo, quàm in Sanctis: ἀδύνατον.

RESPONSIO SADEELIS.

Nego sequi: Nam Deitas habitat in Sanctis per gratiam: In Christo verò habitat per Unionem personalem: ac propterea σωματικῶς.

RESPONDEO. Sadeel ineptè petit principium. Hoc ipsum enim quæritur, qu d sit, vel quæ sit differentia specifica, quæ Unionem personalem, ratione cujus Divinitas λόγυ inhabitat in assumtâ carne, distinguat ab ejusdem inhabitatione in reliquis creaturis. Sic quæ de donorum nempè finitorum excellentiâ mussitat hoc loco Sadeel, & horum donorum respectu Unionem personalem, ab inhabitatione λόγυ in Petro differre contendit: mera sunt Sophismata ad fallendum comparata. Non enim quæstio est de donis finitis: sed de ipsa plenitudine Deitatis, quæ in assumta carne σωματικῶς inhabitare dicitur? Quid nam hæc sit, & quomodo definienda? Hic Rhodus, hìc saltare debebat Sadeel.

Digitized by Google

Sic plusquàm nugatoria ἀδολεσχία est, quando scribit Adversarius: *Neque dicimus Humanam naturam sustentari simpliciter à verbo, sed sustentari in Vnione personæ: quod de ullâ aliâ re creatâ, sine blasphemia, dici non potest.* Nam hoc ipsum quæritur, quid sit illud sustentari in Unione personæ: & num aliquid divinæ virtutis ex hac sustentatione in Unione personæ, ad assumtam humanam naturam redundarit? Ad quam quæstionem quamdiu negatè Adversarii respondent, contendentes Humanam naturam ex hac sustentatione in Unione personæ, nullo modo factam fuisse participem, vel ipsius ὑποστάσεως τῦ λόγυ: vel ipsorum divinorum Idiomatum, quæ cum hypostasi λόγυ simplicissimè convertuntur: fit rursum manifestum: ipsos nullam aliam differentiam sustentationis Humanæ naturæ in persona λόγυ: & sustentationis Petri constituere: quàm quæ consistat in diversitate graduum donorum finitorum. Sed hac de re suprà fusius: pag. 59. 60.

OBIECTIO XII.

Christus est Iudex: Ergo humana ejus natura est Omniscia: Si Omniscia: Ergo Omni-[illegible]

RE-

Responsio Sadeelis.

Christus est Iudex: non quatenus Homo: sed quatenus DEVS *& Homo, ac proindè Mediator, Rex, Iudex, Sacerdos, quæ ad personam pertinent.*

Respondeo. Rursum pervertit statum Controversiæ. Non enim quæritur: Num persona Christi, partes Iudicis sibi vendicet: Hoc etenim à nobis non negatur: Siquidem secundum regulam Lutheri: *Actiones & paßiones non sunt Naturarum, sed personæ.* Sed hoc quæritur: Num Christus, secundum assumtam, etiam Humanitatem sit Iudex futurus? Ad quod ζήτημα dùm negate respondet Sadeel: sequitur ipsum Termino personæ, alteram duntaxat naturam, Divinam nimirùm, plusquàm Sophisticè imò hæreticè intelligere. Deindè manifestè contradicit Adversarius ipsi Christo, qui sibi potestatem Iudicii faciundi à patre *DATAM* esse, asserit, *QVATENVS FILIVS HOMINIS* sit. Iohan. 5. 27. Tradidit enim æternus Pater, executionem Iudicii Universalis Christo, quatenus *FILIVS HOMINIS* est, qui visibili Humanitate sua in nubibus apparebit, sententiam extremi Iudicii sua voce promulgaturus: & in æternum executurus,

juxta

juxta virtutem, quâ potest sibi subjicere omnia. Cæterùm hinc luce meridianâ clarius liquet, concessâ hac potestate judicii faciundi Filio Hominis: necessariò eidem concedendum esse Omniscientiam: cujus virtute omnia dicta, facta & cogitata hominum sciat, & conscio Spiritu sive mente intueatur: ut sic non inscius, sed optimè conscius ea judicet, & corda ipsa tanquàm verè καρδιογνώστης sibi revelata retectaq; habeat. Sic quoad Omnipræsentiam: illa quoque hinc necessariò evincitur. Etsi enim finito suo Corpore apparebit Christus in nubibus: quia tamen conspicietur & audietur in hoc judicio ab omnibus hominibus in toto terrarum orbe constitutis: manifestissimum profectò est, ne tùm quidem illam Physicam localitatem, quâ Christi Corpus ad unum locum astringitur, locum habiturum. Certissimum enim est, tantam multitudinem hominum tùm fore statuendam ad tribunal Christi, quantam vix hic latissimus orbis capere queat: & tamen hi simul omnes, quocunque loco orbis constituti, sive nos, sive etiam antipodes, videbunt Filium Hominis sibi præsentem, & expressè articulateq; audiẽt õnes homines ultimam sententiam ipsum enunciantem.

Quod

Quod Marci 13, 32. *Christus diem novissimum ignorare* legitur: id de Humanitate Christi in statu Exinanitionis considerata, intelligendum est.

De loco illo Luc. 2, 53. *Puerulus crevit sapientia & scientiâ*: ex professo egimus supra pag. 142. & seqq.

Christum ratione Carnis infinitum esse, nunquam vel diximus, vel sensimus, vel credidimus. Quare cum larvis hoc loco iterùm pugnat Sadeel.

Tandem scribens Sadeel, *Eorum corpora, qui plura sciunt, non propterea esse diffusiora*: manifestè prodit Capitis sui liripipium, quo crassam quandam, & expansam diffusionem ac Ubiquitatem Corporis Christi concepit & impugnat. Quam etiam impugnare poterit, quamdiu ipsi libuerit. Nos talem Corporis Christi Omnipræsentiam penitùs ignoramus.

OBIECTIO III.

Qui negant Omnipræsentiam Corporis Christi, illi sentiunt cum Samosateno & Nestorio. Nam illi dicebant Naturas in Christo esse incommunicabiles ἀκοινωνήτους.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO SADEELIS.

Falsum est antecedens. Etenim Samosatenus negabat Christum esse θεάνθρωπον.

RESPONDEO. Utrumque contendit Samosatenus, & Naturas prorsus esse ad invicem ἀκοινωνήτους: & Christum non esse θεάνθρωπον. Nam ex priore illa hypothesi, posterior hæc ultrò sequitur. At Calvinianos æque & Naturarum ad se invicem κοινωνίαν negare: ac proindè illas quoque Christum esse θεάνθρωπον, haud sincerè credere, invictis argumentis supra demonstratum fuit; pag. 50. usque ad pag. 65. Quod ipsum de Nestorianismo jure Calvinianis imputato, ibidem irrefragabiliter ostensum fuit.

De Concreto & Abstracto, deq; errorum latibulis, quæ sub his vocibus Adversarius Sophisticè quærit, supra in examine Responsionis Sadeelianæ ad Objectionem secundam, fuit accuratè satis actum.

Digitized by Google

TRansit nunc Sadeel ad eos Scripturæ locos, quibus nos potissimùm pro doctrinæ nostræ assertione uti solemus: eosque refutare conatur. Cui tamen suæ Tractationi quinque præmittit Theoremata: & ex horum veritate Responsionum suarum veritatem sese mutuaturum pollicetur. Quæ qualia sint paucis videbimus.

I. THEOREMA SADEELIS.

Quædam dicuntur de Christo, quæ secundum divinam ejus naturam tantùm sunt intelligenda: ut Christus est DEVS benedictus in secula: Antequàm Abraham fieret, ego sum, &c.

Respondeo. Theorema istud facilè concedimus: modò non huc accommodentur ea scripturarum testimonia, quæ agunt de Divinâ Majestate Humanæ Christi naturæ in tempore communicatâ: quemadmodum Sadeelem facere mox videbimus.

II. THEOREMA SADEELIS.

Quædam dicuntur de Christo, quæ secundum humanam ejus naturam tantùm sunt intelligenda.

Respondeo. Si proprietatem humanæ Naturæ attendat Sadeel: tùm facilè assentior.

III. THE-

III. THEOREMA SADEELIS.

Quædam dicuntur de Christo, quæ secundum ejus personam tantùm sunt intelligenda: hoc est, quæ privatim & propriè non pertinent ad alteram ex Naturis. Vt Hic est Filius meus dilectus &c.

RESPONDEO. Si Theorema hoc sano sensu intelligit Sadeel: ut nimirùm de persona Christi prædicentur illa, Secundum utramque naturam: tùm concedo. Nam Christus est Filius ille DEI dilectus: est caput Ecclesiæ: servator sui corporis: Mediator DEI & Hominum: Mediator præstantioris Testamenti: Factus à DEO nobis sapientia, justitia, sanctificatio & Redemtio: Hæc inquàm omnia est Christus ratione personæ: verùm non sensu Calvinistico & Zuingliano, ut per personam intelligas alteram naturam solùm: hoc est: divinam: sed sensu Orthodoxo: ut nimirùm Christus sit isthæc omnia secundum utramque naturam: diverso licet respectu. vide pag. 476. 477.

IIII. THEOREMA.

Quædam dicuntur de Christo DEO, quæ secundum Humanam ejus naturam intelligenda sunt: ut Nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent: DEVS acquisivit Ecclesiam sanguine suo.

RESPONDEO. Si de Actione & passione ipsa quæras: statuo eas ad personā esse referendas. Nam nō humana natura sola: sed persona Christi est crucifixa: Unde Filius DEI rectè dicitur crucifixus secundum Carnem: Quia Filius DEI Humanam naturam assumendo, propria quoque ipsius, ut τὸ pati & mori, sibi per ἰδιοποίησιν appropriavit, uti supra fusiùs ostensum. Sin verò quæras cujus Naturæ in persona Christi proprium sit, crucifigi, & sanguinem effundere? Respondeo: Humanæ: Et eatenus hoc Theorema verum est.

V. THEOREMA.

Quædam dicuntur de Christo Homine, quæ secundum ejus divinam naturam intelligenda sunt: ut Filius Hominis qui est in cœlo: Filius Hominis habet potestatem remittendi peccata: Si videritis Filium Hominis ascendentem ubi erat prius.

RESPONDEO per distinctionem: Si quæras, cujus Naturæ proprium sit, Esse ubique: remittere peccata? Respondeo Divinæ. Si rursum quæras, utrum hæc ita sint Divinæ Naturæ propria, ut Humanitati non sint ex Unione communicata: ac proindè de hac ipsa Humanitate, divina illa verè

verè ac realiter prædicari nequeant? Respondeo simplicissimè negando. Quare cùm Sadeel non satis distinctè in suis istis Theorematis loquatur: mirum non est, si in Responsionibus suis, quas ad Scripturarum testimonia mox dabit, subindè petat principium: & errores erroribus cumulet. Proindè ad specialem singulorum scripturæ locorum considerationem accessum facimus.

LOCVS I.

Psal. *110, 1. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.*

Ephes. *1, 21. & 22. Constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus: supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit pedibus ejus: & constituit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ.*

1. Pet. 3, 22. Christus est in dextera DEI: *profectus in cœlum, subjectis ipsi Angelis & potestatibus & virtutibus.*

Ergo: Corpus Christi est Omnipræsens & ubique. Consequentia patet, quia dextera DEI *est ubique.*

Responsio Sadeelis.

Fallit consequens: Nam loci citati loquuntur de Persona: At istud consequens est de Humana natura.

Respondeo. Hoc est σοφὸν illud φάρμακον, quo & præsentes, & insequentes Scripturarum locos omnes eludere se posse Adversarius sperat. Sed profectò irrito prorsus conatu. Nam concedimus tibi mi Sadeel, Locos istos universos de Christo, & sic de persona esse intelligendos: Sed mox quærimus: Si personæ Christi in tempore obtigit sessio ad dextram DEI: secundum quam naturam ei illa obtigerit? An secundum utramque: an verò tantùm secundum alterutram, Humanam videlicet? Quod si iterum atq; iterum responsaverit Sadeel: personæ illam obtigisse: semper inutiliter petit principium. Sin divinæ naturę respectu, Christum ad dextram patris constitutum esse affirmaverit: impietatem Arianam stabiliet ac defendet. Hinc enim cósequens foret: Christo secundum divinam naturam aliquid exaltationis & gloriæ in tempore dari potuisse: ac propterea illum non verum & æternum esse DEVM, patri ὁμοούσιον & συναΐδιον. Deliberet proindè Sadeel, quid respódere velit. Nos interim vices ejus explebimus: & secundum scripturarum

rarum mentem, ac Orthodoxæ Antiquitatis consensum intrepidè affirmamus; Christum quidem, verùm non respectu divinæ: sed respectu assumtæ Humanæ naturæ, cōstitutum esse, ad dextram DEI in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, &c: ac omnia ei subjecta sub pedibus ejus: ac proindè dolum Sadeelem occultare statuimus, ad fallendum comparatū, quoties & hoc loco, & postmodum subindè responsabit: *Ea, quæ Christo in tempore data leguntur, ad personam, non verò ad alteram naturam esse referenda.* Etsi enim non alteri naturæ extra personam: tamen Humanæ naturæ in Personâ ea sunt data; quemadmodum invictis argumentis hoc suprà comprobavimus: pagin. 80. usque ad pagin. 104. Quô brevitatis studio Lectorem veritatis amantem remitto.

SADEEL.

Vt valeret argumenti connexum; necesse esset, hanc propositionem veram esse: Quæcunque dicuntur de persona Christi, ea possunt verè & realiter enunciari de Humana ipsius natura. Sed hoc falsissimum est, & dari possunt ἐνστάσεις locupletissimæ: Coloss. 1. Qui est Imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ Hebr. 1. per quem

Digitized by Google

illud pronunciatum, Antequam Abraham esset, Ego sum: Ubi pronomen EGO ad personam, respectu solius Divinitatis referri debet: qualis videlicet tùm ante incarnationem, tempore Abrahæ erat. Quanquam interim vi primi generis Communicationis Idiomatum, quod ex personæ Unitate resultat, vera nihilominùs & realis est propositio: Hic Mariæ Filius fuit, antequàm Abraham fuit. Nam post Incarnationem in persona Christi non est ἄλλος καὶ ἄλλος, sive duæ personæ: sed una persona.

SADEEL.

Sessionem ad dextram DEI veteres variè exposuerunt: & 1. significare eam dixerunt, gloriam, potestatem & summum imperium in res creatas.

RESPONDEO. Sit gratia dictis. Nam hoc ipsum & nos docemus & credimus. Atque utinam hanc explicationem probè notaret Sadeel, eamque postmodùm suis glossulis non conspurcaret, imò penitùs everteret.

SADEEL.

2. Sessionem ad dextram DEI tribui

persona,

personæ, & nunquàm seorsum alteri Naturæ Christi.

RESPONDEO. Latet dolus & Sophisticatio in vocabulo, *SEORSVM*: quod si Sadeel sumit ac intelligit, (uti certe suprà aliquoties intellexit) de aliqua peculiari Humanæ naturæ extra personam λόγυ subsistentiâ: tùm certè & nos libenter subscribimus huic axiomati: & sessionem hîc nunquam *SEORSVM*, hoc est, extra Unionem Humanæ naturæ adscribendam esse, concedimus. Quod si verò sano sensui phrasis hæc opponatur: quòd nimirùm sessio ad dexteram, non conveniat personæ respectu Humanæ naturæ: tùm judicamus Axioma hoc esse falsissimum, imò planè hæreticum. vide supra pag. 80. & seqq.

SADEEL.

3. Sessionem ad dextram DEI nusquàm alibi proponi, quàm in cœlis: idq́ post resurrectionem Christi: ut nimirùm credamus Humanam Christi naturam in cœlo collocatam, ibi summa gloria perfrui, nec eam alibi quæramus.

RESPONDEO. Hic demùm hydra Calvinistica virus suum spargere satagit: idque multifariam. Primùm enim quòd spirat, sessioné ad dextram DEI nusquàm

alibi proponi, quàm in cœlis: illud tàm absurdum & hæreticum est, quàm absurdum & hæreticum esse potest unquàm. Dexteram DEI solius cœli terminis circumscribi & finiri. D. Apostolus citato à Sadeele loco, Ephes. 2, 20. & 21. Sessionem hanc Christi definit tali gloria, quæ sit supra OMNEM principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantum *IN HOC*, sed & in futuro seculo.

Ad testimonia, quæ Sadeel profert, quæque affirmãt Christum sedere ad dextram *DEI IN EXCELSIS: IN COELESTIBVS*, &c: respondeat pro nobis Chrysostomus Tom. 4. Homil. 2. in cap. 1. ad Hebr. *In dextra Majestatis in excelsis quid est? Nùm DEVM Loco includi? Absit: sed sicut, cùm dixit, In dextra, non figuram humanam Corporis DEO tribuit, sed similitudinem monstravit honoris, quem Filius æqualem habet cum Patre: ita cum dicit, IN EXCELSIS, NON EVM LOCO INCLVDIT, sed ostendit omnibus altiorem, & omnibus eminentiorem esse.*

Idem Tom. 3. serm. de Passione: Homilia de cruce: *Quando dixero DEVM sedentem in excelsis, VBIQVE eum credite esse præsentem.*

Chrysostomo igitur de DEO tractanti idem est, in excelsis sedere, & ubique præ-

præſentem eſſe: planè ut Apoſtolis, de Chriſto ſecundum Naturam conſtitutam à dexteris DEI diſſerentibus, idem eſt, ſedere in excelſis, & implere omnia: interprete Apoſtolo Eph. 4, 16.

Et profectò ſi, ſecundum Sadeelis interpretationem, dexteram DEI conſtituas in cœlo, tanquàm in certo aliquo creato loco: conſequens erit, 1. Chriſtum unâ cum dexterâ DEI cœlis includi: & proindè tantùm in cœlos: non autem, ut Apoſtolus manifeſtiſsimè docet, *SVPRA COELOS OMNES* aſcendiſſe. 2. Dexteram illam DEI extra cœlum nec eſſe, nec inveniri: vel partem extra partem habere; Unam quidem in terris & ubique; ad quam Chriſtus non ſedeat: alteram verò partem in cœlo: ad quam Chriſtus ſedeat. Utrumque ἄθεον & blaſphemum. 3. Chriſtum, quando è cœls ad judicium faciendum redibit, & deſcendet in nubes, eſſe deſerturum illam dextram DEI: eamque ſedem interim in cœlis relicturum vacuam, donec eò revertatur: id quod ἀδύνατον & manifeſtè impiũ. Hoc enim pacto Chriſti ſecundum carnem Majeſtas imminueretur, imò prorſus evacuaretur, & quidem illo ipſo tempore, quo tamen ſecundum Scripturas in gloria patris apparere debebat: & quo illa Maje-

ſtate

ſtate & virtute divina vel maximè opus habebit, ad exequendam finalem illam judicij noviſſimi ſententiam. Hanc enim Majeſtatem & virtutem Chriſtus ſecundum Carnem obtinet ex ſeſſione ad dextram Dei. At verò in hoc reditu ad judicium non amplius ſedebit ad dextram Dei: quippè quæ Cœlo terminatur: quod in ſuo deſcenſu Chriſtus relinquet. En quo tandem Galviniana ſomnia progrediantur.

Porrò Chriſtus ipſe hanc gloſſam Calviniſticam penitus evertit, & funditùs ſubruit: quando diſertè atteſtatur, ſe in univerſali illo judicio orbis, cùm ſententiam pronunciabit ex nubibus, nequaquàm abfuturum à dextra Dei: ſed potiùs divino illi throno inſidentem judicaturum omnē Carnem. Iudæis enim dicit. Luc. 22, 69. *Amodò videbitis Fillum Hominis*, SEDENTEM *à dextris virtutis, & venientem in nubibus Cœli.* Et diſcipulis ſuis ait Matth, 19, 28. *Dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius Hominis* IN SEDE MAIESTATIS SVÆ, *ſedebitis & vos ſuper duodecim &c.*

Quæ ſanè omnia Sadeelis & Sacramentariorum ſomnia, quibus ſeſſionem ad dexteram Dei certo Cœli loco terminari fingunt, prorſus in fumum atque in nihilum diſſipant.

Quo

Quo pertinet etiam illud, quod Apostolus non simpliciter dicit *In Cœlis*: Sed ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *in supercœlestibus*: ut perspicuè indicet, sessionem hanc non certo quopiam Cœli loco esse definiendam.

De voce Cœli videbimus infra in diexodo Loci Septimi. Audiat verò Sadeel Calvinum præceptorem suum hac de quæstione, super caput 1. Ephes. sic disserentem: *Hic locus aperte ostendit, si quis alius, quid significet DEI dextera: non locum scilicet aliquem: Sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut ejus nomine Cœli & terræ imperium administret. Quare frustra de eo litigant quidam, quod Stephanus viderit eum stantem, quem Paulus hîc sedere scribit: neque enim hoc ad Corporis collocationem pertinet: sed summam regnandi autoritatem exprimit, qua præditus est Christus.*

Et post pauca: *Cùm autem dextera Dei Cœlum & terram impleat, sequitur, regnum Christi, VBIQVE diffusum esse atque etiam virtutem. Vnde perperam faciunt, qui ex sessione ad dexteram DEI conantur probare, Christum non nisi in Cœlo esse.* Est *quidem id verißimum, in cœlo esse Christi humanitatem, non in terra: sed probatio illa non convenit. Nam quod mox sequitur IN COE-*

LE-

LESTIBUS non eò tendit, ut Dei dextram cœlo includat: Sed ut sciamus, Christum eò altitudinis esse erectum, ut in cœlesti DEI GLORIA, in beata immortalitate, inter Angelos summum fastigium obtineat. Hactenus Calvinus. Quem locum ideò adducere volui, ut inde discat Sadeel: 1 Sessionem ad dextram DEI non Cœlo esse includendam: 2. Inconveniens esse probationis genus, quod ex vocabulis, (in Cœlestibus, in excelsis, in Cœlis) peti solet: & quidem ex sententia Calvini.

Pergit Sadeel, asserens *credendum nobis esse Humanam Christi naturam in cœlo collocatam, ibi summa gloriâ perfrui: nec eam alibi quærendam. Nam Divina natura cœlum & terram implet.*

Respondeo. Quænam verò est hæc summa gloria, quâ secundum humanam naturam Christus in Cœlo collocatus perfruitur? Finita né an Infinita? Creata an increata? Definiat hoc Sadeel. Finita si est & creata: (uti certè ex communi Sacramentariorum sententia talis est) consequens est eam non esse Dexteræ Dei propriam. Nam finitam aut creatam gloriam sive potentiam dexteræ DEI velle assignare, nimis foret impium & blasphemum: Deinde

tam: ſed cœli terræque ambitum univerſum implentem. Eph. 4, 10.

SADEEL.

4. Seßionem ad dextram DEI Chriſtum à patre accipere: Pſal. 110, 1. Sede ad dextram meam: quæ quidem ſunt verba, non λόγȣ ad humanam naturam: Sed Patris ad Filium θεάνθρωπον, adeò ut ſeßio ad dextram, non poßit referri ad realem illam Divinarum proprietatum Communicationem, quam illi proponunt, ab Unione perſonali manantem.

Respondeo. Meræ cavillationes prorſus elumbes. Quid enim? Si DEUS pater dixit ad Filium „ Sede à dextris meis: ideoné λόγος hoc ipſum non dixit ad Humanam ſuam naturam? Haud opinor: Noſti enim Sadeel, Opera Trinitatis ad extra eſſe omnibus perſonis communia. Deindè ſi pater iſthæc dixit ad Filium θεάνθρωπον: Quæro cujus naturæ reſpectu? Non certè divinæ: Cui nulla, nulla prorſus in tempore exaltatio obtingere potuit. Reliquum ergo, Humanæ naturæ reſpectu ad Filium θεάνθρωπον iſthæc dicta eſſe.

SADEEL.

5: Chriſtum ſedentem ad dextram DEI

Vu ſungi

fungi officio Mediatoris pro nobis. RESPONDEO. Concedo: modò Sadeel Mediationis officium non ad solam divinam, sed ad humanam quoque naturam Christi accommodet: secundum expressam definitionem Apostoli: 1. Tim: 2, 5. *Unus est* DEUS, *& Mediator* DEI *& hominum*, HOMO *Iesus Christus:* & quidem non sensu Calviniano, quasi Humana natura duntaxat agat humana: sed quòd ea, divinâ planè virtute donata, ad perficienda Mediationis ἀποτελέσματα, efficacissimè concurrat. vide pag. 133.

S A D E E L.

6. *Summam illam gloriam, cuiusmodi est victoria de hostibus omnibus. &c: ad* DEUM *ipsum, divinamq́; ejus potentiam esse referendam.*

RESPONDEO. Modò addatur illud, PRINCIPALITER. Est enim DEUS fons & origo omnis divinæ potentiæ: ac proindè hæc ad DEUM primò & principaliter rectissimè refertur. Cæterùm quod hanc ipsam potentiam divinam λόγος cum assumta humanitate non communicaverit, ut & ipsa, (non quidem principaliter, sive Essentialiter: sed tamen personaliter) habeat divinam potentiam, quâ hostes potenter reprimere & conterere queat: secundum

Digitized by Google

cundum illud ejusdem Psalmi: *Dominare in medio inimicorum tuorum, &c.* illud à Sadeele nondum confirmatum. Nos hactenus contrarium evidenter demonstravimus, & porrò demonstrabimus.

SADEEL.

Ex his omnibus colligo: Sedere ad dextram DEI, dici de ipsa Christi persona, & pertinere ad officium Mediatoris, Regis, Sacerdotis, & ejus, qui est caput Ecclesiæ.

RESPONDEO. Meræ sunt imposturæ. Primùm enim sub hac declaratione Sadeel hanc fraudem malitiosè occultat, quòd in hoc ipso officio Mediatoris actiones divinæ, tantùm divinæ naturæ sint adscribédæ: Humanitati verò tantùm operationes humanæ, non verò divinæ. Edissere verò nobis Sadeel, Quomodo Christus sedeat ad dextram *VIRTVTIS DEI*, secundum carnem, si juxta humanam nihil ei commercii est, cum divina Majestate, cumq; ejusdem actionibus divinis? Hoc in æternũ nó explicare poterit Sadeel, quamdiu hanc Actionũ divisionem, imò discerptioné verè Nestorianã defendet. Deindè fallit & fallitur Sadeel, dùm ait sessioné ad dextrã Dei cóplecti tantùm exaltationem

Personæ Christi, respectu Regni & Sacerdotii, quo in Ecclesia fungitur Christus. Quanquam enim hęc aliqua pars est glorię exaltati Christi: Scriptura tamen ex hac sessione tribuit ei, tùm plura, tùm majora: videlicet omnem potestatem non in Ecclesia tantùm: sed universaliter in cœlo & in terra; Matth. 28, 18. assignat ei dominium super opera manuum DEI: Psal. 8, 7. dominium in medio inimicorum: Psal. 110, 2. dominium super omne, quod nominatur vel in hoc vel in futuro seculo. Eph. 1, 21. Tribuit ei subjectionem universorum. Hebr. 2, 8. pronunciat, Christo in dextera DEI omnia esse in manus tradita. Ioh. 13, 3. Summatim loquando, tribuit ei ex divinissima sessione, impletionem omnium in omnibus. Eph. 1, 23. & cap. 4, 10.

SADEEL.

Non dicendum in Abstracto, Humanam naturam Christi habere æqualem gloriam cum DEO: alioquin esset DEVS.

Respondeo. Edic ergo, qualis sit gloria, quæ Christo obtigit ex sessione ad dextram DEI: Aut erit æqualis: aut inæqualis: Si inæqualis: non erit gloria dexteræ DEI, quippe quæ sibi semper similis. Ergò æqua-

æqualis. Porrò ediſſere, cùm hæc æqualis gloria cum DEO, Chriſto obtigerit & quidem in tempore ex ſeſsione ad dextram DEI: ſecundum quàm naturam obtigerit? Depromat vel tandem animi ſenſa. Sed lucem fugit veſpertilio, & ſplendorem veritatis ferre nequit. Quare ceſpitat hinc indè, & ubi pedem figat, nuſpiam reperit: donec tandem miſellam æquivocationem particulæ *SECVNDVM* invenit, ſub qua ſeſe latere poſſe ſperat. Sed ô miſerum præſidium, ita undiquaque confoſſum, ut nuſpiam tutus eſſe queas. Quid particula (ſecundum) nobis in tertio genere Communicationis, denotet, probè novit: non videlicet proprietatem humanæ naturæ: ſed Reſpectum duntaxat ejusdem perſonalem.

De Abſtracto ſupra egimus ſatis prolixè: in diexodo Objectionis ſecundæ capitis quarti.

Sic nullatenus ſequitur: *Si Chriſtus ſecundum humanam naturam habet æqualem cum DEO gloriam: Ergo DEVS eſt.* Illud enim demùm DEVS eſt, quod Eſſentialiter & ex naturâ ſuâ æqualem cum DEO gloriam habet: non verò quod ex gratiâ, gloriam, illam DEI participat: quemadmodum Humanam naturam ex ſeſsione ad dextram DEI participare, conſtat. Verùm fuſiùs &

accuratiùs hæc objectio Sadeelis refutata, supra pag. 225. & seqq.

SADEEL.

At inquis, non rectè dicemus τὸν λόγον accepisse æqualem cum patre gloriam, postquàm Christus à mortuis resurrexit, & in Cœlum ascendit: quam potiùs habuit ab æterno. Respondeo, id non dici de λόγῳ simpliciter; sed de λόγῳ unito, ac proindè dici de λόγῳ propter Humanam naturam, quam assumsit. Quasi dicamus, æternam gloriam τοῦ λόγου, quam ipse ad tempus voluit esse minùs conspicuam, post resurrectionem Christi, & ejus ascensionem in cœlum plenissimè reluxisse.

Respondeo. Non procul abest à veritate Sadeel, dummodò verè crederet, quod hoc loco scripsit. Et nullum est dubium, quin, cum isthæc scripsit, graves senserit conscientiæ morsus & aculeos: quorum etiam tanta fuit vis, ut vel nolens fateri coactus fuerit: *Sessionis ad dextram DEI infinitam ac divinam gloriam, nō ad divinam λόγου naturam: sed ad humanam naturam pertinere, per quam, æterna illa gloria, in statu Exaltationis jam plenissimè reluceat.*

At quàm metuo, ut sub utraque ista phrasi, nempè 1. propter humanam naturam.

turam.& 2. plenissimè relucere, dolum & fraudem Nestorianam occultet Sadeel: cujus gustum fortassis mox percipiemus. Interim Sadeelis Confessionem, vi veritatis ipsi extortam, acceptamus: & contra Sophismata ipsius deinceps detorquebimus.

Illud duntaxat hoc loco notemus, phrasin illam (λόγος *gloriam suam ad tempus non voluit esse conspicuam*) limitatione opus habere. Nā si eā simpliciter ratione λόγου intelligit Sadeel, quòd nimirùm λόγος ratione sui, gloriam suam non semper exercuerit; tùm phrasis isthæc est hæreticissima, & Arianæ impietati portas bipatentes pandit, Sin verò respectu assumtę Humanitatis intelligit, quòd nimirùm λόγος suam gloriam per assumtam humanitatem in statu Exinanitionis non semper exeruerit: tùm eam ut Orthodoxam admittimus.

SADEEL.

Sic quod dicit Petrus, Actor. 2. 36. Fecit eum Dominum & Christum. non est intelligendum de Humana natura, per se: sed de persona θεανθρώπῳ.

Respondeo. Idem subindè dolus retexitur. Dictum Petri de persona intelli-

Digitized by Google

gendum esse, quis negat. Verùm de eo est quæstio: Num intelligendum illud sit de persona, respectu utriusque naturæ, & sic divinæ etiam? Affirmatè si responderit Sadeel: consequens erit, Christum secundum divinam etiam naturam in tempore factum esse Dominum: id quod impium, hæreticum, blasphemum. Sin Affirmativam hanc pro sua non agnoscit: teneat igitur Orthodoxam sententiam: Nempe Christum factum esse in tempore Dominum: secundum Humanam naturam: non quidem ut PER SE, (quemadmodum Sophisticè cavillatur Sadeel) hoc est, ex naturæ suæ proprietate: sed ex Gratiâ Unionis & sessionis ad dextram DEI, sit factus Dominus cœli terræq;.

SADEEL.

Non piget hîc accommodare similitudinem Lucernæ ab Eusebio propositam. Vt enim candelæ lumen ita longè lateq; diffunditur, ut inprimis lucernam ipsam illustret: ita quis dubitet Humanam Christi naturam divinæ gloriæ radiis inprimis illustrari? sed tamen semper adhibenda est differentia inter illustrans & illustratum.

Respondeo. Similitudinem pro ut eam Eusebius accommodat, non rejicimus:

mus: quanquam ea longè inferior est illis similitudinibus, quas alii Orthodoxi Patres ab unione Animæ & Corporis: Item à ferro ignito sunt mutuati. Nam in hac similitudine nulla est unio inter Lumen Candelæ, & inter Lucernam. Et Lucerna est merum παθητικόν τι, ut illustretur: ipsa verò non illustrat. Quemadmodum sanè Sadeel talem etiam illustrationem Humanę naturę fingit: quę eam quidem illustret: sed non reddat κοινωνὸν participem ipsorum radiorũ, ut & ipsa dici queat illustrans. Qua sanè in parte modis omnibus deficit similitudo: & ad præsens negocium nihil quicquam facit. Est enim Humana natura non modò illustrata radiis divinæ & æternæ gloriæ ac potentiæ: sed est etiam illustrans: licet non ex naturâ suâ: sed ex sessione ad dextram DEI: ut ipsa quoque radios potentiæ suæ, in gubernatione hujus universi, potentissimè exerat: secundum illud Psalmi *110, 2.* Emittet virgam virtutis suæ Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.

SADEEL.

Sed jam excutiamus rationem consequentiæ ab illis (Ubiquitariis) *propositam. Si hoc*

connexum valet: Dextera DEI est ubique. Ergo corpus Christi evectum ad dextram DEI est ubique: Similiter hoc connexum valebit: Dextera DEI est ab æterno. Ergo Corpus Christi est ab æterno. Ergo Dextera DEI fecit cœlum & terram.

RESPONDEO. Error παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non enim eadem est Ratio Æternitatis & Omnipræsentiæ, respectu assumtæ Humanitatis. Etsi enim intra λόγου Essentiam prorsus sunt unum & idem, & quiddam simplicissimè ταυτὸ: tamen quando isthæc Idiomata divina considerantur, respectu assumtæ Humanitatis: tùm non pariter & simul omnia agunt: Verùm ea tantùm, quæ per assumtam Humanitatem sunt ἐνεργητικὰ: qualia sunt, Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, vivificandi virtus. &c. Reliqua verò circa ipsam Essentiam divinam τοῦ λόγου ita simplicissimè manent & versantur: ut neque respectu assumtæ Humanitatis, neq; respectu reliquarum creaturarum, ullam ἐνέργειαν exerant: qualia sunt æternitas, Immensitas, Spiritualitas.

Undè Ratio diversitatis jam luculenta emergit: Quare Humana Christi natura per Unionem & sessionem ad dextram

DEI

DEI, facta sit Omnipræsens, Omnipotens. &c. non verò æterna. Fusius isthæc quæstio pertractata: Suprà pag. *230. 244. 246.*

Quoad illud alterum, *Dextera DEI fecit cœlum & terram*, Confundit Sadeel turpissimè Actum secundum, hoc est, Effectum creationis cœli & terræ: cum ipso actu primo: nempè cum ipsa Omnipotentia DEI. Creatio certè hujus universi non est proprietas Essentialis DEI: Verùm hujus caussa Efficiens, nempè Omnipotentia DEI, quæ est ipsissima dextera DEI, illa est proprietas Dei Essentialis. Quare cum ad hanc dexteram DEI consederit Christus secundum assumtam humanitatem: particeps utique evasit, hujus ipsius Omnipotentiæ, cujus virtute conditum est cœlum & terra. Proinde elumbe planè est consequens: *Corpus Christi non fecit cœlum & terram: Ergo non est etiam ubique*: ob rationes jam assignatas.

SADEEL.

Porrò non leviter hic peccant in ipsa disserendi ratione: παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου. Nam hoc loquendi genus retinendum fuit: Corpus quod sedet ad dextram DEI, sedet ubique.

R. E.

Respondeo. Neque nobis adversum est hoc concludendi genus mi Sadeel. Sic ergo hinc inferimus.

Quodcunque Corpus ſedet ad dextram DEI, illud ſedet ubique.

At Chriſti Corpus ſedet ad dextram DEI.

Ergo: Corpus Chriſti ſedet ubique: hoc eſt: Apoſtolo interprete: regnat ubique.

Sed excipit Sadeel. *Seßio Chriſti ad dextram patris in Cælo conſtituitur à ſcriptura: Item. Chriſtus ſtans ad dextram* DEI *viſus eſt à Stephano: idque in Cælo. Item: Chriſtus è Cælo nobis eſt expectandus: Nam juxta Symbolum Indè, hoc eſt, ex Cælo, venturus eſt, ut judicet vivos & mortuos.*

Responsio. Initiò Sadeeli tanquàm diſcipulo alapam impingat Calvinus, qui hanc Collectionem tanquàm ineptam ac inconvenientem explodit & rejicit: tribus adductis rationibus: 1. quod dextra Dei non ſignificet Locum: Sed poteſtatem æternam. 2. Quod ſedere & ſtare ad dextram Dei, non ad Corporis collocationem pertineat: ſed ſummam regnandi autoritatem exprimat. 3. Quod illud (*IN COELO* ſive *IN COELESTIBUS*) non eò tendat, ut dextram DEI cœlo includat: ſed ut

ut sciamus Christum ad Cœlestem Dei Gloriam evectum esse. Hæc Calvinus, qui certè Sadeeli discipulo suo manifestè contradicit.

Deindè manifestum est quòd παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου ipse Sadeel turpiter & se & alios fallat. Nam, (ut de singulis ratiunculis breviter aliquid dicamus) si ideò Christus secundum humanitatem non ubique sedebit ad dextram Dei: quia scriptura sessionem hanc IN COELO constituit: certè eâdem ratione colligi poterit, quòd DEUS pater non sit in terris, quia scriptura in Cœlis eum esse passim affirmat. Deinde scriptura nullibi exclusivam addit, quasi Christus tantùm in Cœlis sedeat ad dextram DEI. Quemadmodum ergo futilissima est Collectio: DEUS perhibetur in Scripturis esse in Cœlo: Ergo tantùm est in Cœlo: Sic pari futilitate laborat præsens collectio Sadeelis: Christus secundum scripturam sedet ad dextram DEI in Cœlo: Ergo tantùm sedet ad eandem dextram In Cœlo: non extra illud, non Ubique. Tertiò hanc puerilem Collectionem ipsa scriptura funditus evertit, quando Christum SUPRA OMNES COELOS ascendisse, & COELIS SUBLIMIOREM factum esse commemorat. Ephes. 4, 10.

Hebr.

Digitized by Google

Hebr. 7, 26. Præterea dùm Sessionem Christi in dextra DEI, includit loco cœli, certè Localem fingit Sessionem in illocali dexterâ Dei? Quo quid excogitari potest inconvenientiùs? Si enim Christus sedet ad dextram Dei, aut localiter in illa sedet, aut illocaliter. Hic nullum est tertium. Localiter autem non sedet ad dextram Dei, quia dextra Dei neque locus est neque localis thronus, cui ita localiter insideri possit. Relinquitur ergò quòd exaltatæ humanæ naturæ Christi sessio in throno dexteræ Dei sit illocalis. Si illocalis est Sessio, cur ergo ad locum restringit, & unius loci spacio eam circumscribit Sadeel? Quin si illocalis est sessio, utique jam citra loci vel hujus vel alterius respectum sedit Christus juxta exaltatam humanam naturam in ipsa simplicissima Dei dextra. Et quia Apostolo hoc sedere ad dextram Dei, idem est quod regnare, 1. Cor. 15, 25. Et quia porrò Christus ubique regnat, Psal. 72, 8, Sequitur etiam, quod ubique sedeat ad Dei dextram, & proindè ad dextram illam DEI Ubique præsens sit. Iccirco idem Apostolus, τὸ sedere ad dextram Dei, vocat implere omnia, Ephes. 4, 10. Et Scriptura luculenter perhibet, Christum sedere à dextris Dei, non in cœlo duntaxat: sed in medio ini-

mico-

micorum suorum, Psal, 110, 2, Quin & in medio Ecclesiarum. Apoc, 1, 13. Et rursum testatur Apocal. cap. 7, 17. *AGNVM IN MEDIO THRONI DEI* stare:; Quod verũ nõ esset, si forinsecus in Localitate cœli relicta Humanitas, per quandam παράστασιν duntaxat adhæreret dexteræ Dei.: Quin ita sedet ad dexteram Dei, ut in medio ejus loca etiam universa sibi plenissimè subiecta teneat: siquidem omnia sine exceptione ei sunt subiecta, & nihil omissum, quod ei subiectum non sit, Hebr. 2, 8.

Quoad *VISIONEM STEPHANI*; illa collectionem Sadeelis in fumum prorsus dissipat. Nam 1. historia testatur, hanc visionem factam esse *IN SPIRITV*. Quod si enim Corporale fuisset spectaculum: certè non magis Stephanus, quàm reliqui omnes, qui fuerunt in Concilio illo congregati, vidissent Christum stantem à dextris Dei. At verò textus contrarium affirmat. Deindè hactenùs contendit Sadeel, Corpus Christi sedere in supremo illo cœlo ad dextram Dei. Hoc si verum est: Stephanus certè videre ipsum non potuit: siquidem, cùm vix stellæ firmamenti, quæ magnitudine tamen sua, non dico finitum Corpus Christi, sed universam hanc terræ machinam excedunt, propter immensum intervallum à nobis conspici

conſpici poſsint: impoſsibile planè fuerit, videre externis oculis Chriſtum corpore ſuo in ſupremo illo cœlo, infinitis paraſangis cœlo ſtellarum altiore, ſtantem ad dextram DEI. Jam verò reverà eum vidit Stephanus: Ergo non in ſummo illo cœli loco, de quo fabulatur *S*adeel: ſed ut Auguſtinus ſcribit, lib. de cognit. veræ vitæ: cap. *43*. intuitu interioris hominis vidit Chriſtum in intellectuali cœlo.

Tandem quòd urget particulam *INDE*, cùm dicitur, *i*nde venturus eſt judicare vivos & mortuos: certè ſi Sadeel ſic interpretetur, ut Chriſtum indè, à dextra DEI, ad judicium venturum putet: ſequetur, Chriſtum tùm eſſe deſerturum dextram DEI: ſiquidem deſeret locum illum, in quo ſedet ad dextram DEI: cujus opinionis blaſphema futilitas ſuprà refutata fuit, verbis ipſius *S*ervatoris, affirmatis, ſe in nubibus apparentem ſeſſurum à dextris DEI. Lucæ *22, 69*. ſeſſurum in throno Majeſtatis ſuæ. Matth. *29, 28: 25, 31*.

Proindè illud *INDE*, non dexteram DEI reſpicit: ſed cœlum ſpectat, ex quo viſibiliter redibit: qui jam antè inviſibiliter in dextera DEI præſentiſsimè adeſt.

SA-

SADEEL.

Vt valeret eorum argumentatio: ita dicendum esset: Dextera DEI est ubique: Corpus Christi est dextera DEI. Ergo Corpus Christi est ubique.

Item, quia non est διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς: sed ex phrasium significatione est argumentandum: ita dicemus: Christus habet summum imperium, & summam gloriam. Illa autem sunt ubique. Corpus autem Christi suo modo est particeps hujus gloriæ. Ergo Corpus Christi est particeps ejus imperii, quod est ubique. Quia verò Gloria & Imperium Christi non est Corpus Christi, ideo malè ita connectitur, Imperium Christi ubiq; est: Ergo Corpus Christi ubique est. Error est παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Nam quærunt, quid sit dextera DEI: non autem, quid sit sedere ad dextram DEI.

RESPONDEO. Quid est nugari & ἀδολεσχεῖν si hoc non est? si vel sexcenta ejusmodi argumenta (fortè exercitii gratiâ) efformaret Adversarius: tamen nervum nō tangeret, & partim cavillando, partim perpetuis ludendo παρελέγχοις, oleum & operam perderet. Ut autem sentiat Sadeel nos non διαλέγεσθαι ταῖς μεταφοραῖς, sed ex phrasium significatione argumentari: neque tantùm quærere, quid sit dextra

DEI: sed &, quid sit sedere ad dextram DEI: lubet utique, initiò paucis ostendere, quid sit Dextra DEI, & quid sit sedere ad dxetram DEI. Deinde verò secundum quam naturam Christus sedeat ad dextram DEI: Et tandem rem totam Syllogismò ritè complecti.

Ac initio quidem *DEXTRA DEI* non est corporea quædam dextra. DEVS enim Spiritus est: Ioh. *4, 24.* Spiritus autem ut carnem & ossa non habet: sic neque dextram corporeæ dextræ similem.

Deinde Dextra DEI, ad quam consedit Dominus noster, non est quidam in supremo cœlo Locus, uti Calvinianorum nonnulli non modò imperitè, sed prorsus impiè fabulati sunt. Impium enim est, DEI increatam dexteram, nominare creatum, quantumvis beatum aut eximium locum, cùm loca universa sint creata. Dextera autem DEI est potiùs creatrix omnium.

Tertiò nec gloriam aliquam finitam aut creatitiam designat. Quandoquidem dextra DEI finita non est, ut nec creata unquàm. Proindè neq; dimensâ quapiam aut creatâ gloriâ describi potest aut debet.

Tandem igitur dextra DEI aliud est nihil, quàm infinita DEI majestas, virtus & potentia, creans, sustentans, operans & adimplens omnia in cœlo & in terra. Unde nullo

Digitized by Google

nullo loco ea dicitur eſſe incluſa, nec ab ullo ſecluſa. Pſal. *139,10.* imò omnia mutare poſſe, Pſal. *77,11.* id quod Omnipotentię divinæ proprium eſſe, pius quisq; agnoſcit. Quid? quòd in hoc ipſo articulo, de quo nunc agimus, dexteram DEI deſignare infinitam ipſius potentiam, Chriſtus ipſe teſtatur: Luc. *22,69.* Quamobrem & dextra Majeſtatis DEI appellatur. Hebr. *1,3: 8,1.*

Conſtat jam quid dextera DEI ſit & deſignet. Nunc ipſa *SEDENDI* vox explicanda venit. Quemadmodum autem thronus ille dexteræ DEI corporeus non eſt: Sic neq; ſeſſio in dextra, ſitum quendã corporeũ deſcribit. Sed ſedere idem eſt quod regnare, frequenti admodum & in ſacris literis celebri ſignificatione. Quomodo DEVS ipſe ſuper thronum ſedere, hoc eſt, regnare dicitur. Pſal. *9,5: 47,9.* Quod ipſum luculenter confirmat Apoſtolus, qui *1.* Corint. *15,25.* verba pſalmi *110,1.* (*Sede à dextris meis, donec ponam inimicos ſcabellum pedum tuorum*) hac paraphraſi nobis exponit, *Oportet illum REGNARE, donec poſuerit inimicos ſub pedes ejus.*

Ergo Paulus ſcribens Eph. *1,20: Sedere eum fecit ad dextram ſuam:* nihil aliud dicere voluit, quàm quòd æternus pater Chriſtũ ſecundũ eam naturã, ſecundum quam eum ſuſcitavit à mortuis, collocarit in infinitũ

thronum Omnipotentis dexteræ: in quo præsens regnaret, & dominaretur omnibus creaturis. Neque enim Dominationi huic Ecclesiam tantùm subjicit Apostolus: sed universas creaturas quantumvis potentes & eximias: adeò ut ne quidem Angeli cœlorum hinc sint exemti.

Alterum quod in disquisitionem venit, est, secundum quam naturam sublimis hæc Exaltatio Christo obvenerit? Et quidem Personam exaltatam esse, nos ipsi ultrò largimur. Quoniam autem quicquid de persona Christi in universa scriptura dicitur: id vel juxta Deitatem, vel humanitatem, vel juxta utramq; naturam simul personæ competit: nos certè invictis argumentis adversus universas Sadeelis machinas obtinebimus, Personam exaltatam esse, non ratione Deitatis: quæ immutabilis cùm sit, exaltari profectò in tempore non potuit: præsertim cùm ejusmodi glorificatio & exaltatio describatur, quâ Christus non ratione nostri: sed *SEIPSO* in statum meliorem verè translatus est. Hinc dicitur præstantior Angelis *FACTUS* in sua hac ad dextram DEI sessione. Hebr. *1, 4.* Hinc prædicatur, quòd Filio Hominis data sit æterna potestas. Daniel. *7, 14:* Quòd *FILIUS HOMINIS* sit constitutus, supra opera

ma-

manuum DEI, Pſal, 8,7. Quòd *FILIVS HOMINIS* ſedeat ad dextram potentiæ DEI. Luc. 22,69. Quòd Chriſto ſit data poteſtas judicii faciendi *QVIA FILIVS HOMINIS* eſt. Ioh. 5,27. &c: Quæ ſimul omnia convincunt potentiſsimè, Chriſtum ad DEI dexteram eſſe ſubvectum, juxta eam naturam, quæ in tempore hunc in modum exaltari poterat.

His ita fundamenti quaſi loco præmiſsis, ſententiam noſtram hoc Syllogiſmo, noſtri complecti ſolent.

Quicquid extra omnem localitatem ſedet ad totam DEI dexterã, (in partes enim ea non eſt dividua) id per localitatem nusquam à dextra DEI diſtat, nusquam ab illa abeſt, nec localiter impeditur, quô minus abſit, ubicunque dextera DEI præſtò eſt.

Atqui Humana Chriſti natura extra & ſupra omnem localitatem eſt & ſedet ad totam DEI dextram.

Ergo nulla localitas efficiet, ut Humana Chriſti natura uſpiam locorum à dextra DEI abſit: ſed ubique cum illa præſens ſit oportet.

Majoris evidentiam hinc probant: Etenim quomodo Localitas poſſit ullibi à dextra DEI ſeparare aut ſejungere id, quod omnem omninò localitatem in eâdem dexterâ DEI tranſcendit?

Digitized by Google

Minorem quod attinet, ſanè quòd Natura ſalvatoris humana ſedeat ad dextram DEI: paulò antè fuit evidentiſsimè oſtenſum. Quod autem ſedeat in dextra gloriæ citra omnem localitatis reſpectum, indè noſtrates confirmāt. Etenim cùm hæc Majeſtatis dextera ſit extra loca omnia; certè ſi quis humanitatem *CHRISTI* ſic ſtatueret eſſe ac ſedere in DEI dextera, ut interim nulla ratione vera & reali à Localitatis accidente, illam crederet liberatam: is contradictionis laqueo inexplicabili ſeſe irretiret. Sunt enim hæc manifeſtè ἀντιφατικὰ contradicentia, Ad illocalem dextrā ubi loca nulla ſunt, evehi: ac nihilominùs tantùm in loco eſſe, & in loco ſic relinqui, ut neque per ſeſsionem ad dextram à Localitatis conditione abſolvatur. Sic, ſi Humana Natura tantùm in Loco relinquitur: neq; ultra locum evehitur: Quomdo quæſo verè evecta creditur in DEI dextram, ubi loca nulla ſunt.

Eat nunc Sadeel, & porrò garriat Ubiquitarios tantùm διαλέγεσθαι ταῖς μεταφοραῖς, & tantùm quærere quid ſit Dextera DEI: non autem quid ſit ſedere ad dexteram DEI.

Quæ neſcio cujus Retorſionis loco ſubjicit Sadeel, *de Unione & Glorificatione. Animi-*

nimirùm Humana natura sedeat ad dextram propter Vnionem hypostaticam, an propter Glorificationem ipsius? nullius sunt momenti. Novit enim Sadeel & communicationem & Sessionem ad dextram DEI, esse Effectum Unionis: neq; aliam esse gloriam communicationis, aliam Sessionis: sed unam eandemque gloriam, eam videlicet, quam in primo conceptionis momento Christus secundum humanam naturam verè ac realiter per Communicationem accepit. Quæ tamen Gloria in scripturis antè Resurrectionem & Ascensionem in cœlos ideò nó dicitur Glorificatio sive sessio ad dextram DEI: quia intervenit status profundissimæ Exinanitionis: ratione cujus Christus plenarium usum communicatæ illius gloriæ exerere noluit: quanquam actu primo eam habebat: quemadmodum fusiùs ostensum supra pag. *102. 103.*

LOCVS II.

Joh. *3, 35. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum ejus. Non ad mensuram dat DEVS Spiritum.*

Matth. *28, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Digitized by Google

Matth. *11, 27. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.*

Phil. *2, 9* & 10. *DEVS eum summè exaltavit, & donavit ei nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quod Iesus Christus est Dominus in gloria DEI patris.*

Daniel. *7, 14. Dedit ei imperium & regnum, & omnes populi ei servient; & imperium ejus est æternum.*

Joh. *5, 27. Dedit ei potestatem exercendi judicium, quia Filius Hominis est*

Actor. *21, 36. DEVS hunc Iesum fecit Dominum & Christum.*

Ergo Corpus Christi est Vbique, Omnipræsens, Omnipotens.

RESPONSIO SADEELIS.

Fallit consequens: Primus error: Quòd cùm illi loci omnes agant de θεανθρώπῳ in concreto: concludunt illi de Christi corpore in Abstracto: quod vitiosum esse antè docuimus.

RESPONDEO. Imò contrarium nos docuimus, & ea, quæ personæ Christi in Tempore data sunt, necessariò de Humanâ naturâ esse intelligenda: ejusmodi rationibus evincimus, quas (sat scio) cunctæ *Sa*cramentariorum copiæ & legiones in

æter-

æternum non superabunt. Vide ea, quæ partim ad Locum præcedentem proximum dicta fuerunt: partim verò disputata supra pag. 80. usque ad pag. 104. Item quæ de Concreto & Abstracto satis prolixè dicta suprà in Refutatione Sophismatum Sadeelis, quibus secundam nostram objectionem elidere conatus fuit.

SADEEL.

Secundus error: Quia malè concluditur ab Imperio, Iure & potestate sive Autoritate (quæ significatur nomine ἐξουσίας) ad præsentiam Corporis. Quia Imperium Christi non est Corpus Christi.

RESPONDEO. Ludit Sadeel initiò, more reliquorum Sacramentariorum, sub voce ἐξουσίας: tacitè innuens ἐξουσίαν quidem datam esse Christo, hoc est, potestatem sive autoritatem: non verò omnem δύναμιν: Quanquàm non audet animi sensa palàm proferre. Sed scelus committi in hoc argumento, & detestandum crimen falsi, noverunt qui vel extremis duntaxat labris scripturas gustarunt. Luc. 22. 69. Servator ipse dextram ad quam secundum assumtam humanitatem consedit, nominat

dextram τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ. Sic. 1. Pet. 3, 22. legitur Christus ad dextram DEI, profectus in cœlum, ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων, καὶ ἐξουσιῶν, καὶ δυνάμεων.

Deindè nugacissima φλυαρολογία est: *Imperium Christi non est Corpus Christi: Ergo Corpus Christi non est Omnipræsens.* Quis enim ex nostris unquàm sic argumentatus *Imperium Christi est ubique: Corpus Christi est imperium Christi: Ergo Corpus Christi est ubique.* Cæterùm ut sentiat Gens sacramentaria, quis indissolubilis nervus nostræ Argumentationi insit: lubet certis syllogismis Conclusionem nostram ex dictis scripturarum suprà propositis confirmare.

I. Si Christo secundum humanam naturam exaltato omnia sunt subjecta: impium & sacrilegum fuerit ab hac subjectione eximere velle loca & locorum spacia, quasi hæc illi subiecta non sint: sed potius ita Christo dominentur, ut ejus præsentiam in terris & alibi intervertant.

At verò Christo secundum humanam naturam exaltato, adeò sunt omnia subiecta, ut Spiritus Sanctus nihil quicquam indè exceptum velit: præter eum qui ipsi subiecit omnia. Hebr. 2, 8. 1. Cor. 15.

Ergo subiecta sunt ei etiam simpliciter &

Digitized by Google

ad unum omnia loca: ac proindè impossibile, ut personalem ipsius in dextra DEI sedentis & regnantis Christi Hominis praesentiam in omnibus locis remorari aut intervertere queant.

Præterea cùm Christus quà Homo, regnet ac dominetur super opera manuum Dei; (hunc enim in finem potestas æterna ipsi data est. Daniel 7,14) certè aut præsens dominabitur operibus manuum DEI; aut absens, At verò non dominatur aut regnat absens. Aliàs enim non juxta conditionem regni Dei, neque juxta modum dexteræ DEI regnaret: sed ex more, conditione & sorte terrenorum regum hujus seculi: quorum corporibus assignatus est & Locus & thronus localis. Cùm autem Christo Domino Omnipræsens DEI dextra sit thronus & sedes regni. Ergo etiam juxta conditionem dextræ DEI regnabit præsens, & non per commentitiam quandam distantiam: quemadmodum tali modo regnare dicitur Rex Hispaniarum in novo Orbe sive novis insulis: ad quas tamen nunquam pervenit.

Hæc argumenta & has rationes expendat Gens Calvinistica, & periculum faciat, num ex verbo Dei contrarium ullo artificio extruere ac demonstrare valeat: Quod si fecerit, tùm profectò manus

ultrò

ultrò dabimus. Quamdiu verò hoc non præstiterit, frustrà Sadeel nobis molestus esse perget, rancidis suis glossulis, & ineptis Rationis phantasiis: quibus subindè obstrepit: *Humanam naturam esse participem Imperii & Gloriæ: sed quatenùs ejus conditio ferre potest.* Item *Thronum DEI ad judicium pertinere ad personam* θεάνθρωπον. Item *non in Abstracto sed in Concreto dicta hæc esse intelligenda, &c:* Nam ad isthæc singula hactenus plus satis responsum, eorumque stupenda futilitas ad oculum demonstrata.

SADEEL.

Si hæc verba Christi: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. & consimilia intelligenda sint secundum Humanam naturam per se in Abstracto, & de reali divinarum proprietatum Communicatione: Ergo Pater assumsit Humanam naturā. ἀδύνατον & ἑτερόδοξον.

RESPONDEO. Quemadmodum in Incarnatione Filii tota Trinitas fuit operata: secundum illud Angeli: Luc. 1, 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi:* & tamen non propterea tota Trinitas, sive tota Essentia divina absolutè, & prout communis est omnibus tribus

bus personis: Sed solus λόγος sive Filius: vel quod , idem est, Essentia Divina in persona Filij relatè considerata Incarnata fuit: Ita licet in exaltatione assumtæ Humanitatis totius Trinitatis actio concurrat: interim tamen in hac ipsa exaltatione non communicantur assumtæ Humanitati Idiomata divina, quatenus omnibus tribus personis sunt communia: sed quatenus Characteristicâ & Relativâ differentiâ Filij determinantur. Distinguenda sunt proindè idiomata Deitatis modis ὑπάρξεως & Relationis: Quâ distinctione observatâ, planum fit, quo modo & Pater & Spiritus Sanctus, ad exaltationem Humanæ naturæ, unà cum λόγῳ concurrant: neque tamen vel Pater vel Spiritus sanctus: sed solus λόγος Humanam naturam personaliter assumtam habeat: quippè quam non in Essentiæ divinæ unitatem, sed in personæ suæ singularitatem assumsit, uti in concilio Toletano VI. piè definitum fuit.

SADEEL.

De Loco Philip. 2, 6. usque ad 12.

Locus

Locus iste (inquit Sadeel) *de Persona, non autem simpliciter secundum Humanitatem est intelligendus, quemadmodum doctissimi quique Veteres censuerunt.*

Respondeo. Neque nostrum quisquam *SIMPLICITER* de Humana natura sine respectu personæ Locum hunc intellexit: Verùm semper docuimus ac etiam nùm docemus, exponendum esse de Christo, & sic de persona: quemadmodum sanè Apostolus ipse subjecti loco ponit *CHRISTUM*. Quòd cum utrinque in Confesso sit, novus iam emergit status Controversiæ: Utrum Exinanitio & subsequens Exaltatio obtigerit personæ Christi, secundum Divinam: an secundum Humanam: an secundum utramque Naturam simul:

Hìc nos Categoricè respondemus: Exinanitionem & Exaltationem esse intelligendam de personâ Christi respectu Humanæ naturæ. Siquidem divina natura nullo pacto in tempore vel exinaniri vel exaltari potuit.

Quod si iam disputatorem non verò Sophistam agere maluisset Sadeel: non debuisset subindè illud ingeminare: *Locus iste intelligendus est de persona, de θεανθρώπῳ:* Non debuisset etiam illud impugnare, quod

quòd à nobis non statuitur, *Locum istum esse intelligendum de Humanâ tantùm* (nempè extra personam) *naturâ.* Sed hoc probare debuisset: Locum istum accipiendum esse de personâ: & quidem respectu Divinæ: non verò respectu Humanæ naturæ. Hic enim proprius est loci huius status. Siquidem plærique ex Calvinianis textum Paulinum de λόγῳ simpliciter, quâ λόγος & DEVS est, intelligendum esse autumarunt: Quemadmodum Sadeelem quoque iudicare, iam audiemus.

SADEEL.

Sic Paulus: Qui cùm in formâ DEI esset, non duxit rapinam, æqualem esse DEO: sed seipsum exinanivit, formâ servi assumtâ: *Hæc Paulus: Quem quis non videt agere de æterno DEI Filio, qui novissimis temporibus Humanam naturam assumsit.*

RESPONDEO. 1. Multos ex patribus, & cumprimis Athanasium ac Basilium, Formam servi de Humanitate assumta suo quodam consilio exposuisse, non nego: verùm de eo est quæstio, núm satis propriè hunc locum Paulinum intellexerint: satisq; dextrè interpretati fuerint? Ubi sanè nos cogimur affirmare, ipsos vim & emphasin præsentis textus

textus haud satis esse assecutos: id quod mox invictis rationibus demonstrabimus: Si illud priùs admonuerimus, illos ipsos patres, qui hunc locum de Incarnatione λόγȣ intellexerunt, nunquam tamen (in morem Calvinianorum) ad impugnandam Majestatem assumti ex Maria Hominis, illum ipsum locum rapuisse. Athanasius certè super illa verba hujus loci, quæ agũt, de exaltatione Christi, nobiscum planè eadem scribit: lib. de nat. hum. contra Apoll. *De Templo hæc dicit, quod est Corpus ejus: Non enim excelsus exaltatur: Sed CARO excelsi exaltatur.*

Sic Theodoretus in hunc ipsum locum: *Cùm Filius DEI humanam naturam suscepisset, qui erat humilis, exaltatus est, & qui erat altißimus, seipsum humiliavit: Non ergò accepit, quæ prius non habebat: sed accepit, VT HOMO, quæ habebat, ut DEVS: vel STVLTISSIMIS clarum est, divinam naturam nullius egere.*

D. Hieronymus in hunc itidem locum sic scribit: *Quia ASSVMTVS HOMO se humiliare dignatus est: Divinitas quæ humiliari non potest, eum qui humiliatus fuerat, exaltavit: sed & illi donatum est nomen: quia antea illud non habuit: Vnde RECTIVS hic locus*

SE-

SECVNDVM HVMANAM NATVRAM intelligendus est, quàm divinam.

Basilius lib. 4. contra Eunomium: *Si post incarnationem propter obedientiam nomen supra omne nomen Filio Pater largitus est. DEO existenti, ut omnis lingua ipsum confiteatur Dominum: tùm ante Incarnationem nec nomen super omne nomen habuit? nec confessionem ab omnibus, quòd esset Dominus? Major igitur factus post Incarnationem? Quod absurdum est. Tale est & hoc: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. DE HVMANITATE igitur, non de Deitate hoc intelligere oportet.*

Proindè facilè toleramus incommodiorem illam Loci hujus Apostolici interpretationem in patribus: quoad phrasin: (Forma servi assumtá) quippè quâ adversus Majestatem Filii Hominis non abutuntur: In Sacramentariis verò, quippè qui perduelli χειρομαχίᾳ Majestatem Filii Hominis impugnare student: ferre itidem & silentio eandem interpretationem tegere nec possumus, nec debemus.

Verùm quoad ipsum Locum Apostolicum, certè ex ipsâ ejus συνεπείᾳ, ejusmodi rationum & argumentorum momenta sese offerunt, quæ luculenter arguunt, Formam servi hîc propriè non Humanitatis assumtæ substantiam, ac proindè non ipsam

τῦ λόγυ Incarnationem: Sed ejusdem servilẽ in statu Exinanitionis conditionẽ denotare. Placet fundaméta ista paucis repetere, & Sophismatis Sadeelianis opponere.

Ac primùm quidem totius hujus dicti Subjectum luculenter id evincit: quod est *Christus* ex utraq; naturâ jam constans. De *Christo* ergò affirmat Apostolus quòd Formam Servi assumserit. Ubi certè Christus, qui jam modò verus Homo erat, non prædicatur demùm assumsisse humanã Naturam: sed secundum hanc ipsam humanam Naturam sese exinanivisse, hoc est, habitũ & conditionem servilem, unà cum omnibus humanis infirmitatibus (excepto peccato) affectibus & passionibus induisse; id quod expressit Apostolus, mox versu 8. asserens, *Christum τῷ σχήματι habitu compertum fuisse ut hominem.*

Deindè λόγος nuspiam in universa scripturâ dicitur esse IN Forma DEI: Quin potius est ipsissima imago DEI inconspicui. Coloss. 1, 15. Hebr. 1, 3. Consequens proindè est, notari hac phrasi, ESSE in forma Dei, Christum secundum assumtam humanitatem. Est. n. hæc personaliter unita cum λόγῳ, qui est χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα ὑποστάσεως τῦ πατρὸς: Hebr. 1, 3. Qua mediau-

diante arctissimâ Naturarũ *κοινωνίᾳ*, & ut Damascenus loquitur, mutuâ *περιχωρήσει*: certè Humana Natura in Formâ DEI esse, piè creditur.

Tertiò: Humanitatem suam Christus etiã in Majestate retinet: cùm servilem formam abjecerit, quando ad dextram DEI subvectus, super opera manuum DEI, Dominus factus & constitutus est: Psal. 8, 7.

Quartò verbum emphaticum (*ἐκένωσε*) *evacuavit*: hoc ipsum evidentissimè demóstrat: quod ad immutabilem Deitatem referri nequit.

Quintò confirmat idem periphrastica descriptio Exinanitionis, quâ scilicet Christus, se non simpliciter humiliavit: Sed *ad mortem crucis humiliavit*: quod juxta carnem factum esse, sani omnes intelligunt.

Tandem id ex subsecuta exaltatione planum reddi potest. Quia enim sequens Exaltatio Christo, non quà DEVS, sed quâ Homo est, obtigit: ideò præcedentem exinanitioné pariter ad Christũ Humanitatis ratione esse referendã, infallibiliter cõstat.

Hæc, hæc inquàm fundamenta evertere debuisset Sadeel, si, quod pugnat, obtinere voluisset: Verùm cùm hæc ne extremo quidem digitulo attingere audeat, planum est ipsum trepidante conscientia *ἀεροβατεῖν*.

SADEEL.

Si Apostoli verba de Humana natura aliquis accipiat, hæc incommoda consequentur. Primùm sequeretur Humanam naturam esse æqualem DEO. *Sic enim Paulus. Non rapinam duxit, parem esse cum* DEO. *At hoc est plusquàm absurdum.*

RESPONDEO.

Libenter Sadeeli concedimus, λόγον, qui solus est æqualis DEO patri, sese exinanivisse. Hoc autem est, quod in disceptatione versatur: cùm in λόγῳ incarnato Jesu Christo, duæ sint Naturæ, Divina & Humana: secundum utram harum intelligendum sit illud ἐκένωσεν evacuavit? Nos certè ex fidei analogiâ pernegamus, λόγον ratione Deitatis se exinanivisse: quandoquidem secundum immutabilem Deitatẽ exinanire vel evacuare se, non potuisset, nisi æterna Deitas ipsius quandam mutationem fuisset passa: quod sentire vel profiteri, Arianum est.

SADEEL.

Item sequeretur, Humanam naturam assumsisse Humanam naturam ex his verbis, sumta Servi Forma.

RE-

Digitized by Google

Respondeo.

Ex nostra sententiâ hoc non sequitur: Siquidem per servi Formam non intelligimus humanam naturam ratione substantiæ: sed ratione servilis conditionis & sortis. Subjecti enim Loco constituimus λόγον jam incarnatum, vel ut Apostolus loquitur, Christum. Verùm ex Adversarii sententiâ hoc Absurdum manifestè sequitur: quamdiu per assumtam formam servi intelligunt Humanam naturam secundum substantiam. Nam Apostolus de CHRISTO (constante jam ex utraque naturâ) affirmat, quòd Formam Servi assumserit. Jam vero ex sententia Adversarii prædicatum, hoc est, Forma servi, notat ipsam humanam naturam, ratione substantiæ. Ergo ex sententiâ Adversarii, Christus qui modò habebat humanam naturam, denuò assumsit Humanam naturam; ἄτοπον καὶ ἀδύνατον.

SADEEL.

Sequeretur Humanam naturam esse in Forma DEI, hoc est, esse DEUM. Item, esse Aeternam: Item Humanam naturam non concipi potuisse &c.

RESPONDEO.

Iam modò plus centies ad iſta inania obiecta paſſim in hoc Tractatu eſt reſponſum, Nolo eadem cum Sadeele nugaciter repetere.

Reliqua quæ ſubjicit περὶ τοῦ ὁμοιώματος καὶ σχήματος: plæraque verum Elenchum non habent: & cum noſtra ſententia non pugnant: Nam τὴν μορφὴν δούλου, καὶ τὸ ὁμοιώμα καὶ σχῆμα, præſupponere veram eſſentiam humanæ naturæ, nemo ex noſtris negavit unquam? Neque hoc quæritur: ſed illud; Utrum ἡ μορφὴ δούλου: καὶ τὸ ὁμοίωμα καὶ σχῆμα ἀνθρώπου hoc loco notet propriè ipſam eſſentiam naturæ humanæ: an verò ſervilem ejus conditionem. Quod poſterius nos tenemus, iis moti rationibus, quas iam modo planas dedimus.

Sic verè nugatur Sadeel, quando ſcribit vi veritatis & textus perſpicuitate coactus; *Si per ſervilem formam intelligunt mortalitatem & cætera ejusmodi, quibus Chriſtus defunctus eſt tùm, cùm in terris verſaretur: tùm Servilis Forma poſt reſurrectionem fuit depoſita: ſed ſimul affirmo ſervi formam hoc eſt Humanam naturam non fuiſſe depoſitam.* Nã non in controverſia eſt, utrùm Natura humana ſuo reſpectu poſſit nominari ſervi Forma: Sed utrùm

utrum hoc loco, in hoc significatu phrasi hac utatur Apostolus? Ubi negantem ideò tenemus, quia constat hanc servi formam, de qua hoc loco agit Apostolus, post resurrectionem fuisse depositam, retentâ Humanâ naturâ?

SADEEL.

Aeternus Dei Filius dicitur exinanitus non simpliciter, sed propter Humanam naturam, quam assumsit: & dicitur exaltatus in Humana natura, quam sua gloria illustravit, quoad Humanæ Essentiæ ratio ferre potuit.

Respondeo.

Exinanitionem proprie de Filio DEI prædicari iterum atque iterum nego. Deindè ne quidem ratione assumtæ Humanitatis Filius Dei sese respectu sui, unquàm exinanivit. Hoc enim simplicissima ipsius Essentia ferre nequit. Sed λόγος jam incarnatus teste Paulo se exinanivit, dùm secundum Humanam naturam, quam iam modo assumserat, servilem hominum formam, similitudinem & figuram humilem spontè subjit, adeò ut majestatem beneficio Unionis hypostaticæ collatam, hic *HOMO IESVS CHRISTVS* gloriosissimè ostentare; potétissimeq; declarare in rerum omniũ gubernatione potuerit, si voluisset:

Verùm ejus plenario usu se spontè abdicavit ad tempus, ac cæterorum hominum more, humanâ conversatione uti, & sic omnis generis infirmitatibus, miseriis, ærumnis & adversitatibus sese exponere voluit.

Tùm valdè Sophistica est phrasis: *æternus DEI Filius exinanitus* PROPTER *Humanam naturam, quam assumsit*: cujus ambiguitatem dum non explicat Sadeel: certè morbidam causam adversus conscientiæ testimonium se tueri, apertè testatur: præsertim cum paulò pòst disertè neget: *Carnem esse exinanitam*: Ergò necessariò Exinanitionem λόγου, ad ipsam ejus Essentiam referendam esse censet: Quod blasphemum & Arianum esse, sæpiùs diximus. Et quis quæso hic est Spiritus vertiginis: affirmare, λόγον esse exinanitum propter Carnem: hoc est, ut ego quidem interpretor, respectu carnis, sive in Carne: & mox simpliciter negare, carnem esse exinanitam: Nullo certè pacto conciliari ista possunt.

SADEEL.

Vt opposità nube, Sol dicitur obscurari, idq; non in se: sed Relatè, *videlicet propter nubem: Ita ὁ λόγος dicitur exinanitus propter Humanam natu-*

naturam. Et quemadmodum nemo rectè dixerit, ipsam nubem obscurari: Ita Exinanitio non est tribuenda carni Christi, licet propter carnis assumtionem & ἐνσάρκωσιν ὁ λόγος dicitur exinanitus: non autem Caro dicitur exinanita.

RESPONDEO.

Tussis hæc est pro crepitu: & manifesta ἄγνοια ἐλέγχου. Nam D. Apostolus de tali Exinanitione hoc loco ex professo agit, quæ constat Obedientiâ ad mortem usque crucis: non de assumtione humanæ naturæ. Quare si candoris guttula istis hominibus superest: ostendant: nùm hæc Exinanitio λόγου Incarnati, sive Christi, quæ facta est ad MORTEM usque, competat Christo secundum divinam, an verò secundum humanam naturam. Sed malunt turpiter δυσχεραίνειν, & verborum ampullis in medium projectis, Lectori nebulas offundere, quàm Catagoricè ad propositum ζήτημα respondere: id quod cauteriatæ conscientiæ indicium est longè evidentissimum.

Quoad similitudinem allatam, ea sensu Sadeeliano multis modis est vitiosa. Falsum enim est, Humanam naturam haud magis esse in statu exinanitionis exinanitam: quàm nubes Soli opposita obscuratur:

 hoc

hoc est, ipso Sadeele interprete, carnem nullo planè modo fuisse exinanitam. Falsum, quod in statu Exinanitionis Divinitas τοῦ λόγου ratione sui Essentialis splendoris fuerit obscurata: quemadmodum radii solares per oppositam nubem quasi inhibentur & intervertuntur. Etsi enim communicata Majestas divina τοῦ λόγου, tempore Exinanitionis, quasi quievit: dum eam λόγος per assumtam humanitatem non exeruit: interim tamen λόγος ipse ratione sui nihil obscurationis aut exinanitionis unquàm est expertus. Tùm deficit similitudo in eo, quòd nubes, etiam expirante illa oppositione sive obscuratione non redditur dilucidior: Humana verò natura, depositâ servi formâ, plurimum lucis & splendoris est adepta: dùm nimirùm exaltata ea fuit, & datum illi nomen, quod est supra omne nomen: &c.

S A D E E L.

Quod si urgent verbum Exinanivit: atque ita concludunt: Seipsum exinanivit: Ergo ad Humanam naturam referendum est: quia Deitas non potest esse exinanita: Ego vicissim sic urgebo: Filius DEI descendit de cœlo. Ergo id referri

referri debet ad Humanam naturam, quæ de cœlo descenderit, quia Deitas non potest descendere. At falsum est, Humanam naturam de cœlo descendisse.

RESPONDEO.

Confundit Sadeel figuratam prędicationem cum propria. Nam quando scriptura affirmat Filium DEI descendisse de cœlo: non intelligit localem aliquem descensum, qui certè in Divinitatem Filii non cadit: sed notat specialem quandam manifestationem præsentiæ suæ. Quo sensu DEVS Pater etiam in scripturis descendere legitur. Quod si jam loco figuratæ locutionis substituatur propria: ut Filius DEI dicatur manifestasse suam præsentiam: tùm argumentum Sadeelis spontè sua corruit & in fumum abit.

Cæterùm quoad præsentem locum, non certè figuratam, sed propriam ἐκένωσιν describit Apostolus, quippè quæ ipsa constabat morte Christi. Quod num divinæ Christi naturæ sit adscribendum, si dubitant Sacramentarii, amplius deliberent, & animi sensa nobiscum, si placet, communicent.

Tùm quòd Sadeel scribit, *Simpliciter falsum esse, Humanam naturam de*

cœlo

Cœlo descendisse: illud quidem suo loco adversus Valentinianorum hæresin dictum, minimè rejicitur: At verò interim nosse debebat, tantam esse tamque arctam duarum naturarum ad se invicem *κοινωνίαν* & communionem: ut Servator ipse non dubitet asseverare, Filium Hominis descendisse de cœlo. Joh. *3, 13.* Plura quæ ad dissolutionem hujus objecti faciunt, quære infrà in diexodo Loci VII.

Retorsio Sadeelis ex omni parte claudicat: dùm Unionem & Glorificationem sibi invicem inscitè ac prorsus ineptè opponit. Nam Unionem & Glorificationem tantùm differre ut causam Efficientem & Effectum: ac proindè Tempore simul esse (ratione Actus primi) non ignorare debebat Sadeel. Quare dùm contendit Ubiquitatem non manare ab Unione personali, sed à Glorificatione: ac per consequens, à nobis ipsis tolli realem proprietatum communicationem: certè detestandam sive inscitiam sive malitiam manifestè prodit: Etenim Glorificatio non est alia quæpiam Gloria, quàm illa ipsa, quæ Christo secundum Humanam naturam per Unionem & subsecutam communicationem Idiomatum realiter obtigit. Quam gloriam cùm Christus post Resurrectionem

nem demùm, ratione Actus secundi sive plenarii usus, exeruerit: factum ut Omnipræsentiæ etiam Effectus sive Actus secundus, qui definitur per dominium illud ad creaturas, referatur ad Glorificationem: quæ tamen uti dixi, & Unionis & Communicationis Idiomatum Effectus est: ac proindè Unionis etiam & Communicationis Idiomatum gloria æquè piè dicitur: ac Glorificationis gloria. Siquidem non duæ: sed utrobique una est gloria, una Majestas.

LOCVS III.

Joh. 17, 5. *Glorifica me apud temetipsum eâ gloriâ, quam habui apud te priusquàm hic mundus esset.*

Ergo illa gloria communicata est Humanitati glorificatæ, & vi consequentis, Corpus Christi est ubique.

RESPONSIO SADEELIS.

Idem error qui supra: Nec enim rectè concluditur à persona ad alteram ex Naturis.

RESPONDEO.

Rectis-

Digitized by Google

Rectiſſimè concludi à perſona ad alteram ex Naturis, ſed in perſona ſubſiſtentem: hactenus inviĉtè demonſtratū. Deindè ne quidem ipſe Sadeel hanc ſuam pulchellam regulam obſervat. Nam ſuprà in diſputatione de Communicatione Idiomatum: phraſes iſtas, *Chriſtus eſt Omnipotens, eſt Omnipræſens*: ſic κατ' ἄλλο explicandas eſſe contendit. *Chriſtus eſt Omnipotens & Omnipræſens, ſed ſecundum divinam naturam.* Sic ergo ipſi Regulas, quas nobis præſcribunt, non obſervant: & ſic (quod Sadeel falſò noſtris tribuit) συλλογιζόμενοι ψελλίζονται.

SADEEL.

Quod ſi locus iſte intelligendus eſt de Humana natura Chriſti in Abſtracto: Ergo Humana Chriſti natura gloriam habuit ante mundi conſtitutionem.

RESPONDEO.

Locum iſtum non de Humana natura Chriſti in Abſtracto, hoc eſt, (uti Sadeel ſophiſticatur) extra perſonam Chriſti eſſe intelligendum: ultrò largimur. Sic enim ſequeretur id, quod infert Sadeel. Cæterùm de perſona illum accipiendum eſſe concedentes, quærimus, Num Chriſtus

petat

Digitized by Google

petat se glorificari, respectu divinæ, an respectu Humanæ naturæ? Ad hanc quæstionem Categoricè quæso respondeant Adversarii: dummodò aliquâ adhuc veritatis curâ ac amore se tangi, videri velint. Nos de Christo secundum humanam naturam hunc locum exponimus; moti ipsa textus perspicuitate.

Primùm enim non rogat Christus se glorificari apud homines, sive coram hominibus: sed apud Patrem: (*Apud temetipsum glorifica me.*) Constat proindè de ea glorificatione agere Christum, quâ respespectu sui ipsius apud patrem glorificetur. Quo sanè modo Christus ratione divinæ Naturæ nunquam apud patrem glorificari potuit: Siquidem ejusdem semper potentiæ & gloriæ cum æterno patre fuit & mansit, extra omnem mutationem. Relinquitur ergò Christum petere glorificari juxta assumtam humanitatem.

Deindè disertè exprimit Christus gradum sive genus gloriæ, quo se juxta Carnem glorificari velit. Sadeel finitam intelligit, & quam Humanæ naturæ conditio ferre possit. Christus verò infinitam, increatam, & ut uno verbo dicam omnia, divinam planè gloriam sibi

ſibi juxta humanitatem dari petit: Eam nimirùm, quam apud Patrem, reſpectu Divinitatis ſuæ habuit, antequàm hic mundus eſſet, ab omni nimirum æternitate.

Suffragantur huic expoſitioni Patres: ut Baſilius lib. 4. contra Eunomium: *Si gloriam, quam habuit antequàm mundus fieret, amiſit: Ergo &* Deitatem. *Inſeparabilis enim eſt gloria à Deitate. Apparet ergò quòd juxta HVMANITATIS diſpenſationem, non ſecundum Deitatis defectum hoc dixerit.*

Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 9. *Filius NON SIBI à patre gloriam petebat, quia ſicut natura DEVS non indigebat: Sed PATERNAM GLORIAM IN HOMINEM QVEM ASSVMSIT, petendo ut Homo, traducit.*

Athanaſius in Orat. contra Gregales Sabellii. *Filius qui erat ante mundum apud Patrem, atque etiam tùm gloriam DEI poſſidebat, de ſe teſtimonium tale perhibet: Glorifica me Pater, gloria illa, quam habui, antequàm mundus exiſteret apud te. Quibus verbis gloriam equidem SECVNDVM HOMINEM poſtulabat, cùm tamen teſtaretur ſe gloriam ſecundum DEVM ante mundum habuiſſe.*

Quibus ita fundamenti loco poſitis, verum quidem manet, quod Sadeel ſubindè inculcat, nempè Glorificationem hanc ad perſonam θεάνθρωπον pertinere: Falſum verò

verò & hæreticum: Naturam humanam non majorem gloriam accipere potuisse, quàm quantam Naturæ ipsius conditio ferre potest: hoc est, finitam & creatam: non verò infinitam & divinam.

SADEEL.

Emergit & alius error consequentis: Nec e-*nim consectarium est: Caro glorificatur: Ergo Caro est ubique: Quoniam ubiquitas non est gloria humanæ naturæ: quia Vbiquitas Naturam humanam evertit.*

RESPONDEO.

Maximè consectarium est: id quod probo hoc Syllogismo. *Quicquid glorificatū est eâ gloriâ, quam Christus secundum divinam naturam ab æterno habuit: illud glorificatum etiam est, gloriâ Vbiquitatis sive Omnipræsentiæ.*

At verò Christus secundum humanam naturam, glorificatus fuit eâ gloriâ, quam juxta Deitatem ab æterno habuit.

Ergo Christus secundum humanam naturam glorificatus etiam fuit gloria Omnipræsentiæ.

Majoris connexum per se patet. Nam divina gloria esse nequit, nedùm gloria Filii DEI propria, quæ Omnipræsentiam non habet.

Minorem jam modò antè potentissimè confirmavimus. Constat ergò conclusioni sua immota veritas & certitudo.

Quod verò obstrepit, *Vbiquitatem evertere humanam naturam*: simplicissimè negamus: modò ea intelligatur Ubiquitas, vel potiùs Omnipræsentiæ Majestas, pro quâ nos pugnamus: non crassa & Cyclopica illa, quam in suo cerebro sibi finxerunt Sacramentarii.

Sic frustrà objicit, *Ex nostra sententia Humanæ naturæ Deitatem esse tribuendam*. Nunquàm enim (uti Sadeel hoc loco callidè & astutè infert) statuimus Locos de glorificatione Christi, esse secundum Humanam Naturam *ABSOLVTE*, hoc est, respectu proprietatum humanæ naturæ, intelligendos. Ab hac suspicione facilè nos liberabunt ea, quæ hactenus de Majestate Christi Hominis disputavimus.

Tandem repetit suam cavillationem de *Vnione & Glorificatione*, quæ duo tanquàm contradictoria inscitè ac ineptè opponit: cùm subalterna duntaxat sint: Repetit etiam æquivocationem particulæ (*Secundum*): Ad quæ omnia cum hactenus aliquoties sufficienter responderimus, pluribus ea hoc loco repetere, haud attinet.

Digitized by Google

LOCVS IIII.

Omnis plenitudo Deitatis habitat in eo Corporaliter σωματικῶς. Coloß. 2, 9. Ergo Corpus Christi ubique est.

RESPONSIO SADEELIS.

Agnoscimus λόγον esse verè & Hypostaticè cum Humana natura unitum in Christo, adeò ut hoc enunciatum sit verißimũ: Christus est DEVS benedictus.

RESPONDEO.

Error *παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου*, & *παρὰ τὸ ἑπόμενον*. Nam etsi ex hoc dicto per consequentiam probari potest, imò rectissimè contra Arianos & alios hæreticos probatur, Christum verum esse DEVM: ipsa tamen textus ac verborum emphasis evidentissimè confirmat, Inhabitationem hanc omnis plenitudinis Deitatis in Christo, longè aliquid majus innuere: & respectu carnis eam esse intelligendam: Ac proindè Locum hunc de Christo secundum assumtam humanitatem, non verò Divinitatem própriissimè esse intelligendum.

Primùm enim absurdum planè est dicere, plenitudinem Deitatis habitare in Deitate, cùm Deitas & plenitudo Deitatis simplicissimè sit unum quid. Unde consequens, Deitatis πλήρωμα habitare IN CARNE.

Deindè *Habitandi* vox nullo artificio potest aliò detorqueri, quàm ad assumtam carnem. Neque enim referri ea potest ad unitatem essentiæ, ratione cujus aliâs Pater dicitur esse in Filio: nusquàm enim in Filio juxta Deitatem habitare dicitur.

Habitandi enim vox domicilium innuit. Quo modo nec Pater in Filio κατοικεῖ: neque Deitas tribus personis communis Essentialiter dicitur κατοικεῖν habitare in singulis personis. Est enim & manet ἀξίωμα αὐτόπιστον, quòd id, quod habitat in aliquo, & id, in quo fit illa habitatio, sint reverà diversa. Cù vicissim λόγος à Deitate toti Trinitati communi reverà sive realiter nihil differat. Quare inconvulsum manet consequens nostrum, Deitatis plenitudinem non in Deitate λόγου vel λόγῳ ipso κατοικεῖν: Sed in Carne, tanquàm in domo sua, tanquàm in templo suo, tanquàm in proprio corpore suo.

Tan-

Digitized by Google

Tandem hoc ipsum evincit Adverbium σωματικῶς *Corporaliter*: quod non modum, sed organum & subjectum notat: nempe, hanc Inhabitationem plenitudinis Deitatis, obtigisse Christo, ratione σωματικῆς φύσεως sive corporeæ naturæ.

Suffragatur Cyrillus, lib. 2. ad Reginas: *In quo inhabitavit Omnis plenitudo Deitatis Corporaliter? Propriè quidem & seorsim in natura verbi putare hoc esse factum, valdè stultum foret. Nam perindè esset, ac si diceres, quod ipse unigenitus habitavit in seipso.*

Idem lib. 12. Thesauri: cap. 15. *Corpus Christi Templum est verè: In ipso enim voluit habitare Corporaliter tota plenitudo Deitatis, ut ait Paulus.*

Leo M. Serm. 10. de Incar.. *Totum Corpus implet tota Divinitas: Et sicut nihil deest ipsius Majestati, cujus habitatione repletur habitaculum: Sic nihil deest Corpori: quod non suo habitatore plenum sit.*

Athanas. de suscepta humana natura contra Apollin. *Quæcunque scriptura dicit accepisse Filium*: RATIONE HVMANITATIS *illius, non Divinitatis loquitur, ut, cùm dicit Apostolus: Quòd in Christo habitet omnis plenitudo Deitatis Corporaliter: plenitudinem illam* IN CARNE *habitare intelligendum est.*

SADEEL.

Si craſſè accipias vocabulum Corporaliter, Sequeretur, Deitatem factam eſſe Corpus.

Respondeo.

Sophiſma Ignorationis Elenchi: Si Apoſtolus per termiuum (Corporaliter) definiret MODUM hujus inhabitationis, tùm ſequeretur, Deitatem factam eſſe Corpus: vel: Corpus mutatum in Deitatem. Ceterùm cùm terminus iſte non Modum, ſed ſubjectum notet, cui nimirùm inhabitat omnis plenitudo Divinitatis: deficit & expirat omnium iſtarum conſequentiarum ratio. Quæ ipſa cauſa eſt, ob quam, ad ſtabiliendam Majeſtatem Omnipræſentiæ Chriſti, Spiritus Sanctus non (uti Sadeel fieri debuiſſe ſomniat) dicit Omnem plenitudinem Deitatis in Chriſto inhabitare πνευματικῶς Spiritualiter: ſed σωματικῶς Corporaliter: quia nimirùm Chriſtus ſecundum Corpus hoc ſuum, factus eſt particeps omnis plenitudinis Divinitatis, & ſic Omnipræſentiæ quoque.

De Aeternitate, Cur nimirùm Humana Natura, non poſsit vel debeat dici Aeterna: quemadmodum dicitur Omnipræſens: ſupra copioſè & nervoſè fuit actum: pag. 229. 244. 246.

LOCVS V.

Joh. 3, 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: Filius Hominis, qui est in cœlo. Ergo Corpus Christi est ubique, quippè simul in cœlo & in terra.*

RESPONSIO SADEELIS.

Quæ ex Augustino hoc loco profert Sadeel, per omnia probamus. Rectiùs verò fecisset, si locum integrum ex Augustino adscripsisset. Indè enim planiùs constitisset, nihil quicquam illum Sadeelianæ impietati patrocinari, Sic autem ille apud Augustinum lib. 3. contra Maximin. Arianorũ Episcopum: cap. 20. habet: *Nec moveat, quomodo Christus secundum id, quod Homo est, descenderit de cœlo, cùm de matre, quæ in terra erat, factus sit homo. Hoc enim propter Vnitatem personæ dictum, quoniam una persona est Christus DEVS & Homo. Propter quod etiam inquit: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius Hominis, qui est in cœlo. Si ergò attendas distinctionem substantiarum: Filius DEI de cœlo descendit; Filius Hominis crucifixus est. Si unitatem personæ*

attendas, & Filius Hominis descendit de Cœlo: & Filius DEI est crucifixus. Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Propter hanc ergo unitatem personæ, non solùm Filium Hominis dixit descendisse de cœlo: sed esse dixit in Cœlo, cum loqueretur in terra. Hactenus Augustinus. Quam sanè explicationem modis omnibus acceptamus. Siquidem Filium Hominis de cœlo descendisse credimus, non quod naturam suam de cœlo in uterum virginis attulerit: sed quòd hæc persona, quæ est DEVS & Homo, verè ac realiter de cœlo descendit: quatenus λόγος humanam naturam in terris assumsit: & in ea sese manifestavit, humanâ scilicet conversatione cum hominibus usus. Ubi vocabulum Descendere *μεταφορικῶς* sive *κατ' ἀνθρωποπάθειαν* accipi, suprà admonuimus. Secus verò se habet, quando Christus dicit, se tanquam Filium Hominis esse in cœlo, quando cum Nicodemo in his terris loquebatur. Hìc enim expresse Humanitatem notari, nemo pius negaverit. Unde illlud elucet mysterium, quòd, licet humana natura Christi naturaliter & localiter tantummodo in terris cum Nicodemo tùm fuerit, unö loco verè circumscripta: λόγος tamen nusquàm fuerit sive in

in cœlo ſive in terra, ubi non hanc ipſam Humanitatem ſuam (ob unitatem perſonæ, ut Auguſtinus loquitur) ſibi habuerit præſentiſſimam: ſiquidem non pars λόγου: quam nullam habet, ſed totus λόγος ſive totum verbum caro factum eſt. Cujus Unionis perſonalis: ſive Unitatis perſonæ reſpectu, λόγος humanitatem tùm temporis ſibi non habuit præſentiorem in terris, quàm in ſupremo cœlo.

Quæ rurſus de Unione ac Glorificatione, tanquàm ſibi mutuò contradictoriè oppoſitis: Quemadmodum etiam de dicto Joh. 7, 39: *Nondum erat Ieſus glorificatus*: hoc loco Sadeel obſtrepit: ea jam modò ſupra ſunt diſcuſſa.

SADEEL.

Deindè ſi valet hoc argumentum, nuntium igitur remittant ſuperiori diſtinctioni de Abdicatione, quâ dicebant, Humanam naturam Chriſti ante Glorificationem ſeſe Abdicaſſe ad tempus ſua Omnipræſentia.

Respondeo.

Error παρὰ τὸ πῇ καὶ ἁπλῶς. Abdicatio enim illa non eſt intelligenda de Actu primo Omnipræſentiæ. Nam in

 ipſo

ipso etiam profundissimo statu Exinanitionis, Caro assumta, τῷ λόγῳ Ubique fuit præsentissima, adeò ut nihil, nihil prorsus, λόγῳ fuerit præsentius hâc Humanitate suâ. Verùm intelligenda est hæc Abdicatio de Actu secundo Omnipræsentiæ, qui definitur ratione regni ac dominii illius Universalis, quod post Resurrectionem suam, vi sessionis ad dextram DEI, potentissimè & præsentissimè in cœlo & in terra, Christus secundum carnem exercere cepit: Quo dominio in statu Exinanitionis, non quidem ratione κτήσεως, sed ratione χρήσεως & plenariæ usurpationis, ad tempus sese abdicare voluit, ut Opus Redemtionis perficere posset.

LOCVS VI.

Matth. 28, 20. *Ego sum vobiscum usq; ad consummationem seculi.*

Matth. 18, 20. *Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Ergo Corpus Christi est ubique.

RESPONSIO SADEELIS.

Si Loci illi sunt de Omnipræsentia Christi intelligendi: rogo te, quid opus fuit hac peculiari pro-

Digitized by Google

promißione? Quorsum Christus promittit se peculiariter Ecclesiæ affuturum, cùm tanquam Omnipræsens adsit rebus omnibus? Cur etiam apponitur ea conditio, ut in nomine Christi congregentur.

Respondeo.

Distinguendi sunt gradus præsentiæ Christi. Etsi enim pii noverunt, Christum ut DEVM & Hominem sibi secundum generalem & Universalem præsentiæ gradum, quemadmodum & reliquis creaturis omnibus verè ac realiter adesse: interim tamen dubitare possunt, Utrum adesse etiam velit καὶ ἐνέργειαν τῆς χάριτος, secundum specialem illum præsentiæ gradum, qui est Gratiæ. Ut igitur omnis dubitatio è cordibus ipsorum removeretur, & de hac gratiosa præsentiâ Christi pii, qui in nomine ipsius sunt congregati, certißimi esse possent: specialibus certè promißionibus opus erat. Alioqui enim Diabolus spem & fiduciam hanc piorum de gratiosa Christi, etiam qua Homo est, præsentiâ, facilè intervertere posset. Siquidem non ex generali illo præsentiæ gradu, statim ad singularem hanc, qui est gratiæ, licet colligere: nisi promißio hæc

hæc Christi dubitationem omnem tollat apud nos, qui in nomine Christi sunt congregati ad audiendum, legendum, meditandum verbum ejus, ad precandum, ad quodcunque opus bonum in ipsius nomine perficiendum.

Deindè Christus in promissionibus istis non tantùm agit de præsentiâ gratiæ & auxilii (uti Sadeel subdolè innuit) sed de ipsius etiam personæ præsentia: sine quâ; Gratiæ præsentia nunquàm & nuspiam expectanda. Et non sunt sibi invicem *ἀντιδιῃρημένως* opposita: Christus adest nobis sua gratiâ: Ergo non adest sua Humanitate: Quia totus Christus DEVS & Homo suâ gratiâ nobis adest.

SADEEL.

Si præsentia gratiæ esset Omnipræsentia: nullum igitur esset discrimen inter Electos & reprobos, inter Ecclesiam & hostes Ecclesiæ &c.

Respondeo.

Confundit Sadeel nimis inscitè Omnipræsentiam & Modum Omnipræsentiæ. Præsentia gratiæ non alia est præsentia, quàm est ipsa generalis Omnipræsentia: Si Actum ipsum præsentiæ spectes. Non enim

nim alius Christus ratione substantiæ adest, impiis: alius verò piis: Sed unus idemq; Christus hoc respectu adest & piis & impiis: unus idemque actus Omnipræsentiæ, tùm apud impios tùm apud pios: Essentialis quidem quoad divinam: personalis verò quoad humanam Christi naturam. Cæterùm Modus hujus Omnipræsentiæ differt: Impiis enim Ubique adest, ratione generalis conservationis sustentationis & gubernationis: Piis verò ubique adest, ratione gratiosæ illuminationis, sanctificationis, justificationis, salvationis, glorificationis.

LOCVS VII.

Ephes. 4, 10. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit supra omnes cœlos, ut Omnia impleret.*

Johan. 1, 16. *Ex plenitudine ejus omnes accepimus.*

Ephes. 1, 23. *Qui omnia implet in omnibus.*

Ergo Christus est Vbique.

Responsio Sadeelis.

Hæc verba (ut impleret omnia) *ad Personam sunt referenda: Deindè sunt intelligenda de*

donis

donis quibus Christus Ecclesiam suam implet, ut tandem eam sistat omni ex parte gloriosam.

RESPONDEO.

Κοκκυσμὸν priorem hactenus multoties refutavimus: & in subsequentibus ostendetur: Personam quidem ascendisse & descendisse, sed ut secundum humanitatem impleret omnia: quæ ut secundum Divinitatem impleret omnia, nullo neque ascensu neque descensu opus habuit.

Quoad Explicationem Sadeelianam, ea, ad textum ipsum accuratius accommodata subsistere non potest. Nam primùm Apostolus non solam Ecclesiam, sed ἀορίστως indefinitè, OMNIA nominat. Deindè, non dicit Apostolus, ut donis impleret. Sed rursũ indefinitè & absolutè, ut impleret. Tùm quærimus ex Sadeele cũ Christus suo ascensu consecutus fuerit, ut (ex ipsius hypothesi argumentando) donis impleret Ecclesiam; cujus naturæ respectu hoc consecutus fuerit? Certè cum & ipse, & universa gens Sacramentaria mordicus hanc teneat sententiam, Christo quà Homo est, collationem donorum, & effusionem Spiritus Sancti super Ecclesiam non competere: quippè quæ Effusio, divinæ virtutis & potentiæ κοινωνίαν indubitatò præsupponat: Consequens est ἐξ ἀνά-

γκης

γκης, ipsos statuere, hanc impletionem Ecclesiæ de divina natura tantùm (licet in persona) intelligendam esse. Qua stante sententiâ Calvinisticâ, talis emerget verborũ Apostoli interpretatio: Christus ascendit juxta humanitaté, ut iuxta divinitaté donis impleret Ecclesiã. Quo pacto manifestũ est, Calvinianos Nestoriano more divellere id, quod Apostolus toti Christo, & quidem secundum humanam naturam, juxta quam ascendit, disertè assignat. Illud profectò extra omnem dubitationis aleam est positum, Christum Deitate sua implere potuisse donis Ecclesiam, si vel maximè Assumta Caro non ascendisset *ὑπεράνω πάντων τῶν ὀυρανῶν*, supra omnes Cœlos. Unde constat interpretationem Sadeelianam multis modis esse *ἀσύστατον* & insufficientem.

Quod verò Donorum mox meminit Apostolus, nihil hoc à scopo Pauli est alienum. Vult enim docere, hanc effusionem donorum Spiritus sancti, Effectum esse divinæ illius Maiestatis, humanitati Christi communicatæ; sicut etiam D. Petrus, Effectum hunc exaltationi Christi, quæ ei secundum humanam naturam facta est, tribuit. Actor. 2, 33. inquiens *Dextera Dei exaltatus effudit hoc, quod videtis & auditis.*

SA-

Digitized by Google

S A D E E L.

Nunc excutiamus istud consequens: Christus implet omnia: Ergo Corpus Christi est ubique. Quonam id modo? obsecro. Nec enim Apostolus dixit: Vt Christus impleret omnia suo Corpore: vel Essentiali præsentia sui Corporis. Deindè, hæc duo quàm longissimo intervallo differunt: Christum implere omnia suâ Majestate & gloria: & Christum implere omnia Essentia sui Corporis. Nam Gloria & Majestas Christi, non est Corpus Christi.

Respondeo.

Non disputat, sed cavillatur denuò Sadeel. Exagitat enim eam Omnipræsentiam, ratione cujus Corpus *ESSENTIALI PRAESENTIA*, sive *ESSENTIA SVI CORPORIS* omnia impleat. Talem certè Omnipræsentiam Corporis Christi Essentialem nos planè ignoramus, & constanter affirmamus, Christum proprietate *ESSENTIAE* sui Corporis, nō esse Omnipræsentem: sed circumscriptum ac finitum: uti suprà fusius fuit ostensum. Neque tamen propterea corruit Omnipræsentia Corporis Christi *PERSONALIS*: quam quia ex præsente loco non colligere potest Adversarius: nos utique hâc operâ fungemur, ac proindè sic argumentamur.

Si Chri-

Si Christus ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia: sequitur, ipsum ascensu suo hoc esse consecutum, ut etiam quâ Homo præsens regnaret, ut omnia in omnibus operaretur ac perficeret.

Prius autem ex Apostolica declaratione certum est: Firmum igitur & posterius.

Connexum Majoris sic nostri probare solent: Implere omnia nihil aliud est Paulo, quàm ubique locorum præsentem esse, ac præsentem dominari: id quod patet ex consimilibus scripturæ locis: Jerem. 23, 23. *Nonne ego DEUS Cœlum & terram impleo.* Et Sap. 1, 7. *Spiritus Domini orbem terrarum replet, & omnia continet.* Et contextus ipse perspicuè evincit hoc ipsum: dum locis superis & inferis ad quæ prius Christus secundum assumtam humanitatem ascendit & descendit, opponitur τὸ implere omnia. Unde Symbolum nostrum Ascensionem in cœlos mox conjungit cum sessione ad dextram DEI: *Ascendit in cœlum, & consedit ad dextram Patris Omnipotentis.* Neq; enim simpliciter in cœlos, quemadmodum reliqui Electi, secundum corporis clarificati modum: sed peculiari privilegio supra omnes cœlos ascendit, & in ipsum thronum DEI, quo nihil sublimius est, pervenit:

nit: ut ad dexteram Dei ubique locorum præsentem considens impleret omnia; hoc est, præsens omnia in Cœlis & in terris administraret & operaretur. Atque ita D. Apostolo, sedere ad dextrā Dei, & implere Omnia, sunt συνώνυμα. Quam simplicem verborum Apostoli interpretationem confirmat; uti dixi, ipsa textus συνέπεια. Nam disertè Apostolus locorum superiorum & inferorum meminit: ut aliter non quàm de Locorum impletione istam exponere fas sit: licet hæc impletio non sit Localis: Sed personalis secundum modum dexteræ DEI, ad quam Christus ascendens, secundum carnem consedit.

Quibus ita observatis, in fumum abit Sophistica illa disputatio Sadeelis, qua anxiè quærit, utrum verbum *IMPLENDI* Metaphoricè an propriè sit intelligendum? *Iam* enim ostensum, Implere omnia hoc loco, & sedere ad dextram virtutis ac potentiæ DEI, Apostolo esse συνώνυμα: ac proindè verbum implendi, non crasso illo modo esse accipiendum, quo Corpus Christi, immensâ quapiam mole corporeâ Omnia loca per quandam diffusionem implere fingitur.

Cæte-

Cæterùm juvat Sadeelem proprio quaſi gladio confodere: Supra mox ab initio Capitis tertii Argumento primo contendit, nihil poſſe eſſe Ubique, niſi quod cælum & terram impleat: & rurſum: illud Cœlum & terram implere, quod ſit ubique. Unde conſtat ipſum pro æquipollentibus habere iſta duo: Eſſe Ubique, & implere omnia. Quâ ſtante hypotheſi, ſic ego jam ex ſententiâ Sadeelis infero.

Quicquid implet omnia: illud eſt Vbique:

Chriſtus ſecundum aſſumtam Carnem ideò aſcendit ſupra omnes Cœlos, ut juxta eandem Carnem impleret omnia.

Ergo Chriſtus juxta Carnem ſuam eſt Vbique.

Majorem propoſitionem pro verâ agnoſcit ipſe Sadeel.

Minoris evidentia per ſe patet: Certiſſimum enim eſt, Apoſtolum hiſce verbis (*Aſcendit ſupra omnes Cœlos, ut impleret omnia*) tractare de Chriſto juxta carnem. Loquitur enim de aſcenſu in Cœlos. Iam Chriſtus non ſecundum Divinitatem, ſed ſecundum Humanitatem aſcendit in cœlos, ut juxta hanc ipſam humanitatem impleret omnia: Alioqui ſenſus emergeret abſurdiſſimus: nempè

Christum ideò secundum carnem suam ascendisse in cœlos: ut juxta Divinitatem impleret omnia. Quo pacto Deitas mutabilis statueretur, & Ariana hæresis modis omnibus confirmaretur.

SADEEL.

Non sequitur: Christus secundum Humanam naturam ascendit: Ergo secundum humanam naturam implet omnia. Nam in eodem complexo, ubi de persona agitur, unumquodq; membrum intelligendum est, pro ratione vel alterius Naturæ tantùm, vel utriusque simul, pro ut res exigit: Vt in hoc loco: Qui descendit, ipse est, qui ascendit. Nam ille descensus ad carnem Christi non refertur, quasi illa de cœlo descenderit.

Respondeo.

1. Mendacem oportebat esse memorem: Nam suprà Loco tertio hanc regulam nobis præscripsit Sadeel: *A personâ ad alteram ex Naturis non rectè concluditur.* Hoc loco contradictoriam proponit regulam: nempè, *Vbi in eodem complexo agitur de persona, unumquodque membrum intelligendum est, pro ratione vel alterius Naturæ tantùm, vel utriusque simul.* Conciliet istas regulas prius Sa-

Sadeel, poſtmodum quid reſpondendum ſit, videbimus.

Cæterùm ne videamur δυσχεραίνειν, paucis ad rem ipſam reſpondebimus. Ac initiò quidem magis ſe implicat, quàm explicat Adverſarius. Nam dùm vult, ut quemadmodum λόγος aſſumendo humanitatem deſcendit de Cœlo: Ita rurſum λόγος, quà λόγος & DEVS eſt, aſcenderit ad cœlos ut impleret omnia: Conſequens fuerit, quia hunc ipſum aſcenſum de Locali elevatione, omnes ad unum Calviniani exponunt, hoc ipſo jam Deitatem τοῦ λόγου, motui locali eſſe ſubjectam: ἀδύνατον, impium, blaſphemum.

Deindè, uti ſuprà aliquoties oſtenſum, nos libenter concedimus, perſonam eſſe eandem, quæ deſcendit, & aſcendit: licet aſcendat ſecundum ſolam Humanitatem, non Deitatem.

Tertiò notandum, quòd Apoſtolus hoc loco nequaquàm de ea duntaxat parte deſcenſus agit, quam Adverſarius urget: quâ nimirùm λόγος quadam Majeſtatis inclinatione, citra ſui ipſius mutationé ullam, ſe demiſit in uterum virginis, & Carnem aſſumſit. Nam non ſimpliciter ait, deſcendiſſe Chriſtum in has terras: ſed talem

descensum definit, quo in infimas partes terræ se Christus demisit. Id quod tempore Exinanitionis, non respectu Deitatis, sed respectu Humanitatis factum esse constat: ita quidem ut in præsente loco Apostolico, tàm Descensus iste, quàm Ascensus, ad Christum juxta Humanitatem necessariò referri debeat.

Tandem particula causalis (UT) evidentissimè confirmat, ad quam Naturam Christi, hæc Impletio omnium pertineat. Non certè ad divinam: quippe quæ non opus habuit, ut demùm per ascensum Humanitatis consequeretur Impletionem omnium. Est enim & manet ea ratione simplicissimæ Essentiæ divinæ, prorsus immutabilis.

Relinquitur ergò ad Humanam naturam hanc impletionem omnium referri debere: quippe quæ ideò descendit in infimas partes terræ, & ascendit supra omnes cœlos: UT impleret Omnia.

SADEEL.

Hæc dicuntur ἀντιφαλικῶς: Christum ascendisse in cœlum suo corpore, ut Corpus Christi sit ubique. Nam verbum ASCENDENDI Vbiquitati

tati

tati repugnat. Si enim vi Unionis fuit Ubique, non opus erat ut ascenderet.

Respondeo.

Confundit Sadeel præsentiam Corporis Christi Naturalem & personalem. Contradictoria profecto forent ea, Si Corpus Christi eo modo in cœlo fuisse statueretur ante Ascensioné: quo ibi esse cœpit, hodieque est, post Ascensionem. Jam verò cùm diversissimo respectu vere non simulatè corpore suo ascendisse: & tamen nihilominùs alio respectu, in ὑποστάσει τῦ λόγυ Ubique etiam ante ascensionem, & sic in cœlo quoque fuisse dicatur: omnis expirat ἀντίφασις sive contradictio.

Nam, uti dixi, non opponuntur ista, juxta eundem præsentiæ modum. Etenim quatenus caro Christi ex naturali sua proprietate æstimatur; potuit sanè (non obstante Majestate sive Omnipræsentiâ Unionis) Locali translatione, τοπικῆ μεταστάσει sursum ferri, ita ut hac ratione locum inferiorem unum post alterum evacuaret, & relinqueret, & verè, ac solidâ realique mutatione locorum, sursum in altum ascenderet, tandemque in regnum cœlorum, inq; πῦ aliquod

cœleste traduceretur. Interim verò quoad personalem præsentiam in ὑποστάσει τῦ λόγυ, eadem Caro Christi ne latum quidem unguem ex mundo discessit: Siquidem hic ascensus non factus est, respectu præsentiæ personalis: sed respectu præsentiæ naturalis: ratione cujus non ubique est caro Christi: sed in aliquo certo vel loco, vel πῦ cœlesti. Jam verò invictis rationibus hactenus demonstratum, præter localem hanc rationem essendi alicubi, competere insuper eidem Humanitati Christi modum existentiæ longè diviniorem, eumque non in loco localem, sed in λόγῳ personalem esse: ita ut supernaturali mysterio, in altissimi λόγυ ὑποστάσει existat, nullibi à λόγῳ absens, nullibi distans, atque nunc post glorificationem, in illocali dextera divinæ Majestatis Omnia implens, omnia transcendens, omnia continens, omnia pedibus suis subjecta, & in manus sibi tradita comprehendens.

SADEEL.

Si omnes implentur corpore Christi, & Corpus Christi est vivificum: quid vetat, quin salutis & vitæ æternæ omnes ex æquo sint participes.

RE-

RESPONDEO.

1. Absit cavillatio de crassâ quadam & locali impletione omnium. 2. Plurimùm vetat, quô minus ex æquo omnes vitæ & salutis, ex præsentia vivificæ carnis Christi, fiant participes. Neque enim simpliciter præsentia carnis vivificæ pios vivificat: sed singularis ille præsentiæ modus, quo fidelibus adest per ἐνέργειαν τῆς χάριτος, & donationem justitiæ, vitæ ac salutis. Qui modus non ex æquo se habet ad fideles & infideles: sed duntaxat ad fideles sive credentes pertinet, secundum illud Johannis: 6, 54. Qui manducaverit carnem meam, hoc est, qui crediderit in me, ille vivet.

SADEEL.

Quòd dicunt Cœlum, in quod Christus ascendit, non definiri loco sed beatitudine, ψευδογράφημα est in Theologia non ferendum. Nam tametsi Christo in cœlo hunc vel illum locum minimè aßignamus: tamen Humanam Christi naturam esse in cœlo, & in loco, tum ex Symbolo Apostolico: tùm ex scripturis constat.

RESPONDEO.

Cœlum ad quod Christus ascendit, Loco definire velle, est ψευδογράφημα in Theologia minimè ferendum.

Nam cœlesti potius conditione, statu, gloria, beatitudineque definiendum esse, immotis rationibus à nostris hactenus demonstratum fuit: quarum aliquot ex ipsorum scriptis hoc loco repetere, haud erit inconveniens.

Ac initiò quidem Transfiguratio Christi Matth. 17. hoc dilucidè confirmat. Quando enim Petrus, Jacobus & Johannes aspiciunt Dominum transfiguratum cœlesti gloria, cernunt ex altero seculo prodeuntes in Majestate, Mosen & Eliam, audiunt admirandum illud colloquium cum Domino Jesu: Ibi non dubitat affirmare scriptura, propter inenarrabilem illum sensum cœlestis gaudii ac beatitudinis, Apostolos illos cominùs aspexisse regnum DEI & Filium hominis venientem *IN REGNO SVO*: Quemadmodum promiserat eis, dicens: *Amen dico vobis, sunt quidam hîc stantes, qui non gustabunt mortem donec viderint Filium Hominis venientem in REGNO SVO.* Unde sequitur & Christum secundum humanitatem suam tunc fuisse in Regno suo.

Huc pertinet etiam dictum illud Christi Servatoris, Matth. 18, 10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ubi observandum Angelos istos dici

An-

Digitized by Google

Angelos *EORUM*: nempè infantum sive parvulorum: Quorum Angeli esse dicuntur ratione ministerii & custodiæ, quam DEI jussu præstant parvulis: Atque nihilominus in medio illo ministerio, quod in terris obeunt, ait Christus eos esse *IN COELIS*.

Sic DEUS ipse dicitur de cœlo descendere, prospicere de cœlo super filios hominum: auxilium suum de cœlo mittere, exaudire de cœlo: &c. Ubi certè non supramundanum aliquod cœlum intelligi potest, à terris secundum loci distantiam remotum, ne deliremus, DEUM venire aut descendere è supremo illo cœlo per firmamentum & sphæras planetarum: atq; indè prospicere, indè exaudire, inde auxilium mittere: Siquidem constat DEUM non procul esse ab unoquoq; nostrûm. Act. *17. 27.* & propè esse omnibus invocantibus eum: imò cum ipsis esse in tribulatione. Psa. *145. 18.* Quare phrasis *EX COELO* nihil aliud significat, quàm cœlestem statum, majestatem ac inaccessam lucem, ex quâ DEUS, velut ex arcanâ sede prodiens, & præsentiam suam aliquo opere evidenti comprobans, dicitur descendere, mittere auxilium, prospicere & exaudire de cœlo. *κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν.*

Porrò,

Porrò, cùm ſcriptura teſte certum ſit, cœlos iſtos corporeos & aſpectabiles planè tranſituros: abſurdum & temerarium planè fuerit, definire velle, quòd cœlum beatorum ad quod Chriſtus aſcendit, ſit aliquod ejuſmodi corporeum & locale cœlum creatum, ſupra omnes cæteros aſpectabiles cœlos. Conſequens enim foret, ut intereuntibus cęteris cœlis, hoc etiam cœlum, quippè creatum & Locale, interiret.

Præterea ſuprà etiam demonſtratum fuit, non fore de proprietate corporum clarificatorum, ut in cœlo, hoc eſt, in æterna beatitudine futura ſint Localiter ſive in Loco: pag. *288*. & ſeqq́

Multò igitur rectius D. Auguſtinus lib. de fide & Symbolo. cap. *6*, Cœlum interpretatur de ipſa beatitudine: *Credimus* inquit, *in cœlum aſcendiſſe, quem beatitudinis locum etiam nobis promiſit, dicens, erunt, ſicut Angeli in cœlis.*

Et lib. *2*. de Sermone Domini in monte. exponens hæc verba: Pater noſter qui es in cœlis, iſta ſubjungit: *Non enim ſpatio locorum continetur DEVS. Sunt enim Cœli excelſa Mundi corpora: ſed tamen corpora, quæ non poſſunt eſſe niſi in loco. Sed ſi in cœlis, tanquam ſuperioribus mundi partibus locus DEI eſſe creditur, melioris conditio-*

nis

nis sunt aves, quarum vita est DEO *vicinior.*

Et in Psal. 22. *Si cœlum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem* DEI, *transitura est habitatio* DEI. *Quia cœlum & terra transibunt. Deindè antequàm faceret* DEVS *cœlum & terram, ubi habitabat: In se habitabat* DEVS: *apud se habitabat* DEVS, *& apud se est* DEVS.

Quoad Testimonia scripturarum, quæ magno numero profert Sadeel: ad plæraq; copiosè & sufficienter responsum fuit supra, in refutatione capitis secundi.

Calumniam, quam *de cœlo & Ascensu Allegorico*, item *de sensu scripturarum tropico* nobis malitiosè impingit, non moramur. Ex his enim quæ dicta sunt, Innocentia nostra tàm clarè patet, ut ulteriore apologia opus haud sit: præsertim cùm in plærisque nostrorum scriptis hæc ipsa calumnia passim sit protrita & conculcata.

De visione Stephani actum suprà.

LOCVS VIII.

Matth. 17, 1. *Christus antequam pateretur, transfiguratus est. Ergo ne tunc quidem Christi corpus, ex Physici corporis ratione metiendum*

endum fuit. Et vi consequentis, Corpus Christi est Omnipræsens.

SADEEL.

Nihil fuit in illa transfiguratione, quod vel tantulum ad Vbiquitatem corporis accederet.

Respondeo.

Neque nos hunc locum primò accommodamus ad confirmandam Ubiquitatem corporis Christi: sed sufficit nobis, ut indè demonstremus, corpus Christi non ita mortali imbecillitati, & *παρεπομένοις τῇ φύσει* fuisse subjectum, quin etiam ante Resurrectionem habuerit Majestatem illam divinam, cujus radios tùm in miraculis: tùm verò in hac ipsa transfiguratione elucere voluit. Quemadmodum enim hæc claritas, quæ ex facie ejus effulsit, servatâ graduum differentia, erit etiam Sanctis in vitâ beatâ communis, dicente Christo Matth. 13,43. *Tunc fulgebunt justi, ut Sol in regno patris mei:* Ita non dubium est, infinities sublimiorem esse gloriam illam, quam per sessionem in dextra virtutis & omnipotentiæ DEI consecutus est: cujus aspectum nullus mortalis oculus hac in vita capere potest.

Scom-

Digitized by Google

Scommata quæ hoc loco ex falsa hypothesi congestat & evomit Sadeel, ipsi relinquimus. Nam uti jam ostensum ex hoc loco Ubiquitatem corporis Christi non probamus.

Pari ratione ultrò largimur, Corpus Christi ex proprietate corporis clarificati, quæ ex Resurrectione resultat, non esse Ubique: sed in certo quodam πȣ̃: uti suprà fusius aliquoties demonstratum.

LOCVS IX.

Christus in nativitate transiit uterum virginis clausum: & in Resurrectione saxum monumenti penetravit, & penetravit cælos. Hebr. 4, 14. Ergo &c.

SADEEL.

Antecedens non extat in scriptura: Et gravissimi auctores aliter sentiunt.

Respondeo.

Si, quod contendit Sadeel, Nativitas Christi facta est, adaperto utero: tùm non erit præternaturalis, nedùm facta contra

rerum

rerum seriem: ac proindè non ex virgine natus Immanuel noster. Virginitas enim Mariæ stare non potest, si in ipso partu virgo non mansit, sed claustra pudoris adaperta. Orthodoxa certè Antiquitas Christum non usitato naturæ ordine, apertis virginalibus claustris: sed præter rerum seriem uti conceptum, ita clauso manente virginis utero natum esse semper statuit. Hinc illud Sedulii:

Intemerata sui conservans viscera templi
Illæsum vacuavit iter: pro virgine testis
Partus adest, clausa ingrediens & clausa relinquens.

Hinc D. Augustinus, Epistola 3. *Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateniur investigari non posse: Ipsa virtus, per inviolata matris virginea viscera, membra infantis eduxit, qui postea per clausa ostia juvenis membra introduxit.*

Quoad locum Lucæ: *Omne masculum adaperiens uterum, erit Sanctum Domino*: committitur in ejus allegatione, Fallacia Ignorationis Elenchi. Neque enim ille adducitur, pro definiendo modo partus sive Nativitatis Christi: sed eum in finem: ut constet, Quâ de causa Christus Legi Mosaicæ submittere sese debuerit: Nempè, Quia erat primogenitus.

Digitized by Google

SADEEL.

Quoad Saxum monumenti, narrat quidem Matthæus, saxum revolutum esse ab Angelo: sed non propterea sequitur, Christum exiisse è sepulchro clauso.

RESPONDEO.

Neque dicit Euangelista, tùm demùm resurrexisse Jesum, cùm revolutus esset per Angelum lapis ab ostio monumenti: sed, potiùs apparet ex serie rerum gestarum, Dominum è sepulchro prodiisse, signato adhuc lapide, & occluso monumento. Et sanè cum secundum illud Apostoli Roman. 1, 4. in hac ipsa resurrectione Christus declaratus sit filius *DEI CVM POTENTIA*: certè manifestum est, Christum ad sui Resurrectionem, Angelorum ope nequaquàm indiguisse. Proinde haud verisimile est, Ostium monumenti ideò esse revolutum, ut Christus resurgere: sed potiùs, ut sepulchrum mulieribus vacuum ostendi, deque factâ jam Resurrectione fides certissima fieri posset. Quo pacto Sadeel committit Sophisma τῦ μὴ αἰτίȣ ὡς αἰτίȣ falsò colligens: *Saxum fuit ab Angelo revolutum. Ergo Christus non clauso sepulchro resurrexit.*

Præterea tota Orthodoxa Antiquitas, hac in quæstione, à nostris stat partibus contra Sadeelem: ut temeritatem cum insigni impudentiâ conjunctam manifestè prodat, dum S. Patrum autoritatem errori suo prætendere audet.

Unicus hoc loco sufficiat Augustinus, qui Serm. *138.* sic scribit: *Fefellit custodes, exiuit de sepulchro: apparuit discipulis januis non apertis: inde clausus exiit: hinc exclusus intravit.*

SADEEL.

Si Christi Corpus est Vbique: Ergo saxum monumenti non penetravit.

Respondeo.

Confundit Sadeel proprietates Corporis clarificati, quas Christus ex Resurrectione obtinet: cum gloria & Majestate quam ex Unione & Sessione ad dextram Dei Patris habet. Quæ confusio errorem peperit. Neque enim *τὸ οὐσιῶδες καὶ τὸ ὑπερφυσικὸν* Contradictoriè sunt opposita: siquidem saxum monumenti penetravit, non virtute illius gloriæ, quam habet ex Unione, & ratione cuius in persona *λόγου* Corpus Christi ubique est: sed virtute propri-

proprietatum Essentialium Corporis clarificati: Quare utrumque simul sine Contradictione stare potest: ut nimirum Corpus Christi personaliter sit ubique: & simul Naturaliter sive Essentialiter, secundum modum Corporis clarificati penetret saxum monumenti. Undè etiam vanitas illius collectionis elucet, quando infert Sadeel, *illud non esse Vbique, quod transire & penetrare dicitur.* Siquidem non eo modo ac respectu Corpus Christi dicitur Transire & penetrare Corpus solidum: quo modo ac respectu, dicitur esse Ubique. Illud enim competit Corpori Christi ex natura & proprietate Corporis clarificati? Hoc verò eidem competit ex Unione personali: quæ certè ad Omnipræsentiam non opus habet tali penetratione: Verùm simul & semel Omnia loca præsentissimè implet. Qui personalis respectus cùm in Angelos non cadat. Hebr. *1, 13.* expirat planè argumentatio Sadeelis, quam ab Angelorum exemplo & Beatorum corporum conditione hoc loco extruit.

LOCVS X.

Ioh. *20, 26. Christus ad discipulos ingressus est clausis januis: Corpus igitur Christi est Vbique.*

SADEEL.

Sic potiùs formandum erit connexum: Christus ingressus est clausis januis: Ergo ingressus est præter ordinariam rationem.

RESPONDEO.

Concedo totum, modò per Extraordinariam Rationem, Sadeel non intelligat id, quod vulgus Sacramentariorum intelligit, nempè vel Christo à quopiam Angelo januas fuisse apertas, non animadvertentibus Apostolis: vel (uti Sadeel paulò post subjicit) DEVM miraculosâ quapiam virtute potuisse efficere, ut corpus per clausas januas traduceretur: ita ut corpori Christi ne quidem illa virtus concedatur, quam corpora beatorum clarificata obtinebunt, ut nimirùm ex proprietate essentiali etiam solidissima, sine ullo impedimento penetrare possint: neque & id quidē multò minùs, ut ex Unione hypostatica in λόγῳ sit ubique.

Quę sanê opinio modis omnibus prodigiosè est impia & blasphema. Nam Christum corpore suo, per januam clausam ingressum esse, adeò ex Euangelistis clarum est, ut nullo Sophismate eludi queat. Euangelista certè non affirmat, vel ingressuro Chri-

Christo januam fuisse apertam: vel miraculosâ quapiam virtute λόγυ corpus per solida corpora, hoc est, per januas clausas fuisse traductum: sed simpliciter hunc ingressum factum esse *IANVIS CLAVSIS*.

Deindè Textus non ait, Christum corpore suo pedetentim progressione quadam locali ad discipulos accessisse: sed ut Græcus textus habet, *καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον*, stetit in medio discipulorum: idque adeò subitò, ut propter repentinam & inopinatam præsentiam spectrum quoddam se videre existimârint, Luc. *24, 37*. Non enim verisimile ipsis videbatur, Hominem verum clausis manentibus foribus ad ipsos penetrare sive intrare posse.

Et notandum est, quod Johannes hoc bis accidisse narrat, diversis diversarum relationum vicibus. Unde Patres unanimi consensu statuunt, Christum glorioso corpore suo per clausa ostia ingressum esse in cœnaculum. Unicus rursum sufficiat Augustinus, qui tractatu *121*. in Johannem sic scribit: *Moli Corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippè NON APERTIS eis intrare potuit, quo nascente, virginitas matris inviolata permansit.*

Quæ contra ubiquitatem hoc loco disserit Sadeel: ea nihil aliud, præter temerariam status perversionem continent. Neque enim nos ex hoc loco Ubiquitatem corporis Christi ullo modo probamus. Siquidem quòd januas clausas Christus Corpore suo penetrare potuit: illud habet ex proprietate Corporis clarificati, vel quod idem est, ex Resurrectione. Quod verò Ubique est, illud habet ex Unione Hypostatica cum λόγῳ. Prius illud corpus Christi commune habet cum beatorum Corporibus. Posterius verò hoc sibi soli proprium & singulare vendicat.

Proindè ex hoc & similibus locis nihil probamus aliud, quàm Corpus Christi non ita esse subiectum infirmitatibus naturæ humanæ; quin eas proprietates ex Resurrectione nactum sit, ut possit ἄφαντον fieri: possit Corpora solida penetrare &c: Quæ omnia vera essent de corpore Christi, si vel maximè illud non esset ubique.

LOCVS XI.

Christus

Christus ἄφαντος ἐγένετο. Ergo Corpus Christi est ubique.

SADEEL.

Lucas habet ἀπ᾽ ἀυτῶν: quod perinde est ac si diceret: Christum sese ab illorum oculis & conspectu subduxisse. Aliud est autem esse Invisibilem simpliciter: aliud fieri invisibilem discipulis: Hoc enim posterius factum est repentino discessu, non ipsâ corporis naturâ.

Respondeo.

1. Formam propositi argumenti, nostram esse, simpliciter nego. Nam ex hoc loco Ubiquitatem corporis Christi nunquam directè probavimus: sed illud duntaxat inde ostendimus, quòd non sit de proprietate corporum clarificatorum, ut semper ex debitâ Loci distantiâ conspiciantur: sed quòd possint verè adesse, licet non conspiciantur ab iis, quibus adsunt. Quemadmodum illud suprà fusius demonstravimus, pap. *171.* & *213.* Quare pleraque quæ contra Ubiquitatem hoc loco profert Sadeel, vero ἐλέγχῳ carent: Siquidem, uti dixi, ne nos quidem hoc loco ad confirmandam Ubiquitatem corporis Christi uti solemus.

Digitized by Google

Cæterùm quoad glossam Sadeelianam, illam simplicissimè ceu erroneam rejicimus. Neque enim Textus sic Christi corpus ἄφαντον sive Inconspicuum factum esse asserit, quasi visibiliter à mensa digressus; & è conclavi, visibili manente corpore, subitò egressus sit: sed tota historiæ συνέπεια evincit, quòd in eo loco, quo assederat, subitò factus sit inconspicuus ab illorum oculis, ut cernere eum recedentem non possent.

Deindè narrat Lucas, Hoc discipulis planè novum, miraculosum & insolitum visum fuisse: id quod vero non esset consentaneum, si celeriore gressu, è conclavi exiisset. Proindè concludimus Christum verè & quidem ex improviso discipulis factum fuisse invisibilem.

SADEEL.

Oculi discipulorum leguntur fuisse retenti ne agnoscerent Christum. Ergo corpus Christi non factum fuit invisibile.

Respondeo.

Semetipsum redarguit Sadeel. Non enim de discipulis Emaunta profectis legitur, retentos fuisse illorum oculos, ne viderent

Digitized by Google

derent eum (Hoc nullibi in textu habetur) ſed *ne agnoſcerent eum*, quem certè coràm videbant ſecum inambulantem. Itaq; oculi mentis potiùs tenebantur, quàm oculi corporis. Cæterùm cùm jam coram illis diſparuiſſet Dominus, textus certè habet, quod non ampliùs viderint eum: id quod non fiebat, retentis illorum oculis, ut videre viſibiliter præſentem non ampliùs potuerint: ſed potiùs fiebat oculis apertis: ſicut manifeſtè legitur: *Cum Dominus gratiis actis panem frangeret, Apertos eſſe oculos illorum, & agnoviſſe illum*: & tunc (cùm ita diſcipulorum oculi non ampliùs retinerentur, ſed aperti eſſent) evacuiſſe Dominum coram illis.

SADEEL.

Contradictionem manifeſtam implicat, ſi dicatur Corpus Chriſti eſſe viſibile, & inviſibile ſimul.

RESPONDEO.

Concedo totum: ſi ſecundum Leges diſſerendi conſideratio corporis Chriſti inſtituatur ὡσαύτως: hoc eſt, ut uno eodemque reſpectu: uno eodemque tempore: ſecundum idem & idem, ac ratione ejuſdem Corpus Chriſti, dicatur eſſe viſibile &

Invisibile: At vero contradictio omnis tollitur, si corpus Christi statuatur posse visibiliter apparere uni alicui, vel pluribus. uti certè sese Stephano visendum præbuit: & interim reliquis omnibus sit invisibile. Quemadmodum supra aliquoties hujusmodi contradictiones fuerunt explosæ.

LOCVS XII.

Christus post Ascensionem in cœlum apparuit Stephano. Actor. 7. & Paulo ter. Actor. 9, 3: 15. 22. Ergo Corpus Christi realiter etiam nunc in terris adest: Et vi consequentis est Vbique.

SADEEL.

Quemadmodum divina virtute factum est, vt Stephanus Christum in cœlo videre potuerit: Ita illa ipsa virtute factum est, ut vox Christi ad aures Pauli pervenerit. Et quia cœlestis ille fulgor fuit, tanquam radius divinæ Majestatis Christi: iccircò dicitur Paulus Christum vidisse. Deindè Dominus noctu Paulum allocutus est per visionem. δι' ὁράματος: quemadmodum ejusmodi visa sæpè piis majoribus offerebantur divinitus.

RESPONDEO.

De

De visione Stephani paulò antè egimus. Deinde quoad visionem Pauli ne illâ quidem uti solèmus, ad directè confirmandam omnipræsentiam corporis Christi: sed indè illud duntaxat, & quidem solidissimè confirmamus, corpus Christi simul & semel posse esse in duobus locis. Nam certum est Dominum tùm in terris fuisse: id quod Sadeel ipse hoc loco fatetur. Jam verò simul fuit in dextra DEI, quæ, uti Sadeel supra contendit, ad solius cœli terminos & crepidines est restringenda: nisi fortè affirmare velit, tùm Christum deseruisse dextram DEI: id quod nimis foret absonum, & blasphemum. Relinquitur ergò Christum tùm manifestè in Cœlis in dextra, & simul corpore suo hìc in terris adfuisse Stephano & Paulo.

Quoad glossemata Sadeelis, illa citra & præter omnem scripturarum autoritatem proferuntur: imò Literalem historiæ sensum penitùs evertunt. Paulus enim disertè fatetur *1.Cor.15,8.* Sibi *VISUM* esse Dominum: idque repetit *1.Cor.9,1*: indeque Resurrectionem mortuorum confirmat.

Sic textus clarè habet: quòd Christus disertè dixerit *ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ*. Act.18,10:

Et

Et Ananias Actor. 9, 17. idem attestatur, dicens: Jesus *QVI VISVS EST* tibi *IN VIA* quâ veniebas. Et cap. 23, 11. Dominus *ASTANS* Paulo in castris.

Proindè fidem planè nullam meretur, quicquid hoc loco Sadeel adversus perspicuum & evidentem historiæ ac verborum Lucæ sensum & tenorem, de divinâ nescio quâ virtute, fingit pingitque.

Sic ἔκστασιν mentis patitur Sadeel, quando ἔκστασιν illam, quam Paulus Actorum. 22, 17. passus esse legitur, ad visionem hanc, vel apparitionem potiùs Christi Paulo oblatam malitiosè torquet. Etenim textus manifestè ostendit, illam ἔκστασιν obtigisse Paulo tùm, quando reversus Hierosolymā precaretur in templo: & juberetur exire citò Hierosolymis: propterea quòd Judæi non recepturi essent testimonium ipsius de Christo: ἄγνοι ex ἐλέγχου.

Argumentum quod ex visibilitate contra Omnipræsentiam Christi nectit Sadeel: suprà refutavimus. pag. 171. & 213.

LOCVS XIII.

Matth. 26, 29. *Dico vobis non bibam ab hoc tempore de hoc germine vitis ad illum usque diem,*

em, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

Luc. 24, 43: Actor. 10, 41. *Christus post Resurrectionem cibum sumsit cum discipulis.*

Ergo illo tempore Christus erat in regno Patris, hoc est, in cœlesti gloria. Ac proindè Christus eodem tempore fuit in cœlo & in terra.

SADEEL.

Primus error παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. *Nec enim Christus de terreno potu locutus est: sed hac Metaphora significare voluit cœlestem gloriam, qua fideles tandem cum ipso Christo perfruerentur.*

Respondeo.

Neque isti loci adhibentur à nobis ad confirmandam Omnipræsentiam Corporis Christi: Sed illud tantùm ex nostra sententia confirmant, quòd Christus statim post resurrectionem fuerit in gloria Cœlesti. Etsi enim in mundo quidem verè fuit, quotiescunque discipulis post Resurrectionem apparuit: non tamen mundana ratione aut modo: sed modo planè novo & singulari ipsis conversatus fuit. Unde

Unde ſervator ipſe inquit: *Hi ſunt ſermones, quos locutus ſum vobis, cùm adhuc vobiſcum eſſem*: oſtendens ſe jam ipſis adeſſe non amplius ea ratione atque modo, quo ante Reſurrectionem. Atque hac ratione verè ingreſſus eſt regnum Patris, ut neque cibo, neque potu, neque ſomno neque motu aut progreſſione locali ampliùs indiguerit: ſed ſecundum naturam & proprietatem clarificati Corporis, (quale ex Reſurrectione habuit) in momento eſſe potuerit, ubi voluit. Et quanquam Evangelica teſtetur hiſtoria, ipſum à Reſurrectione ediſſe & bibiſſe: id tamen non ex indigentia naturæ factum: ſed *κατ᾽ οἰκονομίαν* ſive diſpenſationem, eò directam, ut diſcipuli de certitudine Reſurrectionis Domini confirmatiores hoc pacto redderentur: Quem etiam cibum non in chylum mutatum & digeſtum: ſed Glorificati corporis ſpiritualitate, tanquam igni quodam abſumtum eſſe, certum eſt.

Quo pacto adimpletum fuit, quod hoc loco dixit ſervator: *Amen dico vobis, non bibam ampliùs de genimine vitis; donec bibero vobiſcum NOVUM in regno patris mei.*

Quæ noſtra ſententia cùm ſcripturis ſit ex aſſe conformis, noſq; indè Ubiquita-

quitatem minimè adstruere soleamus; potuisset sanè Sadeel longiore explicatione loci hujus honesto titulo supersedere.

Patet verò simul hinc erroneam planè esse opinionem Sadeelis, simpliciter negantis Christum fuisse receptum in Cœlestem gloriam, antequàm in Cœlum ascenderet: modò ea intelligatur Cœlestis gloria, quæ ex Resurrectione Corporibus clarificatis: non quæ ex sessione ad dextram DEI eidem demùm in Ascensione obtigit. De qua posteriore gloria, cum Sadeel agat in explicatione præsentium Scripturæ dictorum, planè extra oleas παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχυ vagatur: neque nostræ explicationis nervum vel digito attingit.

Quæ de Apostolis subjicit, planè nugatoria sunt. Neque enim Christus dixit, Apostolos itidem NOVUM bibituros: sed de se tantùm in Individuo affirmat: quod ipse sit NOVUM bibiturus in regno patris sui, tùm, quando in conspectu discipulorum post Resurrectionem manducaverit ac biberit.

LO.

Digitized by Google

LOCVS XIIII.

2, Cor. 5, 16. Nunc non cognoscimus Christum secundum carnem: Ergo non adeò urgenda est ratiò naturalis corporis Christi, quin ubique esse possit.

SADEEL.

Vbiquitarij nomine Carnis intelligunt veritatem Humanæ naturæ: cujusmodi est, Circumscriptum esse, & finiri propriis dimensionibus. At Paulus nomine carnis intelligit, crassas terrenasque cogitationes, de Christo &c.

Respondeo.

Mentiris Sadeel: Neque enim ex universis nostrorum scriptis vel unicum Iota proferre potes: quo vel in speciem saltem probabiliter docere queas, nos in præsenti dicto Apostolico, Carnis nominine intelligere Christi humanam Naturam, in suis proprietatibus Essentialibus consideratam. Nos certè hanc impiam textus Paulini depravationem, in Eutychianis & Monophysitis jampridem damnavimus

vimus: ostendentes Apostolum per carnem hoc loco intelligere non carnem, secundum substantiam: sed respectu infirmitatum, quibus Christus hac in vita carnem suam spontè subjicere voluit. Hoc certè pacto Christum in terris secundum Carnem, (hoc est, carnalem imbecillitatem,) non ampliùs agnoscimus.

Deindè rursum egregiè mentitur, quando ex hoc dicto Apostolico, Ubiquitatem corporis Christi nos extruere velle, arguit: & sub hoc tegumento in eadem expugnandâ virum se præstare voluit. Nempè ubi hostis & Adversarius nullus est: ibi in arenam masculè descendit Sadeel: & cum larvis ac lemuribus, invictissimus Athleta dimicat.

LOCVS XV.

Joh. 6, 51. *Panis quem ego dabò, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*

Et Synodus Ephesina professa est carnem Christi esse vivificam.

1. Joh. 1, 7. *Sanguis ejus purgat nos ab omni peccato.*

Ergo Actiones Deitatis propriæ, sunt reali-

ter communicatæ Humanitati Christi: Et vi consequentis, Corpus Christi ubique est.

SADEEL.

Deitas est causa Efficiens vitæ nostræ: Ratio verò & modus nostræ vivificationis fuit oblatio corporis Christi in cruce.

2. *Synodus Ephesina vocat carnem Christi vivificatricem: Quoniam est caro Verbi vivificantis omnia.*

RESPONDEO.

Prior Responsio Nestorianismum nimis manifestè resipit: Siquidem vivificationis ἐνέργειαν ita soli Deitati adscribit: ut caro Christi ad eã efficaciter non concurrat: quippè quæ duntaxat fuerit subjectum patiens, quod in cruce oblatum fuit. Hanc hæresin in Nestorio damnavit Synodus Ephesina: & quidem meritò. Nam divulsionem Naturarum quoad ἀποτελέσματα Redemtionis & vivificationis nostræ; uti jam ostensum, stabilit. Creditum hactenus fuit, & piè creditum, *Actiones & passiones non esse Naturarum, sed totius personæ.* Unde Servator etiam Joh. *6, 55.* disertè affirmat, CARO MEA verè est cibus. Edissere verò tu nobis nunc Sadeel: si vivificationis ἐνέργεια tan-

tantùm ad Deitatem pertinet: Caro verò tantùm est subjectum patiens, quod oblatum fuit in cruce: Quomodo vera esse queat assertio Servatoris: *CARO MEA VERE EST CIBUS*? Cibus certè & quidem verus hoc est vivificus cibus esse nequit Caro: Si tantùm Caro est id in quo facta Oblatio in cruce? Proindè impietate hâc Sadeelianâ verè Nestorianâ valere jussa, affirmamus & credimus, sic edocti verbis Servatoris: Carnem Christi ex Unione cum λόγῳ verè adeptam esse hanc vivificationis ἐνέργειαν: ut quemadmodum universam plenitudinem Deitatis: sic ipsam quoque vivificandi virtutem in se quasi aggregatam, & personaliter inhabitantem habeat: & λόγος, non quidem ex quadam indigentia: sed liberrima voluntate vivificationis opus nunquàm & nusquàm exerat aut perficiat, nisi per hanc propriam suam carnem: non quidem sensu Calvinistico, ac si Divina Christi natura, divinas: Humana autem tantùm humanas ἐνεργείας exerat: sed quòd hæc ipsa caro Filii DEI, in perficiendis ἀποτελέσμασι illis θεανδρικοῖς, divinam planè virtutem, tùm ratione meriti, tùm ratione applicationis obtineat & exerat.

Digitized by Google

Quoad posteriorem responsionem Sadeelis, ea merum figmentum est, & vanitas ejus potentissimè propulsata, supra pag. 257. 259. & seqq. Ubi tota hæc quæstio de vivificâ virtute carnis Christi, tùm ex scripturis, tùm ex Orthodoxa Antiquitate fuit perspicuè & nervosè satis explicata. Ad quem locum, Lectorem brevitatis studio remitto.

SADEEL.

Si ex superioribus Christi verbis sequitur, proprietates Deitatis esse realiter corpori Christi communicatas: Ergo eadem ratione sequetur: Corpus Christi de cœlo descendisse. Sic enim Christus: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi: Item sequetur ipsam carnem seipsam obtulisse: & hanc proprietatem fuisse illi communicatam: Sic enim Christus, quam Ego dabo pro mundi vita. ἀδύνατον. Nam de persona hoc quidem dicitur, non verò de Humana natura in abstracto.

Respondeo.

Fumos venditat Sadeel, imò sibi ipsi contradictionis laqueos injicit. Nam dùm realem proprietatum Divinarum communicationem infringere conatur: ea profert in medium scripturarum dicta, quæ eandem mirificè confirmant & stabiliunt.

Initiò

Initiò enim panis ille vitæ non est Deitas τῦ λόγυ: Sed ipsa caro Christi: id quod irrefragabiliter testantur verba Servatoris, cùm inquit: *Ego sum panis vita, qui de cœlo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & PANIS, quem ego dabo, CARO MEA EST pro Mundi vita.* Joh. 6, 51. Ubi rogamus Sadeelem, ut hæc verba Christi altiùs expendens, dicat nobis, quid sibi velint ista verba, *CARO MEA*: & cumprimis quid sibi velit pronomen illud *MEA*? Respondet Sadeel, de persona hoc intelligendum esse, & non in Abstracto (hoc est, extra personam) de Humana natura. Concedimus verò hoc ultrò mi Sadeel: & non opus fuisset, ut hunc κοκκυσμὸν hoc loco repetiisses. Statuimus enim & nos de persona hoc esse intelligendum; verùm quæritur, cujus Naturæ respectu, hoc loco Christus hanc suam vivificam virtutem deprædicet & commendet? Hic respondemus categoricè: Non divinæ, sed Humanæ naturæ respectu; idque probamus ex verbis *CARO MEA*. Ubi emphasis verborum luculenter evincit, quòd *CARO* (non in abstracto, sive extra personæ unitatem) sed *CARO MEA*, hoc est, ipsius Filii DEI propria caro, sit panis ille vivificus: quia nimirùm cum ipsa vita personaliter est uni-

ta: Ex qua Unione & subsecuta Reali communicatione caro Christi vim illam vivificandi hausit, uti Cyrillus loquitur: vide locum hunc, supra à strophis Sadeelianis vindicatum pag. *264*. Et hoc unum est, quod Realem hanc communicationem Idiomatum evidentissimè corroborat.

Deindè, quando Servator affirmat: *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi*, certè fontem & causam hujus Realis communicationis proprietatum validissimè confirmat. Quia enim Panis iste, hoc est, caro Christi non de cœlo descendit, eo sensu, quo Valentiniani olim somniabant: quasi nimirùm cœlestis fuerit caro, non nostræ ὁμοούσιος: ideò vera causa hujus descensus inquirenda est. Ea verò non est alia, quàm, quia caro illa per admirandam Unionem Hypostaticam facta est unum Personale cum Filio DEI, qui est, ipse Dominus de cœlo.

Deindè, Quia caro hæc cœlestem planè ac divinam vim ex hac Unione cum λόγῳ, per Realem proprietatum divinarum communicationem accepit, ut homines æternæ mortis potestati obnoxios, ad vitam cœlestem, suæ hujus vivificationis ἐνεργείᾳ reduceret.

Quoad

Quoad alterum consequens Sadeelis: illud non unius est teruntii: Nam primùm Textus ipse reclamat, qui non habet: Caro mea se dabit pro Mundi vita: Sed *quam EGO dabo pro Mundi vita*. Persona ergo dat suam carnem, hoc est, offert eam pro Mundi vita. Deindè si congruentia voluntatis humanæ, cum divina spectetur: certè caro Christi etiam seipsam dedisse pro mundi vita, haud impiè creditur: non quidem in Abstracto, sensu Sadeeliano, hoc est, extra personam: sed in persona: quatenus nimirùm duæ distinctæ voluntates in Christi persona sunt & manent: & quatenus humana voluntas, divinæ sese patienter subjicit, suamq; carnem in mortem crucis tradi, consentit.

SADEEL.

Alius etiam est error consequentiæ: Nam licet Christi sanguis dicatur nos purgare, nempè quia est medium nostræ purgationis, non propterea corpus Christi dicitur Omnipræsens: Quia ipsum Corpus Christi non est medium, vel ratio, vel modus Omnipræsentiæ divinæ.

RESPONDEO.

Omnia vitiosa: Ac primùm quidem ex propositis scripturarū dictis, nemo nostrū

Ubiquitatem carnis Christi extruere satagit; sed hic scopus unicè nobis est propositus, ut indè confirmemus & astruamus Realem Idiomatum divinorum communicationem, factam assumtæ humanitati: quemadmodum etiam eam hactenus adversus universas copias & phalanges Sacramentariorum invictè asseruimus. Proindè rursum Sadeel hoc loco non cum nostro consequente pugnat, sed cum eo, quod ipse sibi in cerebello suo confinxit. Turpis proindè ἄγνοια ἐλέγχου ab eo committitur.

Deindè in explicatione dicti Iohannitici manifestum crimen falsi committit Sadeel, dicens eo respectu Sanguinem Christi purgare nos ab omni peccato, quatenùs nimirùm ille fuit medium, per quod expiatio peccatorum, virtute Divinitatis λόγου est præstita & acquisita. Intelligit autem medium merè παθητικὸν sivè passivum; ita quidem ut Sanguis Christi plus non præstiterit, quam quod effusus fuit. Supra admonui, glossam hanc esse hæreticam: quippè quæ in ἀποτελέσμασι Redemtionis nostræ, manifestam Naturarum divulsionem statuit: dùm videlicet statuitur Christi sanguis ad ipsum Effectum Redemtionis, plus non præstitisse

tisse, quàm olim præstitit sanguis taurorum & vitulorum in veteri Testamento typicus. Siquidem secundum sententiam Sadeelis, omni prorsus efficaci virtute vivificandi & purgandi à peccatis ille caruit. Atrocior hæc est impietas, quàm ut verbis satis amplificari queat. Verùm aperta & perspicua sunt verba Apostoli Iohannis, qui sanguinem Christi considerat hoc loco, non tantùm ut merè παθητικὸν: sed tanquàm maximè ἐνεργητικὸν & efficaciter operans. Tribuit enim ei vim ac virtutem Redimendi totum mundum, & expiandi omnia peccata: & quidem haud immeritò: siquidem sanguis hic, non est alicujus hominis nudi; sed ipsius Filij Dei sanguis, qui divinissimam hanc vim purificandi à lepra peccatorum, ex Unione cum λόγῳ obtinet. Hinc Hebr. 9, 14. eodem sensu dicitur, quòd *sanguis Christi purget Conscientiam ab Operibus mortuis.* Undè Realem divinæ virtutis ac Maiestatis κοινωνίαν sive Communicationem Carni & sanguini Christi vere obtigisse, vel ipso Sole meridiano clarius & dilucidiùs patet.

Quæ porrò de proprietatibus Essentialibus, Circumscriptione, finitate Carnis Christi nugacissimè Sophisticatur: indigna prorsus sunt, quæ denuò expendantur.

tur. Fuerunt ea hactenus multoties refutata, imò penitus profligata, ut hoc loco ea fusiùs repetere, nobis sit Religio.

Et sic hactenus eas audivimus responsiones, veriùs Sophismata, quibus Sadeel illustrium Scripturæ locorum, quæ pro Reali Idiomatum divinorum communicatione, assumtæ Humanitati factâ, invictè pugnant: allatrare voluit. Peto & ego à Christianis lectoribus, qui Christianam veritatem, non glossulis humanæ rationis; sed regulâ fidei metiuntur: ut verbo DEI prævio sincerè de re tota judicent, ἄνευ προκρίματος.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

INgreditur nunc Sadeel altum illud & sinuosum pelagus Testimoniorum, quæ ex S. Patrum monumentis, in præsente controversiâ: tùm ex nostrâ, tùm ex Adversariorum parte peti solent. Nos quâ fieri poterit brevitate in hac materiâ versabimur: præsertim cùm Sadeel nihil novi in proscenium producat, sed veterem crambem, toties hactenus coctam, recoctâ subindè reponat: veteres κοκκυσμοὺς nugaciter crocitando itendidem repetat.

Videamus autem pulchella illa fundamenta Sadeelis, quibus Orthodoxæ Antiquitatis consensum nobis eripere studet.

I. Fundamentum Sadeelis.

Ex veterum Testimoniis ἀποδεικτικῶς & Theologicè non concluditur.

RESPONDEO.

Neq; hoc nos negamus. Affirmamus. n. psi hoc probationis genus, quod ab autori tate

tate Patrum petitur, non esse proprium & οἰκεῖον: sed tantùm subsidiarium & quasi παρῳδικόν. Meminerit autem Sadeel, nos non sponte propria ad hoc probationis genus descendisse; sed ab adversariis etiam invitos protractos fuisse. Quia enim illi nostram doctrinam de Majestate Christi Hominis tanquam novam, absurdam, & Orthodoxæ vetustati ignotam, suis in scriptis contumeliosè traducebant ac proscindebant: suisq; hisce calumniis simpliciores, & in lectione scriptorum Ecclesiasticorum minùs versatos, passim versutè decipiebant: ut hoc nomine sanam nostram doctrinam odisse & aversari: Calvinianam verò, tanquam eruditæ vetustatis calculo approbatam, demirari ac exosculari inciperent: Iudicarunt nostri summam flagitare tùm necessitatem, tùm Ecclesiæ salutem; si Veteris Ecclesiæ Consensum suo probando dogmati etiam adhiberent. Id quod ab incomparabili illo Theologo Martino Chemnitio, ὁ ἐν ἁγίοις: Item à Theologis wirtenbergicis, in Refutatione Consensus Calvinistici: & alijs nostri temporis Theologis, maximo cum Ecclesiæ commodo, fuit egregiè præstitum.

Quorum etiam scriptis nos hac in parte stantes de conquirendis patrum testimo-

ſtimoniis nihil quicquam laborabimus: ſed remittimus potius Lectorem ad dictos iam libros: ut & ad libellum D. Hunnii, de Perſona Chriſti: in quo venerandæ Antiquitatis Teſtimonia, noſtræ doctrinæ prorſus ὁμόψηφα, magnâ fide ſunt collecta: & ſecundum diſtinctas, quæ occurrunt, quæſtiones, Methodo convenientiſſimâ; diſpoſita. Nos paucis ſophiſticationes Sadeelis hoc loco notabimus.

II. Fundamentum.

Nullus ex veteribus unquàm dixit; Corpus Chriſti eſt Omnipræſens.

Respondeo.

Fortè tùm temporis, quo hæc ſcripſit Sadeel, infantibus aut certè Pythagoræ diſcipulis ſe ſcribere arbitratus fuit: apud quos locum obtinuit illud ἀυτὸς ἔφα. Nimis profectò audacter, & Te, Homine Theologo, & Diſputatore ſcholaſtico ſimul indigne iſthæc evomuiſti. An non legiſti, quòd Theophylactus ſcribit ſuper caput 4. Ephes. *CARNEM CHRISTI OMNIA IMPLERE.* An ignoras: quid Oecumenius in eundem locum ſcripſerit: nempe *Nudâ quidem divinitate olim Omnia im-*

implevisse Christum : sed jam incarnatum descendisse & ascendisse, ut VNA CVM CARNE impleret omnia. An memoriâ excidit illud Paschasij, lib. de Sacramento Eucharistiæ: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur : In hoc ergò verbo creatur illud CORPVS, quia divinum est, Omnipotentia plenum, VBIQVE PRAESENS, VBIQVE OMNIA COMPLENS.* &c.

III. Fundamentum.

Testimonia veterum ab illis citata, qui Omnipræsentiam tuentur : in alienam sententiam detorta sunt.

RESPONDEO.

Nempè quia Sadeelis Nestorianam impietatem non corroborant : ideo detorta videri debent. Sed Ubi probatiò, quâ fidem huic tuæ actioni facias?

En verò tibi amice Lector tria egregia fundamenta, quibus Sadeel Consensum Antiquitatis planè se nobis erepturum speravit. Quis verò hic non exclamaret.

Quid tanto dignum dabit hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, procurrit ridiculus mus.

Verùm subjicit quasdam notationes, quæ circa sensum Testimoniorum Antiquitatis sint observandæ.

I. No

I. NOTATIO.

Deificationem Veteres intellexerunt de Vnione personæ: ita ut DEVS *& Homo sit una persona.*

RESPONDEO.

Nimis imperfectè & mutile accipit Sadeel dicta patrum: Neque enim Unionem modò; sed cumprimis Realem Majestatis divinæ Communicationem Humanitati factam intellexerunt patres. Sufficiat hoc loco unum atque alterum Testimonium.

Basilius in S. Nativitatem. *Sicut ignis ferri proprietates non transsumsit: sic sanè etiam* HVMAMA DOMINI CARO IPSA PARTICEPS FACTA EST DEITATIS, *non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.*

Idem in Psal. 21. NATVRA ASSVMTA *Divinitati assumenti jam est unita,* EIVSDEMQVE GLORIAE ET HONORIS PARTICEPS AC CONSORS *facta.*

Epiphanius contra Arium: CARO *à Maria & ex nostro genere existens, transfigurabatur in* GLORIAM, ACQVIRENS GLORIAM DEITATIS, *quam Caro non habuit à principio, sed* ACCEPIT *in Counitione* DEI *Verbi.*

Cyrillius de Incarnat. Unigeniti a cap. 3. *Descendisse de Cælo dicimus Filium Hominis per Vnitatem dispensatoriam,* λόγῳ

tribu-

tribuente propria CARNI GLORIAE SVAE ET DIVINAE MAIESTATIS CLARITUDINEM.

Sufficiant hoc loco isthæc: Qui plura desiderat, consulat libros suprà nominatos.

II. NOTATIO.

Dicunt Veteres Corpus Christi participasse divinam dignitatem: hoc est, (inquit Sadeel) *in Vnione Personæ à λόγῳ assumtam esse.*

RESPONDEO.

Est repetitio præcedentis cantilenæ: quæ jam modò refutata.

Et mendacium est, quod Sadeel adjicit, *Carnem Christi in summam quidem gloriam esse evectam: sed quatenus ejus natura ferre potest.* Neque enim Finitam tantum: sed Infinitam, increatam, atque τῦ λόγυ propriam divinam Maiestatem, ex Unione Carni Christi tributam esse, iam ex Basilio, Epiphanio, Cyrillo audivimus. Quomodo autem Divina hæc Maiestas simul stare possit cum veritate Humanæ Naturæ, prorsus illæsa: suprà in disputatione de Communicatione Idiomatum plus satis fuit demonstratum.

III. NO-

Digitized by Google

III. NOTATIO.

Dicunt veteres, Christi carnem esse organon Deitatis hoc est, (interprete Sadeele) *æternum DEI Filium usum fuisse humanâ naturâ, quam assumsit, tanquàm Instrumento, ut ea perageret, quæ ad Opus Redemptionis requirebantur.*

RESPONDEO.

Hanc explicationem, si sine Sophisticatione Calviniana teneatur: libenter permittimus. Sed ὕπυλον forent Adversarii. Intelligunt enim tale Organum, quod in divinis edendis miraculis; tantùm præstiterit ea, quæ ex proprietate sua naturali præstare potuit: nullatenus verò ad divinas ἐνεργείας efficaciter concurrerit. Quod scelus Nestorianum & Scripturis & Patribus prorsus est adversum: quemadmodum supra luculenter ostendimus: pag. 473. & seqq. & pag. 481.

IIII. NOTATIO.

Dicunt veteres Christi Carnem esse locupletatam divinis ἐνεργείαις, nimirùm quia per eam divina virtus sese exeruit, ut in miraculis edendis.

RESPONDEO.

Eundem dolum occultat Sadeel; quem modò notavimus: & quem citato jam loco abunde refutavimus.

V. NOTATIO.

Dicunt veteres Humanam Christi naturam Divinæ majestatis dignitatibus nitescere: nempè: quia Vnam personam cum Deitate constituit.

RESPONDEO.

Concedo totum. Siquidem & nos Majestati Christi Hominis fundamenti loco substernimus ipsam Unionem: Sed talem Unionem, quæ effectum, habeat Realem illam Communicationem divinarum proprietatum Humanitati factam: Quemadmodum supra Notat. *1.* verbis Patrum testatum dedimus.

VI. NOTATIO.

Dicunt veteres Deum conferre Humanitati, Naturæ suæ operationem: illo ipso sensu qui jam à nobis est expositus: nempè, quia ὁ λόγος & Humana natura assumta Vnam personam constituunt.

Respondeo.

Confundit Sadeel Causam Efficientem, & Effectum. Unio personalis est fons & origo illius Communicationis divinarum proprietatum. Proindè rectè distingui debent: quemadmodum à Patribus etiam distinctè Unionem & exaltationem humanæ naturæ considerari: jam modò ostendimus. Neque est, ut subinde oggerat: Humanam naturam non factam esse *DEUM*, non esse æternam: sed essentiales ejus retinere proprietates. Nam in disputatione de Communicatione Idiomatum evidentissimè comprobatum, Exaltationem Humanæ naturæ, non movere sive confundere naturas: sed salvis utriusque naturæ proprietatibus stare illam posse. Undè fundamenta nostra huc referri possunt & debent.

VII. VIII. & *IX.* Notationes.

Hæ notationes repetunt ea Sophismata, quæ de vivificatione Carnis Christi, de Opere nostræ Redemtionis per Humanam naturam præstito multoties evomuit Sadeel. Quorum refutationi

abundantissimè sufficiunt ea, quæ disputata sunt, pag. 257. 259. ut & ea, quæ dicta sunt circa finem præcedentis capitis quarti, ad Locum XV. & ultimum.

X. & XI. NOTATIONES.

Subindè crepat Sadeel, *Dicta patrum, quæ agunt de Exaltatione & Majestate Filii Hominis, intelligenda esse de Vnione personali*: neque quicquam aliud habet quo clarissimum illud jubar, quod ex dictis Patrum coruscat & oculos Sadeelis nimis clarè perstringit: infringere & obscurare possit. Novimus per DEI gratiam, Naturas, Divinam & Humanam personaliter esse unitas: Sed quid præterea? Anne indè accepit assumta caro, ut sit Omnipotens, Omnipræsens, vivifica? Hic Patres Categoricam Affirmativam dilucidissimè tenent. Quam obscuraturus Sadeel, per intolerabilem ἀδολεσχίαν nugacissimè repetit & oggannit, Patrum dicta velle, duas naturas personaliter esse unitas. An non hoc est Patrum dictis vim manifestam inferre? An non hoc est ludificare Ecclesiam? Sed præpotenti DEO sit gratia, qui sapientes hujus seculi ita infatuavit, ut dum veritati subscribere nolunt, magis

Digitized by Google

magis magisque etiam cum summa ipsorum ignominiâ offendant ad petram scandali & lapidem offensionis, qui est Christus.

XII. NOTATIO.

Dicunt veteres Humanam Christi naturam factam esse à DEO, Dominum & Christum: idque non intelligendum seorsim de λόγῳ, id quod urgebant Ariani: Sed ita locutum esse Petrum, propter Humanitatem à λόγῳ assumtam.

Respondeo.

De persona Christi, & non de alterutrâ naturâ *SEORSIM*, hoc est, extra Unionem, intelligendum esse istud Petrinum: ipsi fatemur. Verùm hoc in controversiam venit: Cùm Petrus dicat, Christum *FACTVM* esse Dominum, nempè in Tempore demùm: Cujus naturæ respectu, Dominus *IN TEMPORE FIERI* potuerit? Hic uno ore respondent Patres Humanæ naturæ respectu, Christum in tempore factum esse Dominum: quemadmodum disertè explicat Athanasius, Serm. 4. contra Arianos: *Cum dicit Petrus, quòd DEVS hunc Iesum Dominum & Christum fecerit:*

non de divinitate ejus verba facit: Sed de HVMANITATE ejus.

Idem de ſalutari adventu Chriſti: *De quo hoc vocabulum (FECIT) intelligitis? Si de verbi Divinitate: Cur igitur Arianos reprehenditis? cum idem cum illis ſentiatis? ſin verò de FORMA SERVI* (Humanâ naturâ) *quæ fuit in verbo, cur nobiſcum pugnare contenditis.*

Baſilius lib. 2. contra Eunomium: explicans hoc ipſum dictum Petri: *Non* inquit, *de ipſa Eſſentia τȣ̃ λόγȣ loquitur: ſed demonſtrativa voce HVMANITATEM deſignat.*

Eat nunc Sadeel, & Patrum dicta ſi lubet, quoad Petrinum hoc dictum, porrò varijs excogitatis fucis obſcurare pergat. Nimis ea ſunt clara & perſpicua, ut operam & oleum perditurus ſit Sadeel cum univerſa gente Sacramentaria: ſi de ijs obſcurandis porrò laborare perrexerit.

XIII. NOTATIO.

Dicunt veteres dextram DEI unitum ſibi Hominum in propriam evexiſſe celſitudinem per Vnionem: Hoc eſt, (Interprete Sadeele) *Humanam naturam à λόγῳ aſſumtam eſſe in perſonali, ac proindè arctiſſima Vnione.* 2. *de perſona*

persona θεανθρώπου intelligendum esse: alioqui fore Consequens, Humanam Naturam esse DEUM.

RESPONDEO.

Prodigiosè & impudentem & temerarium esse oportet, qui Patres, dilucidè Majestatem Christi hominis, per sessionem ad dextram patris explicantes, nihil aliud voluisse dicere nugatur, quàm Humanam naturam à λόγῳ assumtam esse in Personali ac arctissimâ Unione. Si quis in rebus politicis, alteriùs verba & dicta, ita malitiosè corrumperet & depravaret, Viri certè ne quidem politicè boni nomen ampliùs mereretur: Quid igitur statuemus de Sadeele, qui non unius aut alterius Doctoris (quod tamen itidem non ferendum esset) Sed totiùs venerandæ Antiquitatis verba & dicta tàm nequiter corrumpit? Judicet qui judicare potest. Utrumque profectò docent patres: & Unionem Naturarum esse personalem: ac proindè arctissimam: Et hujus ipsius Unionis effectum esse: ut Humana natura evecta ad dextram DEI patris, ipsi DEO sit σύνθρονος, & divina virtute omnia regat, Ddd 4 guber-

gubernet, omnia ſciat: & ubique præſens dominetur potentiſſimè non modò in Eccleſia: ſed & in medio inimicorum: ut adoretur ab Angelis & Archangelis, ab univerſo Cherubinorum & Seraphinorum exercitu, &c.

Reliquas Sophiſticationes protrivimus & conculcavimus ſupra in diexodo Loci primi: Capitis Quarti.

XIV. NOTATIO.

Dicunt veteres Humanam Chriſti Carnem factam eſſe participem Deitatis, eo ſenſu, qui ſuprà à nobis expoſitus eſt: nempè quia Vnam perſonam cum λόγῳ conſtituit, qui Chriſtus eſt.

RESPONDEO.

Sadeelem ἀδολεσχεῖν nugari & turpiter petere principium. Hoc ipſum enim eſt quod quæritur: An nimirùm quando Baſilius & alii Patres ſcribunt, *Humanam naturam veniſſe εἰς κοινωνίαν θεοῦ: item participem factam Deitatis*: nihil aliud voluerint innuere, quàm Humanam naturam Perſonaliter eſſe unitam τῷ λόγῳ?

Hic cùm Categoricè ſuam debuiſſet exponere ſententiam Sadeel, mavult

κοκκύ-

κοκκύζειν, & corvi instar crocitare: *Hæc sunt intelligenda de Vnione Personali.* Quod nùm sit disputare, an verò, (quod Sophistarum proprium est) nugacissimè ἀδολεσχεῖν, judicet, qui modò aliquid judicare potest.

De celebratâ illâ Patrum περιχωρήσει Philosophicè & quidem satis prolixè disputat Sadeel: Quæ tamen disputatio ad ostentationem tota est directa. Neque enim ad rhombum quicquam facit. Quin nos ipsi Physicam & Geometricam illam περιχώρησιν toto pectore abominamur. Patres certè, cumprimis Irenæus, Cyrillus & Damascenus non ad Unionem tantùm: sed cumprimis ad Unionis Effectum, nempè Communicationem Idiomatum divinorum realem, factam Humanitati Christi, περιχωρήσει sua respexerunt. Placet nunc solum audire Damascenum. Is igitur lib. 3. Orth fid. cap. 3 sic habet: *Quæ humana sunt, λόγος sibi attribuit peculiariaq; facit, nam ipsius sunt ea, quæ sanctæ ipsius carnis sunt, & TRADIT CARNI SVA.* κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, *propter Naturarum in se invicem* περιχώρησιν.

Idem eod. lib. cap. 7. *Sciendum insuper, quòd etsi se invicem immeare* περιχωρεῖν *Domini naturas dicimus: Scimus tamen, quòd ex Di-*

vina natura ἡ περιχώρησις provenit. Nam ipsa PROPRIAS GLORIFICATIONES CARNI COMMVNICAT.

Quæ Testimonia nùm cum Sadeelis φλυαρίαις conveniant, vel Tyro Theologiæ judicet.

Syllogismus SADEELIS ἀπαγωγικός εις ἀδύνατον.

SI ex præclaris elogijs Humana natura Christi quæ apud veteres extant, effici potest: Humanam naturam esse Realiter Omnipræsentem: Ergo simili ratione efficitur: ipsam Humanam naturam esse DEVM: *ἀδύνατον & impium.*

RESPONDEO.

Error *παρὰ τὸ ἑπόμενον.* Humanam enim Christi naturam, Omnipotentem, Omnisciam, Omnipræsentem, vivficam Adorabilem esse posse: neque tamen permutari in DEUM: invictis rationibus demonstratum: mox ab initio capitis tertij: pag. *224.* & seqq. Hoc loco Syllogismo Sadeelis hunc opponimus. Quic-

Quicquid non per Essentiam est Omnipræsens: illud non est Deus. Humana Christi natura non est per Essentiam Omnipræsens. Ergo non est DEVS.

Major sua luce lucet: Neque enim DEUS unquam dici, nedum esse potest: qui, ut sit Omnipræsens, alio indiget.

Minoris veritas itidem luculentè patet: Siquidem Humana natura non per Essentiam est Omnipræsens: sed tantùm ex Unione sive Personali κοινωνίᾳ Omnipræsentiam aliundè participat.

Constat proindè Conclusioni sua etiam certitudo & integritas.

CAPUT VI.

COnquirit capite hoc ſexto & poſtremo Sadeel veterum Doctorum ſententias, quibus veritatem Humanæ naturæ in Chriſto anxiè confirmare ſtudet. Certè ex noſtra parte Labore iſto ſuperſedere potuiſſet Sadeel, & ſibi & lucernæ parcere. Siquidem nemo noſtrûm veritatem Humanæ naturæ unquàm negavit: neque etiam Omnipræſentia Corporis Chriſti eam ulla ex parte evertit.

Illud modò firmâ fide teneatur, abhorrere nos toto pectore ab eâ Ubiquitate longè prodigioſiſſimâ, quam Sadeel ſuo in cerebro fingit, quamque ſibi expugnandam ſumit: Quâ nimirùm Humana Chriſti natura ubique locorum diffuſa, & in infinitum mole quadam corporea diducta eſſe, petulanter confingitur. Quâ ſanè in parte enormem injuriam fieri noſtris Eccleſiis ex noſtrorum hac de re editis ſcriptis, ipſo ſolari jubare clariùs patet. Neque enim adeò ſumus emotæ mentis, ut Naturam

Digitized by Google

ram Humanam (prout Sadeel ſubindè clamitat) Infinitam factam eſſe ſomniemus. Verùm, ut ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, per quandam σωματοποίησιν, paucis omnia comprehendamus, hæc noſtræ doctrinæ ſumma eſt: Quòd nimirùm Humana Chriſti natura ratione ſuæ Eſſentiæ in omnem æternitatem verè finita, quippè naturæ ſuæ terminis ſive dimenſionibus circumſcripta ac terminata manens: ac proindè ſecundum naturalem ſuam conditionem non ubique: ſed in ſtatu Exinanitionis, in certo quodam loco localiter: nunc verò in ſtatu Majeſtatis, in certo quodam πȣ̃ cœleſti definitivè exiſtens: ab Infinito tamen λόγῳ nuſpiam ſegregari poſſit. Neque enim Humana natura tantùm conſiderari poteſt aut debet ex Naturæ ſuæ proprietatibus: ſed etiam ſecundum eum exiſtentiæ modum, ratione cujus in ipſâ illocali ὑποςάσει τȣ̃ λόγȣ, & nunquàm extra eam, ſuum τὸ εἶναι obtinet. Quo poſteriore reſpectu ea ſi conſideretur, vix quiſquam Chriſtianus negare poterit, niſi qui vel planè amens, vel extremè impius fuerit, hanc Humanitatem non locali, terreno, phyſico ſive naturali & comprehenſibili modo, quo in loco vel

fuit

fuit vel esse potest; sed longè sublimiore, diviniore, & planè cœlesti supernaturali atque incomprehensibili modo, personaliter, intra æternam & infinitam totam hypostasin Verbi (partem enim extra partem nullam habet) tàm propè, tàm arctè, tàm præsenter assumtam, ut propiùs, arctiùs, præsentiùs intra intimum Personæ verbi complexum assumi non potuerit. Jam verò cùm in eâ hypostasi λόγυ, Loca locorumq; spacia, sine extremâ impietate, ne cogitari quidem possint aut debeant: certè λόγος, assumens naturam humanam, in suam, imò intra suam illam ab omni localitate absolutam hypostasin, simul etiam eandem extra & supra loca omnia evexit, ut illam non juxta locorum intercapedines sive διαστήματα: sed extra & supra locum omnem, ineffabili ratione, ἀδιαστάτως toto genere sibi præsentiore ac propinquiorem habeat, quàm ullam aliam creaturam, sive in Cœlo sive in terra. Cujus sanè doctrinæ nostra fundamenta prorsus immota supra pertractavimus: pag 50. & seqq.

Et hæc una est Observatio, quæ si probè teneatur: tùm maxima pars præsentis disputationis Sadeelianæ, in fumum ventosq; exanimis abit.

DEIN-

DEINDE si universa Patrum testimonia, à Sadeele producta, & Consequentias ipsis assutas diligentius examinemus, manifestum evadit, Sadeelem per σόφισμα plurium interrogationum duas quæstiones astutè permiscere, quæ tamen hac in disputatione necessario sunt distinguendæ. *PRIOR:* Cujusmodi facta sit Unio? Ubi Patres respondent, & rectè quidem: Factam esse Unionem hanc non secundum gratiam, operationem aut dignitatem tantùm: quasi ista, alteri cuidam personæ per se subsistenti communicata sint: Sed Unionem factam esse secundum Unitatem Personæ.

POSTERIOR & longe alia est Quæstio, quâ quæritur: Quidnam sit illa Personalis Unio, & qui ejus sint Effectus? In qua quæstione explicanda dupliciter respondere solent. Primum enim proferunt λόγον ὀνοματώδη Definitionem nominis: Quòd nimirum Unio Personalis sit Conjunctio duarum Naturarũ, divinæ & humanæ, in una persona Christi: quodque (cumprimis ubi Patres disputant adversus Manichęos & Eutychianos, veritaté

huma-

humanæ naturæ evertentes) in ipsa hac Unione Natura assumta suas proprietates essentiales retineat, sit circumscripta, localis, visibilis.

Deindè verò longiùs progrediuntur, & accuratiùs mysterium hoc expendentes, λόγον etiam οὐσιώδη depromunt, dùm nimirùm à consequenti eandem Unionem definiunt, quòd scilicet vi hujus Unionis facta sit mutua Naturarum περιχώρησις ἐν ἀλλήλαις, & hâc rursus mediante, Realis divinæ Majestatis communicatio facta assumtæ Humanitati.

Jam Sadeel, & reliqui Sacramentarii λόγον illum ὀνοματώδη tantùm urgent, quasi solus ille à Patribus fuerit agnitus: λόγον verò οὐσιώδη, qui sumitur ab Effectis Unionis, callidè & nimis sophisticè prætereunt & exagitant: haud secus, ac si, stante hac & Naturarum & proprietatum communicatione: non amplius Naturarum ac earundem proprietatum distinctio stare queat. Cujus tamen collectionis futilitas in disputatione de Communicatione Idiomatum, suprà ad oculum fuit demonstrata.

Quibus Observationibus probè expensis, solidissima in promtu esse potest

Re-

Digitized by Google

Responsio, quâ futilissimas argutationes Sadeelis propulsare & destruere queamus.

Quòd verò tandem repetere voluit Sadeel ea Sophismata omnia, quibus hactenus (sed adverso planè Marte) adversus Omnipræsentiam, & doctrinam de Reali communicatione Idiomatum, ut & adversus Distinctiones nostras pugnare voluit: Illud reliquis ociosis ταυτολογίαις & nugationibus, quibus ipse delectatur, annumeramus.

Nos in præcedentibus solidissimè ea esse refutata, novimus. Consulat ergo candidus Lector ipsum huncce nostrum tractatum, qui φλυαρολογιῶ Sadeelis futilissimam vanitatem ob oculos satis perspicuè constituit.

Proindè hic pedem figimus, & cùm nostra de Maiestate CHRISTI HOMINIS doctrina, expressis scripturarum locis nitatur: & ad analogiam fidei citra omnem dissonantiam quadret: Dogma verò Sadeelis & universæ Gentis Sacramentariæ, de Localitate Humanæ Naturæ, etiam in ipsa dextera DEI considentis, repugnet manifestissimis Scripturæ, testimoniis, & ipsam ἀναλογίαν fidei nefariè convellat, destruat, evertat: atque

Digitized by Google

adeò ipsum Unionis Hypostaticæ mysterium plusquàm hæreticè subruat ac penitus dissolvat: adeò ut nullis Sophismatis, quantumvis speciosis, ab hoc crimine liberari queat: venerandæ etiam Antiquitatis unanimis calculus nos juvet & confirmet: ideò summa cum πληροφορίᾳ concludimus; hanc nostram doctrinam, quam adversus Sadeelis Sophismata, in præsenti tractatione asserendam suscepimus, in clarissima veritatis luce esse constitutam: nempè: *In una persona, quæ est Iesus Christus, Humanam Naturam à λόγῳ assumtam, cum ipso λόγῳ inseparabiliter & inconfusè esse unitam. ac salvis utriusque Naturæ proprietatibus, ipsam Humanam Naturam, infinitâ Spiritus sancti plenitudine sine mensurâ in ipso statim Vnionis momento inunctam: ac per sessionem ad dextram infinitæ virtutis ac Maiestatis divinæ, Vbique præsentissimè & potentissime dominari in Cœlo ac terra Omnia sibi subiecta habere, imò manu sua continere, quæ vel in hoc vel in futuro seculo nominari possunt.*

Faxit æternus Pater Cœlestis per Ihesum Christum θεάνθρωπον, ut magnum hoc Pietatis mysterium, quo DEVS manifestatus est in carne, ab huma-

nis

nis & Sophisticis elusionibus magis magisq; vindicatum: ita nobis innotescat: ut IHESVM CHRISTVM verum DEVM & Hominem, Unum DEI & hominum Mediatorem, rectè àgnoscamus: & illum solum verâ fide amplectamur: Cui & DEO & HOMINI cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor, gloria & maiestas, per infinitas seculorum omniũ æternitates.

AMEN.

SOLI DEO GLORIA.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI
salutem dicit Autor.

NOn me latet, Christiane Lector, iam antè in refutando Sadeele, utilissimam Ecclesiæ CHRISTI operam navasse, eximium Theologum, Virum Reverendum & Clarissimum, D. Doctorem BALTHASAREM MENTZERUM, illustris Academiæ Hassiacæ Marpurgensis Professorem Orthodoxum: ita quidem, ut hoc ego labore, honesto titulo supersedere potuissem; imò fortè etiam debuissem. Cæterùm cum superiore anno, haud pauci studiosi Theologiæ, non semel, sed iterum atque iterum à me efflagitarent, & suo quasi iure exposcerent; ut brevem Sadeelis Refutationem, certis thesibus, pro more disputantium, comprehensam, privatis συζητήσεσι subiicerem: quo per mutuam illam συμβίβασιν tantò eviden-

evidentius Sophismatum Sadeclianorum futilitatem: nostræ verò Orthodoxæ doctrinæ immotam veritatem, deprehendere possent: nolui ego, imò ne debui quidem, ipsorum honestæ petitioni deesse, nisi officio defuisse, videri voluissem. Proindè talem Tractationis Sadeclianæ de veritate Humanæ naturæ Iesu Christi Refutationem institui: quæ præclaram D. Doctoris Mentzeri operam suo loco, quem honestissimum in Ecclesiâ Christi meritò obtinet, omninò relinqueret: & tamen nihilominus nonnulla fusiùs explicaret: usque adeò, ut & ipsius, & meum laborem coniunctim Ecclesiæ DEI inservire posse, persuasum habeam.

Deindè & illud te scire volo, me in Refutatione istâ adornandâ, operam dedisse, ut, quantum quidem eius fieri potuit, cum Ecclesia loquerer, hoc est, ijs phrasibus uterer, quibus Formula Concordiæ, D. Lutherus, D. Chemnitius, & alij præclari nominis Theologi, ineffabi-

le mysterium de Unione hypostatica duarum naturarum in Christo, sincerè explicarunt, & adversus quasvis tùm Calvinianorū tùm Flavitarū Sophisticationes, solidè asseruerunt. Et id quidē in usum studiosorū Theologiæ, ut illi hoc quasi exemplo moniti, tùm in disputationibus, tùm in Concionibus, sive colloquijs alijs, non proprijs speculationibus indulgendū: Sed ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγον, formam sanorum verborum. 2. Tim. 1, 13. sartam tectam custodiendam esse, meminerint.

Tandem diffiteri non possum, etiam ad mediocrem diligentiam, tùm ab operarijs Typographicis, tum à Correctore adhibitam, irrepsisse menda quædam minimè levia: imò interdum etiam nonnulla vocabula penitùs omissa: quæ quomodo in tanta festinatione (jam enim ad mercatum Francofurtanum properabant nostri) restitui debuerint, vel etiam potuerint: nullum succurrebat consilium. Operam tamen dabo, ut illa, peculiari pagella,

consi-

consignata, paulò post, nempè in mercatu Lipsiensi proximo tecum communicentur.

Unum iam illud, quod pag. 308. occurrit, emendatione vel maximè opus habet: Nā lineis primis septē ob transpositionem vocabulorum, & Omissionem unius atque alterius dictionis, Oratio deprehenditur hiulca, imò mutila & imperfecta. Sic proindè legendum fuerit.

Nam si assumta Humanitas etiam tēpore mortis, vi Unionis personalis, λόγῳ ubique locorum adfuit præsentissimè: certè non ita angustis sepulchri cancellis Corpus Christi fuit conclusum: quin simul personaliter cum λόγῳ extra sepulchrum (in quo solo erat Naturaliter) adesset ubique: licet creaturis gubernandis tùm non adhiberetur.

Sic eadem paginâ lin. 9. pro (*Si*) legendū est, (*Sic*) & *comma* adjectum prorsus reijciendum. De reliquis suo tempore te monebo fideliter. Vale, & nostras operas, quibus studijs tuis unicè prodesse laboramus, tuis precibus juvare perge.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10-3-2

Digitized by Google